
HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM. IN QUATUOR LIBROS...

Edmond 1560-1631 Richer





7
10-b
5



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
9
19
32

HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM.

In quatuor Libros distributa.

AUCTORE

Magistro EDMUNDO RICHERIO,

Doctore ac Socio Sorbonico.

Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari; quæ est Ecclesia Dei vivi; columna & firmamentum veritatis. 1 ad Timoth. 3. v. 15.





COLONIÆ;
Apud BERNARDUM HETSINGH.
CIƆ IƆC LXXXIII.



Univerſis, qui veritatem, unitatem & concordiam juſti regiminis Eccleſiæ Catholicæ à Chriſto inſtituti adamant, ſalutem & felicitatem æternam precatur hujus Operis Author.



Ector veritatis & pacis amans, cum in libello, De Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate, ſine fuco & fallaciis, more majorum, ſcripſiſſem Concilium eſſe ſupra Papam; Eccleſiam Canone, non abſolutâ poteſtate, regi oportere; atque politicos Principes, tamquam juris Divini, Naturalis, & Canonici vindices & executores, authoritate gladii in omnes cives, ambitu & finibus reipublicæ contentos, pollere: hocque jure & titulo Conſtantinum Magnum, atque alios Imperatores Chriſtianos, velut communes Epiſcopos, & exterioris diſciplinæ aſſertores octo prima Concilia Univerſalia, pro juris Divini, Naturalis & Canonici vindiciis indixiſſe & congregaſſe: profectò Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, DD. Robertus Hubaldinus Nuntius Apoſtolicus, Henricus



Gondius Pariſienſis Epiſcopus, ad Cardinalatum anhelantes, cum ſuis aſſeclis, hæc mea veriſſima pronunciata, non aliter quam erronea, impia, hæretica, & ſeditioſa condemnarunt; meque inſuper inauditum, hac arte & fabricis ſic tractarunt, ut Cardinalis Perronius, dum in ſacro Regis Conſiſtorio ſub ætate pupillari Principis Ludovici XIII ſeditioſiſſimum eſſe monomarcham criminabatur; & quibus principiis me oppugnare Papæ monarchiam, iiſdem quoque abſolutum omnium Regum imperium evertere, contendebat: alii Prælati qui cum Domino Nuntio, & eodem Cardinale Perronio frequenter verſabantur, atque Richerium aliquando conveniebant, prædicarunt monſtro eſſe ſimillimum quod Edmundus Richerius Presbyter & Doctor Theologiæ, jura in Eccleſiaſticæ Libertatis perniciem mordicus defenderet, nec ſineret mortuos ſepelire mortuos, id eſt, Parlamentarios hæc ſcripturire (ſic enim loquuntur.) Hercle cum aliquando unum ex Epiſcopis, qui Cardinali Perronio erat amiciſſimus, impenſius rogarem, ut ab eodem Perronio impetraret, quatenus ad

libelli

libelli mei defensionem & probationem admitterer, ille confestim arcanum consilium Censorum mihi reseravit; dixitque, se propositionum libelli mei veritatem nequagnam in dubium vocare, sed Ecclesiasticos multo magis ab uno & solo Papa pendere malle, quam hic quotidie Parlamenta & Triumviros Regios adversos, & contra Ecclesiasticos postulantes habere: quod arcanum consilium à multis seculis in potestatum politicarum pestem grassari certissimum est, adeo ut nullus Theologus aut Ecclesiasticus de regendis finibus utriusque potestatis ex rei veritate scribere audeat, quin male mulctetur. His autem perspectis, ea quæ tantummodo per laciniam libello meo attigeram, stricte accurateque tractare constitui; non eo quidem studio illos sanandi, qui veritatem in justitia detinent. quod est impossibile; sed ut permultorum imbecillitati mederer, qui aut nolunt, aut perferre non valent laborem incredibilem ad Ecclesiasticæ historiæ notitiam pernecessarium. Quod si turpe & ignominiosum est, homines in ea ipsa qua nati sunt civitate, tanquam hospites & peregrinos versari, nec jura,

instituta, & mores patrios tenere, quanto magis in Sacerdotibus atque animarum Pastoribus & Theologis ignorantia justi regiminis Ecclesiæ à Deo instituti, & ab Apostolis sanctisque Patribus ad nos propagati culpanda venit? Cum ob ejusmodi inscitiam sæpe contingat, ut jus divinum, schisma atque hæresis perfracte asserantur; ubi jus est pure arbitrarium, nullum schisma, nulla hæresis, imo etiam nulla peccati mortalis suspicio nasci potest, ut jam alias observavimus. Equidem Magister Andreas Vallius Doctor & Professor Theologiæ, in contumeliosis lucubrationibus suis quas in Richerium collegam suum, & virum ornatissimum Simonem Vigorium, Regis Consiliarium, extrusit, de historia Conciliorum generalium, ea refert quæ nec ipse intelligit, nec ex actis, sed partim ex commentariolis sibi hinc inde suppeditatis, partim etiam ex Severini Binii notis hausit: & tamen pro fidei Catholicæ oraculis oggerit. At ipsemet Binius, qui anno 1606 novam Conciliorum editionem nobis adornavit, in præfatione ad Lectorem ingenue fatetur per quos profecerit, affirmans quæcumque in suas notas in Con-

cilia

cilia conjecit, magna parte se accepta debere Illustrissimis Cardinalibus Baronio, Bellarmino & Antonio Possevino in suo Apparatu sacro. Quibus Triumviris in suis operibus propositum nemo nescit, ut demonstrent, Romanum Pontificem esse absolutum, infallibilem Monarcham Ecclesiæ, à Christo institutum, utque ait Leo X Sessione XI Synodi Lateranensis, plenum jus & potestatem semper habuisse super omnia Concilia, ut ea pro animi sui arbitrio indicere, transferre, & dissolvere posset: id autem quam sit veritati consonum, hæc docebit historia. De qua priusquam plura dicam meos Censores hujus eximiæ sententiæ Melchioris Cani Dominicani ordinis monitos velim, lib. v de Locis, cap. 5. sub finem. Qui summi Pontificis de re quacumque judicium temere ac sine delectu defendunt, ait, hos Sedis Apostolicæ authoritatem labefactare, non fovere; evertere, non firmare. Nam quid tandem adversus hæreticos disputando proficiet, quem viderint non judicio sed affectu patrocinium authoritatis Pontificiæ suscipere, nec id agere, ut disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed

ut se ad alterius sensum voluntatemque convertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget. Sane qui semel deprehensus est in mendacio, eidem deinceps jure omnis fides derogatur: scitumque Pastorem illum qui opem contra lupos falso implorans, toti viciniæ illuserat, tum demum, quando lupi gregem revera invaserant, jure meritoque desertum, & à tota vicinia irrisum fuisse. Sed ad rem nos accingamus. Ecce summam totius historiæ, Lector benevole, quam tibi accurate exhibemus. Vale.

LIBER PRIMUS

CONTINENS

Historiam octo primorum

CONCILIORUM GENERALIUM.

Jusjurandum, quo recens creati Romani Pontifices jamjam consecrandi obstringere se consueverant post octo priora Concilia generalia in sua solemni fidei Professione, quæ habetur in Libro Pontificum, qui vocatur Diurnus; cujusque mentionem facit Cardinalis Baronius Tomo x Annalium an. 869. refertur quoque à Binio in Notis super octavam Synodum pag. 908. Tomi III parte II Editionis factæ Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Gymnicum & Antonium Hierat anno 1606. cujus etiam meminit Yvo Carnotensis epistola 60 & 73. his verbis constat;

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Ego N. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus vel Presbyter aut Episcopus Cardinalis, electus, ut fiam per Dei gratiam hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis humilis minister, profiteor tibi, Beate Petre Apostolorum Princeps, cui claves regni cœlestis ad ligandum atque solvendum in cœlo & in terra Creator & Redemptor Dominus noster tradi-

tradidit, inquiens: Quæcunque ligaveris super terram erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis: Sanctæque tuæ Ecclesiæ quam hodie tuo præsidio regendam suscipio, quod quamdiu in hac misera vita constitutus fuero, ipsam non deseram, non derelinquam, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, nec ex quacumque causa, cujuscunque metus vel periculi occasione dimittam; nec me segregabo ab ipsa; sed veræ Fidei rectitudinem, quam Christo Authore tradente, per Beatissimum tuum Co-Apostolum Paulum & per Discipulos successores vestros usque ad exiguitatem meam prolatam in tua sancta Ecclesia reperi; totis conatibus usque ad sanguinem custodire, tam de Sanctæ & Individuæ Trinitatis mysterio, quæ unus est Deus, quam de dispensatione, quæ secundum carnem facta est, unigeniti Filii Dei Domini nostri Iesu Christi. Et de cæteris Ecclesiæ dogmatibus, sicut in universalibus Conciliis & constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiæ Doctorum scriptis sunt commendata, id est quæ ad rectitudinem nostræ vestræque Orthodoxæ fidei à te traditionem recipiunt, conservare,
SANCTAQUE OCTO UNIVERSALIA CONCILIA, ID EST, NICÆNUM, CON-

CONSTANTINOPOLITANUM, ET EPHESINUM PRIMUM, CHALCEDONENSE, QUINTUM QUOQUE ET SEXTUM ITEM CONSTANTINOPOLITANA, BT SEPTIMUM ITEM NICÆNUM, OCTAVUM QUOQUE ITEM CONSTANTINOPOLITANUM USQUE AD UNUM APICEM IMMUTILATE SERVARE, *& pari honore & veneratione digna habere & quæ prædicaverunt & statuerunt omnimodo sequi prædicare: quæque condemnarunt, condemnare ore & corde.*

Diligentius autem & vivacius quamdiu vixero omnia decreta Canonica Prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæcunque ipsi synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire: Quæque vel quoscunque condemnarunt, vel abdicaverunt, simili sententia condemnare vel abdicare. Disciplinam & ritum Ecclesiæ sicut invenimus à sanctis Prædecessoribus meis canonice traditum, quamdiu vita in istis comes fuerit, illibate custodire, & indiminutas res Ecclesiæ conservare, neque alienare, seu in feudum, censum, vel emphyteu-

teusim dare quomodolibet ex quacunque causa, & ut indiminutæ custodiantur, operam dare. Nihil de traditione, quam à Probatissimis Prædecessoribus meis canonice traditam & servatam reperi, diminuere vel mutare; aut aliquam novitatem admittere; sed ferventer, ut eorum vere discipulus & sequipeda, totis mentis meæ conatibus quæ tradita canonice comperio, servare & venerari. Si qua vero emerserint contra Canonicam Disciplinam, communicatione filiorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cum quorum consilio, directione & rememoratione ministerium meum geram & peragam, emendare, aut patienter (excepta fidei & Christianæ Religionis gravi offensione) tua & Beatissimi tui Co-Apostoli Pauli procurante intercessione, tolerare, sacrosque Canones & sacrorum Pontificum constituta, ut divina & cœlestia mandata, Deo auxiliante, custodire. Utpote Deo & tibi sciens me redditurum de omnibus quæ profiteor & quamdiu vixero, egero, vel obliviscar, districtam in divino judicio rationem. Cujus sanctissimæ Sedi divina dignatione, te patrocinante præsideo, & vicem intercessionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die hæc conanti, & diligenter ser-

vare-


vare curanti, propitius. Adjutorium quoque ut præbeas, obſecro, in hac corruptibili vita conſtituto, ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum judicis omnium Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum terribiliter de commiſſis advenerit judicare, ut faciat me dextera patris participem, & inter fideles diſcipulos & ſucceſſores tuos eſſe conſortem. Hanc autem profeſſionem meam per Notarium & Scriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ me jubente ſcriptam propria manu ſubſcripſi, & tibi Apoſtole Petre & Apoſtolorum omnium Principi pura mente & devota conſcientia ſuper ſanctum corpus tuum & altare tuum ſinceriter offero. Actum, &c.



HI-



HISTORIA CONCILIORUM Generalium.



CAPUT PRIMUM.

I. *Ecclesiæ Catholicæ Primatum, juris esse divini, quoad institutionem; sed quoad usum & exercitium, pendere ab Ecclesiæ definitione.*

II. *Christum triplicem habuisse potestatem, Authoritatis nimirum, Excellentiæ, & puri Ministerii spiritualis; hancque postremam solummodo Ecclesiæ Prælatis credidisse.*

III. *Unitatem, consensum, & communionem Sanctorum assignari à Christo pro incentivo, quo homines allici debeant ad credendum Euangelio & Ecclesiæ.*

IV. *Modum hujus consensus & communionis ineundæ, à Synodis, teste Bellarmino, pendere; adeò ut nulla umquam hæresis, absque Synodi ope, debellata fuerit.*

V. *Beatum Petrum numquam egisse Monarcham, sed omnia negotia communi consensu definivisse.*

VI. *Sanctum Jacobum Hierosolymitanam Synodum conclusisse, Act. 15.*

VII. *Synodos generales regulariter & ordinariè absque Papæ sententia & consensu haberi non posse.*

VIII. *Interpretatio Canonis Ecclesiastici, quo sancitur generalia Concilia absque Romani Episcopi sententia haberi non debere; & undenam ille Canon ortum habuerit.*

IX *Utrum Epistola Ægyptiorum ad Felicem Papam sit genuina.*

X. *Quæ olim fuerit ratio procedendi in terminandis nascentibus controversiis, & habendis generalibus Conciliis.*

I. QUando eſt in confeſſo apud omnes Catholicos Primatum ſedis Apoſtolicæ quoad Inſtitutionem & eſſentiam Juris eſſe divini primarii, & de ſolo uſu, extenſione, exercitio, & adminiſtratione diſceptatur, an ſcilicet juſtum atque legitimum Eccleſiæ regimen ſit pure Monarchicum : vel aliqua moderatione & temperamento Ariſtocratico mitigatum & permixtum : Quo in hujus rei certam cognitionem veniamus, juſti & legitimi regiminis Eccleſiæ veritatem ſic in omnium conſpectu & oculis exponere decrevi, ut hîc multo magis oculis ad legendum quàm argumentis ad ratiocinandum opus ſit.

II. In primis autem pro invictiſſimo totius Hiſtoriæ noſtræ firmamento, ex notiſſimis & conſtantiſſimis Theologiæ & legis Euangelicæ principiis notare opus eſt, Chriſtum triplici cumulatum poteſtate, nimirum *Supremæ auctoritatis*, *Excellentiæ*, *& puri Miniſterii* : Poteſtatem auctoritatis vocant, quam ut Dei Filius & Conſubſtantialis Patri habet : cujus ratione ſola obſequii gloria, vel ut in ſcholis loquuntur, *poteſtas obedientialis*, relicta eſt creaturis : *O homo tu quis es qui reſpondeus Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?*

ſic? Roman. 9. & 13. *Omnis poteſtas eſt à Deo &c.* Verum poteſtas excellentiæ, eidem quoque Filio Dei naturaliter debetur, ut eſt Chriſtus Deus Homo, Eccleſiæ Fundator, Legiſlator, Sacramentorum Inſtitutor, &c. quare hujus poteſtatis intuitu Chriſtus plane regium atque abſolutum habet imperium in Eccleſiam, quam ſibi proprio ſanguine redemit, vivificavit, & tamen pro ſponſa chariſſima, non pro ſerva habere voluit. *Epheſior.* 5. Idque totum ejus miſericordiæ ac immenſæ charitati tribuendum eſt: quippe qui Eccleſiam natura ſervam, gratia ſuam ſponſam, noſque Filios Dei efficiat. Quæ duæ priores poteſtatis ſpecies, quando ſunt eſſentiales & naturales Chriſto, eas nemini communicavit: ſed tertiam duntaxat puri miniſterii & humilitatis, quam ultro & voluntarie aſſumpſit, ſemet ipſum exinaniendo, atque ex Domino abſoluto ſervum ac miniſtrum efficiendo, ut hac via faſtum, ſuperbiam, dominatum & ſapientiam mundi deſtrueret & confunderet, ne in ejus conſpectu gloriaretur omnis caro. 1. *Corinthiorum* 1. *&* 2. *ad Philippenſes.* Quo circa paſſim in ſcripturis Dominus perhibet *ſe in mundum veniſſe miniſtrare non miniſtrari*, atque exemplum dediſſe diſcipulis ut ſe dominum atque magiſtrum preſſis veſtigiis ſequerentur

tur, Matthæi 20, & Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: sed qui major est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator.* Qua formula loquendi *dominium ministerio*, velut contrarium opponit. Hercle bonus Magister cum Apostolos suos tanquam oves mitissimas & fœcundissimas omnibus amori, & nemini noxæ aut terrori esse vellet, illos more Regis apum qui telo & aculeo caret, omnino exarmatos esse, ac soli Deo suam debere conservationem; Ideoque in promulganda & conservanda lege Euangelica, sola vitæ sanctimonia, pietate, humilitate atque observatione mandatorum Dei, non armis seculi, dominio, vel usu gladii aut Jure coactionis externæ muniri voluit: hacque in re totam Ecclesiæ αὐτάρκειαν vel sufficientiam constituit. Itaque congruenter ad hanc mansuetissimam auctoritatem ministerialem spiritualem, cuncta scripturæ oracula ad jus clavium spectantia interpretari debent: ut *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferni non prævalebunt adversus eam*, Matthæi 16. Item *Pasce oves meas*, Joan. 21. nequaquam vero de potestate absoluta monarchica, sicut explicantur à Bellarmino, docente *Pasce oves meas*, idem esse ac *regio more impera:* quasi vero Ecclesia haberet à Chri-

à Chriſto poteſtatem dominandi & cogendi abſolute quod imperat; jam enim dixi dominium ſive poteſtatem abſolutam regiam miniſterio ſpirituali tanquam contrarium opponi. Concludamus ergo Papam atque omnes Eccleſiaſticos in hac ſola poteſtate miniſteriali, non in poteſtate abſoluta eſſe vicarios Chriſti.

III. Notandum inſuper totum Eccleſiæ corpus ex charitate & Sanctorum Communione opera S. Sancti compactum eſſe, 1 *Corinth.* 12. & 5. *ad Epheſios.* eamque ob rem, ſummam regiminis Eccleſiæ non privato cujuſquam motu aut ſpiritu ſed communi & Catholico conſenſu, qui communionem Sanctorum conſtituit, gubernari: nec mirum certe, quando Eccleſia natura ſua collectionem multorum aut Sanctorum communionem ſignificat. Unde Matthæi 18. *Iterum dico vobis quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in Cœlis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quæ clauſula, *quia ſi duo ex vobis conſenſerint: ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo &c.* omnem excludit ſingularitatem, & monarchiam abſolutam: ſicut etiam *Joannis* 17. dum Chriſtus pro hac Sanctorum communione, unitate, & conſenſu Catholico ſic

Patrem ſuum deprecatur : *Non pro eis roga tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me : ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint : ut credat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti.* Ubi dignum animadverſione, unitatem & conſenſum Catholicum aſſignari à Domino pro cauſa, & incentivo quo homines alliciantur ad credendum Euangelio, & quod Chriſtus miſſus ſit in mundum à Patre. Hæc autem unitas & communio Sanctorum, eo mirabilior eſt, quod vi & externa coactione per abſolutum & monarchicum imperium non fiat, ut in temporalibus monarchiis, quæ abſolute cogunt quod imperant, ſed per ſolos actus hierarchicos, id eſt, ſuaſione divini verbi, & ſacramentorum adminiſtratione : Idque omnem exſuperat admirationem, dum homines nulla vi externa coactos, in vitæ & ſententiarum communionem unanimiter libere conſpirare videmus. Quod S. Lucas paſſim in Actis Apoſtolorum expreſſit voce ὁμοθυμαδὸν : quæ cordis atque animorum unitatem id eſt, internum principium ſignificat. Et in hoc ipſo Eccleſiæ Catholicæ auctoritas ubique terrarum conſiſtit. Auctore Vicentio Lirinenſi : *In ipſa Eccleſia Catholica, magnopere curandum, ut id te-*

neamus

neamus quod ubique, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim vere proprieque Catholicum quod ipsa vis nominisque ratio declarat: quæ omnia vere universaliter comprehendit. S. Augustinus *Dist.* 19. *Can. in Canonicis* §. *Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis ut eas quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis præponat eis quas quædam non accipiunt, &c.* Item 2. *Quæst.* 7. *Can. Puto.* §. *Quanto facilius & fortius quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est vel unius Episcopi auctoritati, vel unius provinciæ Concilio præferendum.* Et lib. contra Epistolam Fundamenti Manichæi cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ auctoritas commoveret.* B. Gregorius *Dist.* 15. *Can. Sicut sancti Euangelii*, nominatim ait, *Se ideo quatuor prima Concilia Generalia, velut quatuor Euangelia, venerari, quod universali consensu constituta & recepta essent.* Huc & referenda ratio *Canonis Audivimus* 24. *Quæst.* 1. §. U*nde non nisi congregatis in unum dictum est: accipite Spiritum Sanctum: nec nisi super Congregatos in unum die Pentecostes descendit Spiritus Sanctus.* Summa hujus Collectionis est, Sanctorum communionem, quæ est finis regiminis Ecclesiæ, nec absolute nec monarchice cogi aut imperari posse, sed suaviter & libere communi & catholico consensu stabiliri debere: ita ut hic semper meminisse debeamus hujus regulæ divinæ: U*bi Spiritus*

Domini ibi libertas, 2. Corinthiorum 3. Consule XXII Axioma Apologiæ nostræ.

IV. At vero modus hujus communionis & consensus Catholici Ecclesiarum ineundi, à Conciliis dependet teste Bellarmino lib. priore de Conciliis & Ecclesia cap. undecimo: *Nam*, inquit, *medium ordinarium ac proinde necessarium in controversiis fidei dijudicandis esse Concilium magnum aut parvum, unum vel plura facile probari potest: Primum ex divina illa promissione* Matth. 18. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum: hunc enim locum de Conciliis intelligit Synodus Chalcedonensis in epistola ad Leonem, &c. Secundo ex facto Apostolorum, qui cum possent etiam seorsim singuli difinire controversias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium & à Christo ipso demonstratum, non sine Concilio Controversiam de Legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt,* Actor. 15. *Tertio ex Consuetudine totius Ecclesiæ, atque omnium seculorum: Semper enim fuit in Ecclesia ista consuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur, & ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim novam sine novo Concilio damnaverunt, ut cognoscere poterit qui vel tomos Conciliorum, vel Historias Ecclesiasticas evolvere voluerit. Quod autem semper ab omnibus factum est, quis negare audebit ordinarium dici posse, & revera esse?*

esse? Bene hæc habent, Bellarmine; siquidem & natura potestatis ministerialis, & Principatus electivus Ecclesiæ, haud res Ecclesiasticas alio modo quam Conciliis atque libere inito consensu Catholico definiri patiuntur.

V. Unde in Actis Apostolorum nunquam legimus B. Petrum regem aut monarcham egisse, sed omnia communi consensu & liberis suffragiis Ecclesiæ confecisse, sive cum de aliquo in Judæ proditoris Episcopatum sufficiendo decretum est, *Actor.* 1. sive dum eligendi fuerunt Diaconi qui mensis ministrarent, *cap.* 6. sive etiam cum de legalium observatione statutum, *cap.* 15. Aut ratio qua Judæorum odium adversus Paulum sedaretur captanda fuit, *cap.* 21. Hæc enim quatuor Concilia aut celebres conventus coacti ab Apostolis. Certe quando de observandis legalibus disputatum est, S. Petrus omnium primus hanc suasionem habuit: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelii, & credere &c. Et nihil discrevit inter nos & illos fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices descipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi &c.*

VI. Qua

VI. Qua propositione Petri, reseratum est Concilium: deinde à S. Jacobo Episcopo Hierosolymitano in hæc verba conclusum: *Viri fratres audite me. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo: Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc revertar. &c.* PROPTER QUOD EGO JUDICO *non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum: Sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum & fornicatione & suffocatis & sanguine, &c.* Ubi observatione dignum Apostolos paucissimis præceptis & ritibus Gentes subjicere ut eos facilius ad Euangelium allicerent atque jugum legis gratiæ suavissimum esse demonstrarent. Porro Epistola Synodica quæ Universis Gentibus missa est in verba & mentem S. Jacobi ad hunc modum concipitur: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba scribentes per manus eorum Apostoli & Seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem &c. Visum est enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponentes vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum & sanguine & suffocato & fornicatione: à quibus custodientes vos bene agetis, Valete.* Ubi animadver-

adversione dignum, Gentes hac epistola edoceri doctrinam quam primum ab Paulo & Barnaba acceperant, scilicet *legalia non esse ad salutem necessaria*, esse orthodoxam & Catholicam: quoniam Catholico totius Ecclesiæ consensu Synodice ita decretum fuisset. Quæ forma procedendi Apostolorum dehinc instar regulæ fuit in omnibus aliis Conciliis: ita ut cuncta negotia, Catholica Communione Ecclesiarum non absoluto unius imperio definirentur, sicut decisa sunt ab Apostolis: *visum est Spiritui sancto & nobis*: non enim dicitur *visum est Spiritui Sancto & Petro.*

VII. Porro Apostolorum temporibus ratio convocandorum & habendorum eo fuit expeditior, quod per aliquot annos Apostoli semper congregati essent Hierosolymis, eoque se frequenter ad conferendum de Ecclesiæ negotiis referrent: unde colligi non potest mandato unius Petri, sed omnium Apostolorum consensione indicta & congregata fuisse concilia. Quoad octo prima generalia, certissimum est ab Imperatoribus Christianis indicta consensu Romani Pontificis. Cum enim Primatus Petri sit juris divini quo ad Institutionem, certe regulariter & ordinarie Synodi generales absque consensu Papæ legitime petito celebrari non debent: Idque

praxis

praxis Ecclesiæ primitivæ demonstrat, & canon Ecclesiasticus, quem Julius I Papa commendat apud Socratem *lib.* II. *cap.* 5. & 13. nec non apud Sozomenum *lib.* III. *cap.* 9. *Historiæ.*

VIII. Quo canone non edicitur, Papam absolutam aut pure monarchicam habere potestatem in Conciliis, adeo ut illo renitente nulla omnino celebrari queant, sicut Bellarminus imaginatur I de Conciliis *cap.* 12. & 13. sed tantum indicatur œcumenicam aut universalem Sanctorum Communionem, non posse in Synodis generalibus legitime elici aut concludi, quin Episcopus Romanus ad eas evocetur, ejusque consensus legitime petatur. Hercle si ad naturam generalis Concilii attendamus, canon ille quo statutum perhibetur Synodum universalem absque Episcopi Romani sententia haberi non posse: non multo impensius Romano quam aliis Patriarchis aut Episcopis gratificatur: quoniam ex Christi & Apostolorum Institutis, certissimum est, neque Concilia generalia haberi: neque Canones Ecclesiasticos formaliter & complete constitui posse absque aliorum Episcoporum sententia: qui etiam omnes vocari & admitti debent ad Concilia generalia. Neque vero existimari oportet Papam hic regnum possidere, ut solus Canones dare

dare possit Ecclesiis, quemadmodum Rex Franciæ verbi gratia leges toti regno suo edicit: Nihilominus in vim & consequentiam naturæ primatus, de quo Axiomate XXXI Apologiæ nostræ, ultro concedimus, Papam per sese aut legatos suos debere regulariter & ordinariè Synodis generalibus præesse: Idque si facere recuset, atque Ecclesiæ necessitas exigat ut Synodus celebretur, contendimus Ecclesiam, quæ est sibi ipsi efficaciter sufficiens, posse suum jus persequi: *Quando claves possidet architectonice, per dominium, proprietatem, originem, & propagationem: quas etiam ipsimet Pontifici quem deligit revera & formaliter confert*, ut alias probabitur. Verum quando & à quibus ille canon conditus fuerit non liquet: sed ex vulgari axiomate *quod dat esse dat formam consequendi ad esse*, proclive colligimus ordinis atque unitatis vindicandæ causa, hunc honorem primatui esse deferendum. Julius I. PP. omnium primus meminit hujus canonis quem adversus Synodum Antiochenam quæ S. Athanasium cum Synodo Nicæna damnaverat, distrinxit.

IX. Epistola Ægyptiorum ad Felicem Papam eundem Canonem Patribus Nicænis ideo adscribit, ut arbitror, quod Nicæna prima est Synodus generalis, quam Ecclesia, sedatis publicis persequutionibus Impe-

Imperatorum, habuit: verum tamen non extat inter alios Genuinos Canones Nicænos. Sane hæc Epiſtola Ægyptiorum duabus potiſſimum de cauſis non eſt indubitatæ fidei: prior quoniam permulta diſciplinæ Canonum Nicænorum penitus contraria memorat: qui ergo fieri potuit, ut quo tempore Nicæni Canones, haud ferme aliter quam ſacra Euangelia ſervabantur ab omnibus Epiſcopis, iſthæ epiſtola ſcriberetur? Poſterior ratio, quia eadem Epiſtola neſcio quid tinnit de hoc Canone factionibus Arrianorum combuſto: quæ narratio teſte Bellarmino lib. 11. de Romano Pontifice cap. 25. circa medium, *non eſt vere ſolida*. Conſule Baronium Tomo tertio ad annum. 357. *num*. 53. Deinde conſtat ex Epiſtola Patrum Africanorum ad Cæleſtinum I Patres Nicænos viginti duntaxat Canones condidiſſe, ut infra probabitur *cap*. 6. *numero* 16. Jam monui Julium P.P. omnium primum mentionem feciſſe hujus Canonis, neque eum in Synodo Nicæna editum perhibere: dehinc Jure & conſuetudine tanquam primatui conveniens, à Socrate & Sozomeno in Hiſtoriam Eccleſiaſticam relatus, & merito ab omnibus probatus eſt.

X. Forma conſtituendæ diſciplinæ Actis Apoſtolorum conſecrata, ſic ad poſteritatem

tem transmissa est, ut quandiu Ecclesia bacchantibus persequutionibus delituit in Cryptis, Episcopi singularum procinciarum, cum Synodos generales habere nequirent, nascentes controversias Synodis provincialibus definirent, sicut est B. Cypriani Epistolis, & Historia Eusebii dignoscimus. Unde trecentis primis seculis, nullæ unquam hæreses absque Synodorum præsidio & definitione expugnatæ sunt ut supra ostendi ex Bellarmino. Verum parta pace Constantini Magni principatu, sub octo primorum Conciliorum generalium decursu, Patres hac via & ratione processerunt, ut generalem Ecclesiarum *Contesserationem* ad sedandas controvesias inirent, quemadmodum loquitur Tertulianus. Quam primum enim aliquod in Ecclesia dissidium emergebat, omnes Episcopi in generalem conventum confluere, & communi ac generali Spiritu Ecclesiæ, dogmata & motus privatorum hominum probare aut improbare solebant. Quo circa conformiter ad quintum Canonem Nicænum, & secundum Constantinopolitanum, suas Synodos provinciales primum cogebant: quibus si dissidia suborta minus opportune & commode possent definire, ampliorem atque universaliorem sanctorum communionem perfugio habebant: consulendo Ecclesias affines, quæ ejus-

ejusmodi turbinibus minime quatiebantur: & præsertim sedem Romanam, tum propter ejus eminentiam, cum propter Canonem supra laudatum. Itaque Romanus Episcopus certior factus ejusmodi dissidiorum, juxta disciplinam octo primis universalibus Conciliis servatam, solebat pariter sanctorum communionem inire, hoc est, vel suam Synodum Metropolitanam aut Patriarchalem in unum cogere, vel singulis Metropolitis suo Patriarchatui subjectis privatim mandare, ut ad decisionem enatæ controversiæ suas Synodos provinciales indicerent, ac summam rerum omnium, duæ ibidem Synodice statuerentur, mitterent Romam ad sedem Apostolicam. Quæ agendi ratio, nobis clarissime demonstrat, *quidnam proprie & ex Apostolorum Institutis sit negotia Ecclesiastica tractare, definire, aut decernere ex cathedra.* Porro ubi Pontifex consensum & communionem Ecclesiarum sui Patriarchatus in hunc modum subduxisset, si generalis Synodus celebraretur, legatis suis sententiam totius occidentalis Ecclesiæ perferendam dabat: hæcque sententia illis erat pro justa & legitima instructione aut suggestione, ut Patres sextæ Synodi loquuntur nequaquam vero aliquid à proprio motu & arbitrio Papæ manans, quasi in scrinio pectoris sui omnia Jura contineret, ac solus

ſolus eſſet infallibilis, ſicut Bellarminus perſuadere laborat, ſecundo de Conciliorum auctoritate, *cap.* 11 Quandoquidem unus & ſolus Papa Catholicum conſenſum & ſanctorum communionem vel Synodale decretum condere nequit: quia Canones natura ſua plurimorum conſenſionem & voluntatem, ſicut denarius numerus verbi cauſa, decem unitates in unum compactas, continet. Unde Cyprianus de Unitate Eccleſiæ, *Epiſcopatus tenuis eſt cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*, *can. loquitur*. 24. *queſt*. 1. adi titulum primum Nomocanonis Photii, *cap.* 4. Ut autem ſuperiora exemplis adjuvemus, in ſexta Synodo Generali actione quarta legimus ſuggeſtionem Synodalem quam Agatho Papa legatis ſuis perferendam dedit, ut ejuſdem Agathonis nomine, atque Epiſcoporum Patriarchatui Romano ſubjectorum ad Cæſarem Pogonatum deferretur: quam in rem plura diſputabuntur in hiſtoria ſextæ Synodi: tantiſper lector judicium ſuſpendat,& ſi perſpectum habuerit me aliquid falſi, aut minus veri de induſtria proferre aut etiam cavillationes conſerere: volo nulla in re mihi fidem adhiberi. Ad iſtius diſciplinæ Apoſtolicæ comprobationem accurrit & Eccleſiæ conſuetudo, qua edocemur antequam Concilia univerſalia haberentur, ſemper in more poſitum ut in

ſingulis provinciis Synodi particulares haberentur, quod ipſemet Bellarminus teſtificatur ſecundo de Conciliis *cap.* 19. Idque neceſſarium eſt, ut qui ad generale Concilium proficiſcuntur, conſenſum ſuarum Eccleſiarum deferant, atque univerſalis Synodus vere Catholicam Eccleſiam repræſentare dicatur, juxta decretum Synodi Conſtantienſis Seſſione quarta, & quinta. His & accedit Nicolai I. PP. auctoritas Epiſtola ſeptuageſima ad Hincmarum Rhemenſem & alios Epiſcopos Galliæ, quos ſuper nonnullis Græcorum obtrectationibus conſulit, qui *Latinis* improperio vertebant, *quod jejunarent Sabbato: quod docerent Spiritum Sanctum à Filio procedere, &c.* Quam ob rem Nicolaus Archiepiſcopum Rhemenſem rogat, ut per univerſam Galliam Synodos cogi curet ſuper hujuſmodi Controverſiis, atque ſententiam Epiſcoporum Galliæ Romam mittat. En propria verba Nicolai ſub finem Epiſtolæ: *Tua vero frater Hincmare pietas, cum hanc Epiſtolam legerit, maxime curet ut ad alios Archiepiſcopos qui in Regno Filii noſtri Caroli Glorioſi Regis conſiſtunt deferatur: ac id ſummopere agere ſtudeat, ut de his ſinguli in diœceſibus ſuis una cum ſuffraganeis ſuis in cujuſcumque regno ſint, conſtituti convenienter tractare, & nobis quæ evenerint ſuggerere curent: nos incitare non negligant. Ita ut eorum omnium*

quæ

quæ præsentis Epistolæ circumstantia continet, tu ut strenuus exequutor illis existas, & apud nos verax & prudens Scriptorum tuorum serie relator inveniaris. Datum X. Kalend. Novembris, Indictione 1. Quæ Nicolai scriptio nobis clare disciplinam seculo octavo post Christum natum servatam ad Sanctorum Communionem & consensum Ecclesiarum indagandum consignat: ostenditque formam Aristocratici Regiminis tempore octavi Concilii generalis sub Nicolao I & Adriano II servatam, sic invaluisse, ut facultas infallibilis decernendi à Sanctorum communione & Catholico omnium Ecclesiarum Consensu necessario peteretur: ut petendam esse voluit Dominus Matthæi 18. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum:* quo frequentibus Synodis charitas foveretur omnesque Ecclesiæ sese mutuo ad pietatem, unitatem & disciplinam custodiendam includerent ac censuram in se invicem exercerent, ut revera exercebant.

CAPUT. II.

I. *Constantinum magnum velut communem Episcopum exteriorum negotiorum, Nicænam Synodum indixisse, eique præsedisse ad ordinem constituendum.*

II. *Quidnam, & cujusnam sit Synodum indicere.*

III. *Vallii rationes difflosæ, qui Papæ consensum pro auctoritate usurpat atque Indictionem à Convocatione aut*

Coactione Synodi contra mentem omnium antiquorum argute distinguit.

IV. *Ecclesiæ primitivæ temporibus singuli Patriarchæ Episcopos suo Patriarchatui subjectos privatim convocabant ad Synodum, postquam Imperator Concilium Metropolitanis Provinciarum indixisset.*

V. *An Synodus Nicæna sub Sylvestro aut Julio habita fuerit.*

VI. *Utrum Patres Nicæni Confirmationem Actorum petierint à Sylvestro PP.*

VII. *Epistolam Synodalem Patrum Nicænorum ad Alexandrinam Ecclesiam multa scitu digna continere.*

VIII. *Alexandrum Patriarcham Alexandrinæ Ecclesiæ, Synodo Nicænæ cum aliis Patriarchis præsedisse: & quidnam sit proprie acta Conciliorum confirmare.*

IX. *Canones Nicænos clare demonstrare regimen Ecclesiæ esse aristocraticum, & principatum electivum: & de ratione ordinandorum Episcoporum Metropolitanorum & Romani Pontificis.*

X. *Quinto Canone Nicæno jus commune declarari, atque appellationes ab Episcopis ad Synodum provincialem, & à provinciali ad generalem institui.*

XI. *Sexto Canone Nicæno, quo sedium Patriarchalium privilegia explicantur, monarchiam recentiorum plane explodi.*

XII. *Quid causæ habuerint Patres Nicæni ut sextum Canonem conderent.*

XIII. *Quidnam Ruffinus per Ecclesias suburbicarias designarit: & Romanum Patriarcham, sicut & alios Patriarchas, tribus modis posse considerari, nempe ut Episcopum Romanæ diœcesis, ut Archiepiscopum, & Patriarcham.*

XIV. *De prima sedium patriarchalium institutione & distributione orbis Christiani in metropoles, & quinque Patriarchatus, juxta metropoles atque diœceses Romani Imperii.*

XV. *De Ecclesiæ Hierosolymitanæ privilegiis.*

XVI. *Romanam Ecclesiam sumi pro particulari non pro*

uni-

universali Ecclesia à Patribus Nicænis.

XVII. *Anastasium Bibliothecarium quinque sedes Patriarchales quinque sensibus humani corporis & visum sedi Romanæ privatim comparare.*

XVIII. *Quondam omnes Patriarchæ Conciliis generalibus, sicut Præsides Actionibus Parlamentorum, præsidere consueverant: & Romanus Patriarcha solam sedis atque suffragii prærogativam super alios obtinebat Patriarchas.*

XIX. *Quo sensu & à quo tempore nomen monarchæ tributum sit Romano Pontifici.*

XX. *Patres Nicænos prohibere duos Episcopos uni regendo Episcopatui præfici & de S. Augustino qui se in hunc Canonem impegisse dolet.*

XXI. *Quanta religione Patres Antiqui Canonem de non transferendis Episcopis ab una sede in aliam sedem observarint: & quantam occasionem Romana Curia inde captarit, ut suam adaugeret potentiam.*

XXII. *Arabicos Canones quos Turrianus & Alphonsus Pisanus Synodo Nicænæ adscribunt, penitus esse adulterinos.*

I. QUamquam integra acta Nicæni Concilii ad nos minime pervenerint ut de gestis trecentorum octodecim Patrum Sanctissimorum sigillatim dissseramus: (Nam Historia Gelasii Ciziceni genuina acta minime continet) verumtamen facile est de hac re ex illorum temporum Historicis statuere, qui testantur Nicænum Concilium celebratum circa annum Domini 325. adversus Arrium Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum: qui cum Argutiis Dialecticorum innutritus esset, atque contra regulam Augustini *Scripturas potius huma-*



nis rationibus quam scripturæ auctoritate exponeret, Christum creaturam esse contendebat. Quæ disputationis flamma, cum Ecclesiam Alexandrinam primum incendisset acsensim totum Orientem ut callidissima, ut levissima sunt illorum hominum ingenia, pervaderet, *Constantinus magnus* VELUT COMMUNIS EPISCOPUS, *ut pacem Ecclesiis redderet, ac disciplinam Ecclesiasticam sanciret Synodos convocavit, & in consessu Episcoporum sententiam dixit.* Auctore Eusebio lib. primo vitæ Constantini capite trigesimo septimo: Deinde *Nicænam Synodum coëgit, Episcopos undequaque honorifice accivit, jumentis, comeatu, atque aliis rebus necessariis juvit: diemque Episcopis præstituit, ad quem de rebus fidei controversis decideretur: eleganti oratione de pace concilianda Synodum aperuit: dissidium inter Episcopos subortum, & ad se ab Episcopis delatum placavit, tumque demum* CONCILII DECRETA SUO SIGILLO RATA FECIT. lib. tertio vitæ Constantini à cap. sexto ad vigesimum quartum: Ruffinus lib. primo & secundo, Socrates lib. primo cap. quinto & sexto. Thedoretus lib. primo cap. septimo & Sozomenus lib. primo capite decimo sexto Historiæ. Quæ etiam confirmantur XI. *quæst.* 1. *can continua*, §. *Constantinus Imperator* PRÆSIDENS IN SANCTA SYNODO *quæ apud Nicænam congregata erat, cum querelam*

lam quorundam conspiceret coram se delatam ait, vos à nemine diiudicari potestis, quia ad Dei solius judicium reservamini. Item *can. futuram* **12.** *quæst.* **1.** §. IDEM VERO PRÆSIDENS IN SANCTA SYNODO *apud Nicæam congregata &c.*

II. Quibus ex testimoniis indubitatis claret *Indictionem, Convocationem, & præsidentiam Concilii Nicæni, ab Constantini Magni auctoritate dependisse.* Enim vero Sozomenus nominatim ait, *diem certum præstituisse Episcopis ad quem de rebus fidei controversis decideretur.* Quæ clausula, vim atque notionem indictionis Conciliorum explicat: hoc enim nihil aliud est quam diem certum præstituere & addicere Episcopis ad agendum: Idque proprium est politici Magistratus tanquam auctoritatem habentis ad cogendum restitantes, ut singulorum Conciliorum Historia patebit.

III. At vero Baronius, Severinus Binius, auctor etiam præfationum Historicarum quæ singulis Conciliis Romanæ editionis præponuntur, valde anhelant ut demonstrent Synodum, Nicænam auctoritate Sylvestri PP. indictam, nihilque præter vanos conatus venditant. Magister quoque Andræas Vallius idem saxum infeliciter movet, quia quæstionem facti, id est centesimam Ecclesiæ praxin scholæ argutiis & cavil-

cavillationibus implicat: atque ex iis quæ hodie videt fieri in magna conturbatione Ariſtocratici regiminis Eccleſiæ, de primitivæ Eccleſiæ uſu pueriliter & ſine judicio garrit: *Aſſerendo eſſe de fide, ſolum Pontificem Romanum poſſe Concilium Oecumenicum juridice & auctoritative convocare: & quando dicitur Principes aut Imperatores congregaſſe Synodos, hoc intelligi debere per modum auctoritatis exequutivæ: quia Principes ſunt Exequutores voluntatis Papæ, & legum Eccleſiaſticarum.* unde infert: *Quamquam indicere & congregare ſæpe idem ſignificent, tamen indictionem proprie ad Papam pertinere, cujus eſt præcipere: congregationem vero ad Imperatorem cujus eſt exequutioni mandare decretum Papæ.* Inſuper attexit ex Synodo ſexta, generali actione decima octava in ſermone acclamatorio ita legi: *Conſtantinus ſemper Auguſtus & Sylveſter laudabilis magnam, atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant, &c.* Hæc Vallius *quarta parte quæſtione ſecunda libri de ſuprema poteſtate Papæ*: Neque homo obnoxius attendit; τὸ *congregabant*, æque de Sylveſtro quam de Conſtantino uſurpari in ſermone acclamatorio: & preſſe loquendo *indicere nihil aliud eſſe quam diem certum ad agendum præſcribere*: hocque Sozomenum ſupra laudatum Conſtantino, & nuſpiam Romano Epiſcopo tribuere. Subjungit Vallius, Ruffinum ſcribere *Conſtantinum*

ex

ex Sacerdotum ſententia apud urbem Nicæam Epiſcopale Concilium convocaſſe: hæc enim genuina ſunt verba Ruffini lib. primo, cap. 1 Hiſtoriæ: Vallius autem de ſuo adglutinat: *id factum Sylveſtri atque Hoſii Cordubenſis Epiſcopi impulſu & ſuaſione: quia tunc Hoſius legatione fungebatur apud Imperatorem eoque familiariter utebatur.* Porro, ſicut ego ultro annuo Sylveſtri atque aliorum Epiſcoporum conſilio & ſuaſione Canſtantinum ad Synodi indictionem incenſum: atque ex Canone Eccleſiaſtico, capite præcedenti laudato, totum hoc negotium de conſenſu & ſententia Sylveſtri atque aliorum Metropolitanorum confectum: ita plane nego Synodum Nicænam alterius quam Conſtantini auctoritate indictam & congregatam: ratio eſt, quia juxta morem atque uſum primitivæ Eccleſiæ, florente Imperio Romano, conſenſus ab auctoritate hoc ipſo diſtinguitur, quod hæc in ſolo Principe politico tanquam gladio armato reſideret ad repugnantes cogendos: conſenſus autem & ſententia nihil plane opus habet vi aut coactione externa. Quamobrem Julius I querebatur quidem Synodum Antiochenam, quæ auctoritate Conſtantini Imperatoris indicta fuerat, abſque ſententia & conſenſu ſuo habitam. Legendus Socrates lib. ſecundo cap. 5. & 13. Itaque illis temporibus cum Epiſcopi Ro-
mani

mani neque territorium neque jus gladii possiderent, certe Concilia eorum auctoritate indici non poterant, si proprie velimus uti nomine auctoritatis. Hic ergo Baronius, Vallius & alii ludificant vocis æquivocatione, atque sententiam aut consensum Episcopi Romani pro auctoritate perperam usurpant. Hoc autem tam planum efficietur historiis primæ Synodi Ephesinæ Chalcedonensis, quintæ sextæ, septimæ, & octavæ, quarum acta integra habemus, ut qui id in dubium revocant, an meridie luceat videantur negare.

IV. Procul dubio juxta disciplinam Ecclesiæ primitivæ, quam hoc libro fideliter exhibebimus, ubi imperator sua auctoritate Concilii habendi necessitatem & voluntatem suam Patriarchis & præcipuis Metropolitanis Provinciarum indixisset, singuli Patriarchæ & Metropolitani Episcopos sibi suffraganeos, quos jure communi regebant, ad Synodum generalem convocabant: ut mox ostendetur. Quod si acta Synodi Nicænæ integra haberemus sicut & aliorum Conciliorum, pronum esset os occludere adversariis: qui nisi omnem pudorem communemque sensum exuerint, inficiari non possunt. Id jure meritoque licuisse Constantino in Synodo Nicæna, quod dehinc aliis Imperatoribus qui ei successerunt

runt jure licuit. In Synodis ſubſequentibus, quas indixerunt, convocarunt, congregarunt, eiſque præſederunt ut probabitur, tantiſper lector judicium cohibeat, & interea dum Socrati auſcultet in proœmio libri quinti: *Paſſim in Hiſtoria Eccleſiaſtica Imperatorum mentionem propterea fecimus*, ait, *quod ex illo tempore quo Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa ſunt: atque adeo maxima Concilia de eorumdem ſententia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Quid obſecro lucidius? Verumtamen Bellarminus lib. primo de Conciliis cap. XIII. ſub finem huic clariſſimæ veritati cimmerias offundere tenebras nititur: Tum quia, inquit, S. Athanaſius Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes exclamat: *Ecquando unquam judicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Præterea enumerat cauſas ob quas imperatores illa prima Concilia indixerunt: primò, quia tunc illa antiqua lex imperialis vigebat quæ prohibebat omnia Collegia & frequentes hominum conventus abſque imperatoris auctoritate haberi eo quod metuerent imperatores, ne ſeditio aliqua fieret, L. 1. ff. de Collegiis illicitis. & L. Conventicula. Cod. de Epiſcopis & presbyteris. Secundò, quia cum imperatores magna ex parte toti orbi imperarent non poterat haberi Con-

Concilium nisi in aliqua urbe imperiali, unde oportebat licentiam Cæsaris obtinere: sicut etiammodo, si Concilium haberetur, extra terras Pontificis in Germania, Gallia, Hispaniis, &c. sine dubio illius consensus petendus esset, cujus illa esset civitas, aut provincia. Tertiò, quia illa prima Concilia fiebant sumptibus Imperatorum quo ad transvectiones Episcoporum ad locum Concilii, &c. Quartò, quia eo tempore Pontifex etsi in Spiritualibus esset caput omnium etiam imperatorum, tamen in temporalibus subjiciebat se Imperatoribus: quare invito imperatore, non poterat aliquid agere: sed quia eum Dominum suum temporalem agnoscebat; supplicabat ut juberet convocari Synodum. At post illa tempora istæ omnes causæ mutatæ sunt: nam nec illa lex nunc viget, nec imperatores in toto orbe dominantur, nec sumptibus publicis fiunt Concilia: nec sunt Gentiles qui impedire possint: Et Pontifex qui est caput in spiritualibus, non est subjectus imperatori aut cuiquam alteri in temporalibus: cum etiam ipse in suis Provinciis sit Princeps supremus temporalis sicut sunt Reges & Principes alii: id quod divina providentia factum est, ut Pontifex libere munus suum exequi posset, hæc ille quibus sigillatim satis dabimus. Et primum mala
fide

fide Athanaſii auctoritatem laudat: qui quidem non ibi loquitur de poteſtate convocandi aut indicendi Concilia: ſed de auctoritate Canonica ſtatuendi, quæ à ſolo libero Epiſcoporum conſenſu pendet: arguitque Athanaſius Conſtantinum Cæſarem qui Synodos per vim haberi & Epiſcopos invitos Symbolis Arrianorum ſubſcribere cogebat, terrebatque carceribus & exiliis, ut idem loquitur Athanaſius. Secundo reliquæ rationes quas promit Bellarminus, ſi rationes nuncupandæ ſunt fallunt à cauſa pro non cauſa: ſiquidem lex illa antiqua contra ſeditiones & conventicula non probat imperatorem debere Synodos indicere ſed duntaxat haberi non debere abſque permiſſu & auctoritate Cæſaris. Idemque eſt judicium de ſecunda cauſa quæ hoc ſolum exigit, ut licentia obtineatur ab Imperatore quatenus permittat ut in hac aut illa urbe celebretur Synodus. At vero acta quæ dehinc exhibebimus fideliter probabunt Cæſares non modo hanc dediſſe licentiam, ſed urbes ipſas tempuſque utile habendo Concilio præſcripſiſſe atque indixiſſe. Fruſtra quoque tertiam cauſam allegat Bellarminus, ſcilicet, Epiſcopos juvari debuiſſe Publicis vehiculis, & ſumptibus Imperatorum. An non Romanus Epiſcopus ut ſuam Majeſtatem comiter in hac parte tueretur, poterat

poterat à Cæsare mandatum aliquod impetrare circa ejusmodi vecturas & sumptus necessitatem indicendi Concilii quia sumptus istos suppeditare, aut contra quia indiceret Concilium debuisse necessario perferre sumptus. Quarto ipse Bellarminus invitus cogitur veritatem fateri, scilicet, ideo Imperatorem Concilia indixisse, quia tum Papa subditus esset Cæsari in temporalibus; hæc enim vera causa est indictionis quam Adversarii more Sepiarum atramento suo obscurare nituntur. Quinto magnum nobis pandit mysterium dum perhibet omnes istas causas quas enumeravit mutatas, & præsertim dum asserit Papam non subditum esse hoc tempore Imperatori nec cuiquam alteri in temporalibus: Idque divina providentia factum esse ut libere munus suum exequi posset. Quandoquidem, nunquam pejus Ecclesia habuit vel secundum disciplinam vel secundum mores; quam ab eo tempore quo ista quæ memorat Bellarminus contigerunt de quibus alias.

V. Sozomenus libro primo cap. decimo septimo narrat Julium I Episcopum Romanum propter ætatem ingravescentem Nicæno Concilio interesse non potuisse, sed Vitum atque Vincentium Ecclesiæ Romanæ Presbyteros, ut pro se adessent misisse. Quæ verba *ut pro se*

ades-

adessent, valde notanda sunt, demonstrant enim Episcopum Romanum eam tum non habuisse auctoritatem in Conciliis quam deinceps sibi assumpsit: neque Sozomenus ullum verbum facit de Hosio quem Baronius & recentiores Synodo Nicænæ pro Episcopo Romano præsedisse memorant; legendus Baronius tomo tertio Annalium ad annum Christi 318. numero 89. Verum ex hoc loco Sozomeni plerique inferunt Nicænam Synodum minime celebratam sub Sylvestro sed sub Julio PP. alii existimant apud Sozomenum legendum esse Sylvestrum non Julium: quam ego Controversiam lubens prætermitto, quia ad quæstionum Juris de qua sum præsertim solicitus, nihil attinet. Neque enim Nicæna Synodus majoris esse potest auctoritatis si sub Sylvestro quam sub Julio celebrata concedatur. Mihi non tantum probabile sed & certum videtur, sub Sylvestro habitam: Proboque conjecturam insertam præfatiunculæ, quæ in tomo priore Conciliorum Romæ editorum ante historiam Nicæni Concilii à Gelasio Ciziceno collectam legitur. Baronius tomo tertio Annalium ad annum Christi 325. numero sexto concludit Synodum Nicænam incœpisse Paulino atque Juliano Consulibus, & eodem anno absolutam, anno vigesimo Imperii Constantini ac proinde unum annum durasse.

VI. At

VI. At vero absolutæ Monarchiæ patroni ut demonstrent Synodum Nicænam non à Sanctorum Communione & consensu universali Patrum, sed ab infallibili auctoritate Sylvestri Papæ robur hausisse, contendunt antequam Nicænum Concilium dissolveretur, Patres Concilii Symbolum Nicænum & Canones misisse ad Silvestrum PP. huncque in Synodo Romana CCLXX Episcoporum Synodum Nicænam confirmasse: ita Baronius, Binius, & auctor Præfationum Synodicarum editionis Romanæ; sic enim illum deinceps nuncupabimus: qui quidem ad suæ opinionis confirmationem Dionysium Exiguum laudat in Præfatione Nicæni Concilii: cum Synodali Epistola quam curavit excudi ad calcem Nicæni Concilii editionis Romanæ, sicque concipitur: *Beatissimo Papæ Urbis Romæ cum omni reverentia colendo Sylvestro Hosius Episcopus Provinciæ Hispaniæ civitatis Cordubensis, & Macarius Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Victor & Vincentius presbytari urbis Romæ ordinati ex directione tua. Quoniam omnia corroborata de divinis misteriis Ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ ad sedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta scribere confitemur: nunc itaque ad vestræ sedis augmentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra Apostolica doctrina Episcopos totius vestræ Apostolo-*

ſtolicæ urbis in unum convenire, veſtrumque habere Concilium, ſicut docet myſtica veritas, ut firmetur noſtra ſanctimonia graduſque fixos vel textus ordinationis tuæ ſanctimoniæ noſtra poſſit habere regula: quoniam decet numerum dictorum tuorum Coëpiſcoporum à te diſcere gradus vel ordines conſtituere urbis. Quicquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro univerſo Concilio. Data octavo Kal. Julias, accepta 13. Kalend. Novembris, Paulino & Juliano ſummis conſulibus. Hanc Epiſtolam quam Synodicam fabulantur prompſimus ex editione Conciliorum Petri Quentel Typographi Colonienſis anni 1538. ex recognitione fratris Petri Crabe: extatque etiam in editione Laurentii Surii facta Coloniæ anno 1567. ubi notatur memoratam Epiſtolam *tractam eſſe ex Bibliotheca Conventus Dominicanorum Colonienſium.* Auctor autem præfationum Synodicarum eam in Romanam editionem Conciliorum conjecit, varieque interpolavit, neque tamen ullum ei ſenſum verum & tolerabilem affingere potuit; ſed ejus argumenta ad Lydium lapidem probemus atque in primis Dionyſius Exiguus non ea refert quæ ille memorat: & quamquam referret, Exiguo fidem haberemus exiguam, niſi eam fulciret aliquo probato & antiquo teſte. Hæc ſunt verba Exigui in corpore Canonum edito Moguntiæ adverſus Lutheranos anno 1525. & Pari-

ſiis ab Adriano Beys anno 1609. Nam de Synodo Nicæna ſic ait: *Facta eſt autem hæc Synodus apud Nicæam Bithyniæ coſulatu Conſtantini Auguſti & Licinii,* XIII. *Calendarum Juliarum, qui eſt apud Græcos* XVIII. *dies menſis eorum ſecundum Alexandriam* XXXI. *Et placuit ut hæc omnia mitterentur ad Epiſcopum urbis Romæ Sylveſtrum:* Hæc Exiguus: quæ nullo modo quadrant Epiſtolæ fictitiæ, cujus Data eſt *Paulino & Juliano Conſulibus*, contra autem Exigui *Conſtantino atque Licinio*: aliquot vero annis ante Nicænum Concilium Licinius Collega fuit Conſtantini in conſulatu. Præterea longe aliud eſt dicere ſicut Exiguus, *omnia acta Synodi Nicænæ Romam abſolute & ſimpliciter miſſa*: & aſſerere *conditionaliter fuiſſe illuc miſſa ut à Sylveſtro probarentur acque ita confirmarentur, ut robur & vis illorum omnino ab ejuſmodi acceptione & confirmatione manaret.* Hercle nemo poteſt ambigere Canones Nicænos, ſicut & aliorum omnium Conciliorum miſſos Romam: ſed hoc tantum fine, ut Epiſcopus Romanus more aliorum ſeſe illorum obſervationi, atque exequutioni dederet: quandoquidem robur & auctoritas Canonum atque omnium actorum ab univerſali conſenſu proficiſcitur, teſte S. Gregorio *diſt,* 15. *can. Sicut.* §. *dum univerſali conſenſu conſtituta ſunt.* Hic ergo auctor Præfationum ſe aut alios fruſtratur æquivocatione vocis *Canones mittere Romam.* Quis credat hoc factum fuiſſe in Synodo Nicæna quod

in

in aliis ſequentibus minime factum legitur ut ſtatim clareſcet? Secundo quod ad Epiſtolam ex Bibliotheca Dominicanorum Colonienſium exprompram attinet, tam prodigioſe falſa eſt, ut mirabile ſit hominem aliquo judicio ornatum eam pro vera & genuina laudare; cum impoſſibile ſit eam ſcriptam eſſe à tam Sanctis & doctiſſimis Patribus: quippe quæ ænigmati potius quam Epiſtolæ ſimilis, tantaque barbarie, hyperbatis & abſurditatibus inquinata ſit, ut nemo ullum probabilem ſenſum inde tundendo atque extundendo exprimere queat. Hocque ut Baronius & auctor præfationum excuſent, objiciunt valde corruptam eſſe, atque in antiquis Codicibus manuſcriptis Creſconianæ Collectionis reperiri: quare ut eidem aliquid auctoritatis allinant, & concilient, varias complent lacunas ex animi ſui arbitrio, nec unde ſuas emendationes hauſerint admonent: imo vero cum in editione Quenteliana, Crabbina, & Suariana legatur: *Macarius Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*; illi interpolant *Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ*: recte quidem, tum enim nondum erat condita Conſtantinopolis. Tertio, ſi gratuito demus hanc Epiſtolam extare in manuſcriptis codicibus Creſconianæ collectionis Canonum quid inde ſpei adfulgebit adverſariis? Cum ex ejuſmodi Epiſtola, ſi integer & illibatus ſenſus eliceretur, qualem exprimere conantur homines

 obnoxii,

obnoxii, attamen eidem omnis fides derogaretur, propterea quod hæc praxi ecclesiasticæ disciplinæ in aliis sequentibus Synodis usitatæ penitus repugnant ut statim patebit. Si enim Patres Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, quinti, sexti, septimi, & octavi Concilii minime petierunt confirmationem actorum à Romano Pontifice, quanto minus Patres Nicæni à Sylvestro? Equidem cum maximo animi mœrore dicere cogor, nullos extare libros in quibus tot tantaque fictitia & adulterina scripta, quam in tomis Conciliorum legantur & illos qui ejusmodi ambiguis atque suspectis scriptionibus & Epistolis auctoritatem sedis Apostolicæ tueri nituntur, eidem non mediocriter incommodare: Nam qui semel deprehensus est in mendacio, postea ei non facile habetur fides. Cæterum quando nullus antiquus & probatus scriptor refert Hosium Cordubensem nomine Sylvestri Nicæno præfuisse Concilio, hercle qui ex Episcoporum subscriptionibus quæ circumferuntur id firmare volunt, obscurum per obscurius probant: quoniam ejusmodi subscriptiones tam suspectæ sunt fidei, quam epistola ex Bibliotheca Dominicanorum Coloniensium eruta: sunt enim ita corruptæ, atque incertæ ejusmodi subscriptiones, ut nulla eis insit fides.

VII. Sed ut contrariorum oppositione veritas magis exsplendescat fictitiæ Epistolæ Sy-

Synodali veram atque indubitatam Patrum Nicænorum ad Ecclesiam Alxandrinam subjungam, quæ legitur apud Socratem lib. primo cap. sexto, & Theodoretum lib. primo, cap. nono. *Quoniam Dei gratia & mandato Sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex variis civitatibus & provinciis in unum congregavit, magnum & Sanctum Concilium Nicænum coactum est: necessarium videtur ut à toto Sacro Concilio literæ ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere cum ea quæ in controversiam adducta & exquisite desceptata sunt, tum quæ decreta & constabilita. Primum impia & perversa dogmata Arrii eorumque qui ejus sectam sequntur coram Sanctissimo Imperatore Constantino perquisita sunt: unde placuit Concilio communibus suffragiis anathema denunciare ejus nefariæ opinioni, & verbis sententiisque execrabilibus quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis afficiendum, &c. Verum cum Ægyptus non modo illa opinionis perversitate, nequitia, & blasphemia, sed etiam certis hominibus qui in populo vitam ante illud tempus pacate & tranquille degente seditionem & discordiam concitare non veriti essent, Dei gratia penitus liberata esset: tamen adhuc pertinax inscitia tum Meletii, tum eorum quibus honores Ecclesiasticos detulerat, de qua re quid Concilium decreverit, fratres Charissimi, sic habetote: Concilium clementius aliquando in Meletium animatur (nam si accurate in eum inquisitum fuisset, nihil certe commeruisset veniæ) decernit ut in propria ac sua civitate remaneat, nullamque*

habeat potestatem vel cuiquam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Ecclesiasticum deligendi: vel in aliena regione civitateve ejus rei gratia commorandi: sed ut solum dignitatis & officii nomen retineat: illi autem qui ab eo presbyteri designati sunt, simulatque sanctiore ordinatione confirmati fuerint: hac conditione in Ecclesiæ Communionem admittantur: nimirum ut Ecclesiasticæ dignitatis & ministerii gradum habeant illi quidem: sed tamen omnibus Presbyteris in singulis Provinciis & Ecclesiis versantibus qui sunt ab honoratissimo Viro & Collega nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores. Quinetiam ut nulla illis potestas sit eos ministros Ecclesiæ designandi, qui ipsorum probentur arbitrio: neque nominationem penes se habeant eorum qui sint ad Ecclesiæ munera obeunda deligendi, neque quicquam absque consensu Episcoporum Catholicæ ET APOSTOLICÆ ECCLESIÆ QUI SUB IPSO ALEXANDRO SUNT, *omnino transigant. Hi autem qui Dei gratia & vestris precibus adjuti ad nullum schisma deflexisse comperti sint, sed se intra Cotholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fines ab erroris labe vacuos continuerint, auctoritatem habeant tum ministros ordinandi tum eos qui clero digni fuerint nominandi, tum denique omnia ex lege & Instituto Ecclesiastico libere exequendi. Quod si quispiam forte eorum qui Ecclesiæ funguntur muneribus diem suum obierit, tum unus ex illis qui nuper in Ecclesiam asciti sunt, modo idoneus videatur & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur*

getur, atque adeo populi electionem confirmet, in locum succedat demortui. Atque sit illud aliis quidem omnibus concessum. De Meletio autem nominatim aliter decisum est, ut videlicet cum propter insolentem audaciam qua antea Ecclesiæ statum perturbaverit, tum propter temeritatem & mentis inscitiam quam palam ostenderit, nulla potestas auctoritasve ei tribuatur, quippe cum homo is sit, qui eandem perturbationem in Ecclesiam denuo possit inducere: atque ista decreta ad Ægyptum & Sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam proprie & separatim referuntur. Quod si aliud præterea quidpiam dum honoratissimus Dominus & Collega & Frater noster Alexander una adest, sancitum & statutum fuerit, ipse utpote QUI REBUS DECISIS CUM PRÆFUERIT, *tum communicarit, vobis coram accuratius renunciabit. Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo Festo Paschatis celebrando attinet, scitote quod vestris precibus controversia de re suscepta prudenter & commode sedata est, ita ut omnes fratres qui Orientem incolunt, quique Judæorum consuetudinem ante in eo festo servando imitari solent, jam Romanos, & omnes vos, qui eundem morem quem nos in illo recolendo deinceps sedulo sequuturi. Quocirca vos cum ex his rebus, tam prospere gestis, tum ex pace & Concordia communiter inter omnes constituta, tum denique quod omnes hæreses quasi fibræ penitus excisæ sunt lætitiam capientes, majore honore & amore ardentiore Alexandrum Collegam nostrum & vestrum Episcopum complectimini: qui dum aderat,*

nobis

nobis permagnæ voluptati fuit, permultumque laboris ut in ea ætate suscepit, quo Ecclesiæ vestræ statum ad tranquillitatem traduceret. Pro nobis omnibus etiam preces ad Deum fundite: ut quæ rite constituta & decreta sunt ea rata stabiliaque permaneant: Dei Patris omnipotentis & Domini nostri Jesu Christi auxilio una cum Spiritus Sancti gratia: Cui gloria in Secula Seculorum. Amen. Hactenus Patres Nicæni: similiter Constantinus Imperator literas misit ad Alexandrinam Ecclesiam ejusdem plane argumenti quas habes apud Socratem eodem libro & capite: sed veniamus ad Analysim. Primum constat Patres æmulatione Apostolorum Actor. 15. hanc scripsisse Epistolam, siquidem ut Apostoli viros selectos cum Epistola Synodali pro ineunda pace & concordia inter Judæos & Gentes miserunt Antiochiam ac B. Pauli & Barnabæ doctrinam velut orthodoxam prædicant: ita Patres Nicæni Patriarchæ Alexandrini virtutem atque doctrinam hac Epistola Synodali laudant, & præstant. Secundo significant Synodum mandato seu edicto Constantini congregatam atque illo præsente omnia, exquisite & Canonice disceptata, perquisita, & decreta fuisse. Tertio, communibus Patrum suffragiis non unius absoluti Monarchæ Imperio, hæresim Arrii damnatam, eique dictum anathema, declarant. Quarto transeunt ad factum Meletii Episcopi Lycopolitani, civitas est Ægypti, de quo sic Socrates lib. primo

mo capite tertio, ſub finem Epiſtolæ Alexandri Epiſcopi Alexandriæ ad omnes Epiſcopos; *Commiſcebantur Arrianis Meletiani, qui non multo ante fuerant ab Eccleſia ſegregati: Meletius regnante Diocletiano cum tempore perſequutionis fidem inficiatus idolis immolaviſſet, munere Epiſcopatus à Petro Alexandriæ Epiſcopo qui mortem obiit martyrio, abdicatus eſt: ac ſe ducem Hæreſis Meletianæ præbuit, ſuitque Meletius cum ſuis Arrio ſubſidio, cumque illo una contra Epiſcopum Alexandrinum conſpiravit & tyrannidem exercuit*, ut ait Theodoretus lib. primo cap. nono hiſtoriæ: Nam Meletius ſibi Epiſcoporum Thebaidis atque Ægypti ordinandorum facultatem contra conſuetudinem & Canones arrogabat quam ob cauſam hîc cogitur in ordinem à Patribus Nicænis. Unde facile eſt colligere hanc Meletii tyrannidem occaſionem præbuiſſe Nicæno Concilio condendi Canonem quartum & ſextum, ne videlicet *abſque Metropolitani auctoritate Epiſcopi uſpiam crearentur*: ſic enim voluerunt dare operam ne Epiſcopi Arriani ordinarentur: antea autem uſus alius vigebat, neque confirmatio Metropolitani in Epiſcoporum electione erat neceſſaria. Ad hæc vero qui cogitate attenderit, jure mirabitur Epiphanium hæreſi ſexageſima octava, multa potuiſſe in laudes Meletii ſcribere. Quinto notandum contra Vallium tertia parte libri de ſuprema poteſtate Papæ quæſt. ſexta circa medium ubi Cano-

nonem quartum Nicænum explicat: Patres Nicænos non abstulisse populo jus eligendorum Episcoporum, sed tantum præcepisse electionem populi & Cleri à Metropolitano confirmari, & ab Episcopis provinciæ fieri oportere. Nam dehinc semper populus in sua possessione eligendi Pastores continuavit, idque hac Synodali Epistola clare ostenditur, ubi nominatim habetur *Episcopum Alexandriæ debere populi electionem confirmare*. Sexto observabit lector, Meletium ita damnari, ut quamquam retineret dignitatem Episcopalem, tamen ejus exercitio interdiceretur: adeo ut nec sacerdotes consecrare, nec aliud munus Episcopale obire posset. Præterea quos ipse ordinarat non admittebantur ad res Ecclesiasticas capessendas priusquam sanctiori ordinatione atque manuum impositione consecrarentur. Septimo, Alexandrinam Ecclesiam Apostolicam vocari à Patribus Nicænis. Octavo valde notabile est Episcopum Alexandrinum dici non modo præfuisse, verum etiam communicasse actis Synodalibus: quæ duo apprime notanda videntur quia potest accidere quempiam præesse alicui conventui, qui tamen consensum minime iis præbebit quæ communibus suffragiis decernuntur: ut si verbi causa Senatusconsultum fieret in Parlamento contra sententiam Præsidis, quod potest contingere.

VIII. Hinc autem claret Alexandrum

Epis-

Episcopum Alexandrinum velut Patriarcham Concilio cum aliis Patriarchis, ut Præsides solent in actionibus Parlamenti præsedisse, Contextum Græcæ Synodalis Epistolæ de Alexandro Patriarcha hic adscribam. ἅτε δὴ ὢν κύριος, καὶ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων τυγχάνων Alexander scilicet *existens quasi Dominus aut Princeps, & communicans rebus gestis*: vel *existens Dominus rerum gestarum, eisque communicans* Christophorsonus vertit: *utpote qui rebus decisis cum præfuerit tum communicaverit*. Quæ clausula falsi arguit, Synodalem Epistolam missam ad Sylvestrum PP. quippe quæ Macarii Constantinopolitani, aut ut Baronius emendat, Hierosolymitani duntaxat meminit, atque Alexandrum omisit. Hercle Eusebius lib. tertio Vitæ Constantini cap. decimo tertio de Præsidibus Concilii numero plurali loquitur, omnesque Patriarchas intelligit: Similiter Felix III. PP. epistola v. ad Zenonem Imperatorem scribit *Eustathium Antiochenum Patriarcham in Nicæna Synodo præsidendi munus obiisse*: Ex quo relinquitur cunctos Patriarchas præsides fuisse Concilii, ut jam de Præsidibus Parlamenti monui: neque tum moris erat, ut, quos Episcopus Romanus *pro se mitteret*, sic enim Sozomenus loquitur, Patriarchis aliis præirent: hoc enim primum à B. Leone in Concilio Chalcedonensi effectum ut statim dicetur. Nono Patres memorant statutum fuisse de Paschate celebrando die Dominico,

Qui-

Quibus accurate ſubductis & cum Epiſtola nuper ex Bibliotheca Dominicanorum Coloniensium exprompta collatis, liquet iſtam plane indignam eſſe quæ doctiſſimis Patribus Nicænis adſcribatur. Decimo quod ſpectat ad Epiſtolam Imperatoris miſſam Alexandrinæ Eccleſiæ, inter alia hoc habet, quod Conſtantinus *magnam Epiſcoporum turbam ad urbem Nicæam accerſiverit, & cum illis operam dederit ut veritas diligentèr inveſtigaretur: atque omnia quæ aut controverſiæ, aut diſſenſionis materiam præbere videbantur, accurate excuſſo & exagitata fuiſſe &c.* Euſebius lib. tertio vitæ Conſtantini cap. 12. narrat optimum Principem *clauſiſſe Concilium Oratione Latine habita pro concordia, ſuamque Orationem* PRÆSIDIBUS CONCILII *conceſſiſſe, & quæ communi omnium ſententia decreta fuerant cujuſcumque etiam manu ſubſcripta & in commentaria relata fuiſſe*, capite 13. ejuſdem libri: ſubjungitque, *tum demum univerſos Epiſcopos opiparo Convivio excepiſſe, muneribus ſingulos ornaſſe.* cap. 14. & 15. *literiſque de iis quæ in Synodo Nicæna geſta fuerant miſſis ad univerſas Eccleſias edictum ſciviſſe, ut omnes decretis Synodi obſequerentur*, cap. 16. 17. 18. & 19. Quæ omnia oſtendunt Conſtantinum Imperatorem indixiſſe & convocaſſe Concilium Nicænum, eidemque præſediſſe & acta confirmaſſe. Siquidem proprie loquendo Imperatores acta Synodorum confirmare dicuntur, quando lege lata cuncta in rem judicatam tranſire jubent:

bent: quam ad rem coactione & potestate absoluta opus est qua Ecclesia Jure divino caret: Quamobrem Papæ & cæteri Patriarchæ qui præsunt Synodis, potius dicuntur concludere quam confirmare acta: ut patet etiam de Præsidibus Parlamenti: idque infra magis patebit historia aliorum Conciliorum. Cum ergo Constantinus præsens esset Concilio Nicæno, & sua sponte satis propensus in observationem Actorum, nihil opus fuit ut Patres ab illo Synodali Epistola confirmationem decretorum peterent, sicut factum legimus in Synodo Constantinopolitana & Ephesina prima.

IX. His præpositis transeo ad Canones Nicænos, eos præsertim qui nobis regimen Aristocraticum Ecclesiæ certissime conservant: de aliis enim disputare est extra præsentis operis propositum: de illorum numero infra, *Cap*, 6. ubi de historia sexti Concilii Carthaginensis agetur. Primum occurrit Canon IV. *Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia constitui: Si autem sit hoc difficile vel propter urgentem necessitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc electionem fieri: eorum autem quæ fiunt confirmationem in unaquaque Provincia Metropolitano fieri.* Quo Canone colligimus regimen Ecclesiæ esse Aristocraticum; statum vero aut principatum electivum, non hæreditarium

tarium aut resignativum: verum, quia de sacris electionibus lib. 2. Defensionis libelli de Ecclesiastica & politica potestate disseruimus, huncque Canonem ibidem enodavimus, ideo hic ab profusiore disputatione abstinebo: ut notem, sicut Episcopi à suis Metropolitanis, sic & Metropolitas ab omnibus Episcopis Comprovincialibus in Synodo Provinciali ordinari consuevisse, teste Simplicio PP. Epistola decima tertia ad Zenonem Imperatorem. Cæterum, *ab antiquo invaluit, ut Episcopus Romanus non ab aliquo Metropolitano, sed de proximo ab Ostiensi Episcopo ordinaretur*, ut auctor est Augustinus in breviculo collatione tertii diei *cap.* 2.

X. Ad regiminis Aristocratici vindicias mirum in modum facit quintus & sextus Canon quos hic ex Gentiani Herveti versione adscribam: *De iis qui à Communione segregati sunt, sive Clericorum sive Sacrorum sint ordinis, ab Episcopis qui sunt in unaquaque provincia valeat sententia secundum Canonem qui pronunciat eos qui ab aliis ejecti sunt non esse ab aliis admittendos Examinetur autem nunquid vel pusillanimitate, vel contentione vel aliqua ejusmodi Episcopi acerbitate, congregatione pulsi sint ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, recte habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia; bis in anno Synodi fiant, ut cum omnes Provinciæ Episcopi in eundem locum communiter conveniant, ejusmodi quæstiones examinentur, & sic quos Episcopum offendisse con-*

constiterit juste esse à congregatione separati apud omnes videantur, donec Episcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem perferre sententiam. Synodi autem fiant, una quidem ante Quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis purum munus Deo offeratur: secunda autem autumni tempore.

In hoc canone quinque præsertim notanda occurrunt: Primo omnia negotia iis in locis esse decidenda ubi nascuntur: & eos qui gravati fuerint sententia sui Episcopi, sive laici ad Synodum Provincialem provocare: in cujus Canonis explicationem Patres Constantinopolitani & sexti Concilii Carthaginensis accurate incubuerunt. Quorum sanctiones non sunt aliquæ novæ Constitutiones, sed Juris divini & naturales declarationes. Quocirca Episcopus Romanus cum his regulis more aliorum Episcoporum teneretur, si quid minus recte ab illo gestum erat, ab ejus sententia ad Synodum Provincialem, & à Synodo Provinciali ad Generale Concilium appellari poterat, ut Patres Africani docent & nos infra explicabimus. Secundo cavetur, ne quid ab Episcopis aliquo pravo animi motu injuste & contra Canones agatur. Tertio ut excommunicati in una Ecclesia ab aliis Ecclesiis minime admittantur propter Sanctorum Communionem quæ ubique uniformis & constans esse debet: cui regulæ cum Episcopi Romani sæpe de industria detraxissent: inde opportunam nacti sunt occasionem suas dilatandi fim-

fimbrias atque homines aliarum diœcesium attrahendi Romam: Unde Canon Arelatensis Synodi 16. *De iis qui pro delicto suo à Communione separantur ita placuit, ut quibuscumque locis fuerunt exclusi eodem loco communionem consequantur*: Et hinc illæ querelæ Patrum Africanorum adversus Zosimum, Bonifacium, & Cælestinum PP. Quarto ut facilior & accuratior esset ratio examinis, Patres Nicæni volunt bis in annos singulos haberi Synodos Provinciales: nimirum paulo ante Quadragesimam & autumnali tempore. Ex quo perspicuum evadit, in Ecclesiasticis negotiis nihil ferme relictum fuisse singularibus Prælatis, quod seorsim & extra Synodum peragerent: imo etiam quicquid privatim cum suo Clero aut Presbyterio egerant, de illo Synodice in Concilio Provinciali rationem reddere cogebantur: quoniam Synodus omnium admittebat & decidebat expostulationes. Quam moderationem gubernationis Ecclesiasticæ, utinam Prælati hodierni sibi ad imitandum proponerent & quæ Christi non quæ sua sunt quærerent typho seculi abjecto. Quinto hinc liquet Patres Nicænos nihil loci reliquisse absolutæ Monarchiæ recentiorum, & hac æquanimitate regiminis, quæ potestati ministeriali spirituali plane congruit, sibi omnium mortalium benevolentiam conciliasse ac effecisse ut nullus esset qui tum temporis non magnæ felicitati duceret si ab Ecclesiasticis judi-

judicaretur : quorum hodie judicia omnes devitare tentant, idque locum dedit appellationibus ab abusu, de quibus alias.

XI. Canon VI Nicænus ita concipitur : *Antiqui mores serventur qui sunt in Ægypto, Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus* Episcopus *horum omnium habeat potestatem : quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consultum : similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis, sua privilegia, ac suæ dignitates & auctoritates Ecclesiis serventur. Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitam sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit non esse Episcopum. Quod siquidem comelectioni, quæ & rationi consentanea muni omnium & ex regula Ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam qua delectantur contentionem contradicant,* vincant *plurium suffragia, &c. Quoniam obtinuit consuetudo & antiqua traditio ut qui est in Ælia Episcopus honoretur; habeat honoris consequentiam Metropoli propria dignitate servata.* Tres sunt præsertim partes hujus Canonis : prior versatur in explicandis privilegiis Primatiarum sive Patriarchatuum, quod nomen Patriarchatus, inquam, & Patriarchæ aliquanto post Synodum Nicænam est inventum, & primum quod sciam usurpatum in Synodo Chalcedonensi. Secunda pars agit iterum de Episcoporum electionibus & confirmationibus per Metropolitanos Provinciæ, de qua nihil aliud dicen-

 dum

dum habeo præter ea quæ ſupra obſervavi in explicatione quarti Canonis Nicæni. Poſterior pars ſpectat ad Privilegia Epiſcopi Æliæ, ſive Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Ut autem de priore prius dicamus, hic ſtatuitur unicuique Eccleſiæ ſuam dignitatem, auctoritatem & Privilegia ſervari oportere juxta locorum conſuetudinem: Id enim hæç indicant: *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat &c.* Quo etiam reſpicit Canon XXXI. & XXII. Synodi Antiochenæ: *Epiſcopus ab alia parochia in aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec à populis vi adactus, nec ab Epiſcopis coactus, maneat autem in ea, quam à Deo ſortitus eſt, Eccleſia, & ab ea non recedat ſecundum decretum prius de ea re editum Epiſcopus in alienam civitatem quæ ei ſubjecta non eſt non aſcendat, nec in regionem quæ ad eum non pertinet ad alicujus ordinationem, nec Presbyterum vel Diaconum conſtituat in locis alii Epiſcopo ſubjectis, &c.* Adde inſuper & octavum Canonem primæ Synodi Epheſinæ contra Ambitionem Antiocheni Epiſcopi, *Nullus religioſiſſimorum Epiſcoporum provinciam aliam quæ non multis retro annis & ab initio ſub ſua vel eorum, qui illum præceſſerunt manu fuerit, invadat: ſed ſi quis invaſerit, & ſibi per vim ſubmiſerit, eam reddat, ne Sanctorum Patrum Canones tranſiliantur: nec ſub ſacerdotalis muneris prætextu, ſecularis poteſtatis faſtus ſub-*

ſubeat: ne libertatem paulatim imprudentes amittamus, quam nobis proprio ſanguine dedit Dominus Jeſus Chriſtus omnium hominum liberator. Sanctæ ergo & univerſali Synodo viſum eſt, ut unicuique provinciæ pura & inviolata ſerventur jura, quæ ab initio multis retro annis habet ſecundum conſuetudinem quæ jam olim ſervata eſt. Huic Epheſino Canoni adnectenda Gloſſa Canonis *Mos antiquus. diſt.* 65. quæ ſic habet: *Dicitur in hoc Canone quod ſecundum antiquam conſuetudinem honor proprius reſervatur per ſuas Provincias Alexandrino Patriarchæ: qui ſimilis eſt Romano. Mos antiquus argumentum pro conſuetudine ſervanda, 9. quæſt. 4. can. Conqueſtus.* Ubi animadverſione dignnm, Patres Nicænos, Antiochenos, & Epheſinos loqui de conſuetudine decurſu temporis introducta, non de jure divino, aut monarchia Papæ: recte id quidem, quando diſtributio orbis Chriſtiani in certos tractus aut diœceſes, quas Patriarchatus deinceps vocitarunt, juris eſt mere poſitivi humani. Cæterum, ſi Canones Arabici quos Franciſcus Turrianus & Alphonſus Piſanus ex Lingua Arabica in Latinam converſos venditant, nulli alii ſunt uſui, ſaltem genuinam explicationem Canonis ſexti Nicæni nobis declarant, atque abſolutam Papæ monarchiam profligant Canone octavo, qui ita concipitur: *Conſtitutum eſt, ut Epiſcopus Ægypti, id eſt, Patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti,*

ti, & omnium locorum civitatum & castellorum quæ sunt circum eam, quia sic convenit: Siquidem similiter Episcopus Romæ, id est, successor Petri Apostoli potestatem habeat omnium civitatum ac locorum quæ sunt circa eam: ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est, Patriarcha potestatem habeat provinciæ illius totius & eorum locorum quæ circum eam sunt. Et in aliis item locis servari debet quod in prætetito constitutum est.

XII. Sensus ergo est, quo Jure Episcopus Romanus Ecclesias sibi subjectas gubernabat, eodem & Alexandrinum Ecclesiis sibi subjectis moderari, & similiter Antiochenum. Hic enim Patres Nicæni quasi ex noto ignotum & ex minime Controverso Controversum inferunt. Cum enim Meletius sibi tyrannidem contra Primatem Alexandrinum vindicaret, atque ordinationes per totam Thebaidem & Ægyptum faceret contra consuetudinem, Patres Nicæni istam usurpationem definiunt & circumscribunt tum ex consuetudine antiqua, tum ex more usitato Romanæ Ecclesiæ, cui nemo litem movebat de suo jure: hicque regula generalis omnibus Metropolitanis ponitur, quando decernitur, ut cunctis Ecclesiis Metropolitanis sua dignitas & auctoritas servetur juxta consuetudinem, quæ Canoni æquipollet. Et hinc claret quonam sensu dictum sit à Nicolao primo, Epistola ad Michaëlem Imperatorem *Synodum Nicænam nullum Ecclesiæ Romanæ dedisse incremen-*

crementum, sed potius ex ejus forma sumpsisse, quod particulariter tribueret Alexandrinæ.

XIII. Porro Ruffinus lib. primo Historiæ *cap.* 6. ubi Canones Nicænos explicat, absolutæ Monarchiæ fautoribus litem irreconciliabilem indixit his conceptis verbis: *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.* Quo ex loco Ruffini, permulti occasionem captant potentiam Romani Episcopi cogendi in angustum: quasi nullam aliam haberet dioecesim præter Ecclesias suburbicarias: siquidem urgent Ruffinum de iis loqui quæ viderat quæque fiebant ordinarie. A quo nodo Gordiano, Baronius ut se explicet Tomo tertio Annalium ad annum 325. numero 125. Item Bellarminus lib. secundo de Romano Pontifice *cap.* 13. fabulas comminiscuntur: hic enim inter alia contendit sensum Canonis sexti Nicæni esse, *Alexandrinum Episcopum debere gubernare illas Provincias, scilicet Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, quia Romanus Episcopus ita consuevit: Id est, quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis: sive consuevit per Alexandrinum Episcopum illas Provincias gubernare: Sic enim intellexit hunc Canonem Nicolaus I in Epistola ad Michaëlem, nec apparet ulla alia probabilis Expositio,* inquit Bellarminus: ma-

gis certe ridendus quā confutandus quoniam tota hæc ejus narratio id pro certo aſſumit quod eſt controverſum : ſcilicet *Papam jure divino eſſe abſolutum Ecclesiæ Monarcham* : & Nicolaum PP. ita Canonem Nicænum in ſua cauſa interpretari. Bellarminum quoque Cotonus ſequitur lib. ſecundo ſuæ Catholicæ Inſtitutionis, ſicque Canonem illum Gallice vertit: *Que l'Eveſque d'Alexandrie aura juriſdiction ſur les Eveſq; d'Egypte, de Lybie, & Pentapolis, comme l'Eveſq; de Rome l'a ſur luy, &c.* Latine ſonant: *Ut Epiſcopus Alexandrinus Juriſdictionem habeat in Epiſcopos Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, ſicut Epiſcopus Romanus habet ſuper Epiſcopum Alexandrinum.* Cotonus autem dum accepiſſet magnum rumorem in ſe tanquam violatorem Canonum ſpargi, tum demum in ſecunda editione ſui libri genuina verba & ſenſum reſtituit. At Baronius & Bellarminus perhibent memoratum Canonem eſſe mutilatū, eoque modo legendū quo à Paſchaſino & Lucentio legatis magni Leonis profertur actione XVI Synodi Chalcedonenſis de qua re ſuo loco. Nunc ad Ruffinum redeo, & relicta Juriſconſultis ac Philologis diſputatione de regionibus ſuburbicariis, contendo, proclive eſſe ex Conciliorum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitia videre quidnam Ruffinus per Eccleſias ſuburbicarias velit deſignare: neque puto id ſtricte ad ſuburbicarias regiones reduci oportere. Certe Theodoſius Imperator literis quibus ſecundā

Sy-

Synodũ Ephesinam convocat, Dioscoro Alexandrino Patriarchæ nominatim præcipit, ut ex sua diœcesi Ægypto nimirum, Lybia, & Pentapoli delectu habeat decem Metropolitas, & totidem Episcopos qui sese Ephesum conferant: constatq; ex actis Synodi Chalcedonensis S. Leonem magnum literas ejusdem tenoris & argumenti à Theodosio accepisse, ac proinde decem debuisse mittere Metropolitas & Episcopos ex sua diœcesi. Similiter Constantinus Pogonatus Epistola ad Donum PP. quæ legitur initio sexti Concilii generalis eidem sextum indicit Concilium, mandatque ut has mittat personas: *scilicet ex Ecclesia Romana privata tres personas: deinde ex Concilio Pontificis Romani usque ad duodecim Metropolitas, & Episcopos*: quæ verba concepta Epistolæ Imperatoris nobis declarant ex Ecclesiæ praxi Papam duobus modis posse considerari: scilicet ut Episcopum urbis quam privatĩ gubernat: deinde ut præest Concilio in quod plures Metropolitani confluunt: quandoquidem Cæsar Pogonatus explicate flagitat à Dono PP. ut duodecĩ mittat Metropolitas & Episcopos vel plures si velit. Verum quando certum est Papam alicui non præesse Concilio in quod plures Metropolitani confluunt, nisi ut Primas aut Patriarcha: inde exploratum relinquitur, Papam ut Primas & Patriarcha est, non modo suburbicariis, sed etiam aliis Ecclesiis Occidentis præfuisse. Idque clare cogno-

gnoſcitur ex Agathonis Reſponſione ad Conſtantinum Pogonatum : Nam Dono mortuo eidem Agatho ſucceſſit & Cæſari reſcribit *ſe ex ſua Eccleſia Romana privatim mittere Theodorum & Georgium Presbytoros, Joannem Diaconum, & Conſtantinum ſubdiaconum : deinde tres Epiſcopos Fratres Abundantium, Joannem, & Joannem ex proxima Synodo Apoſtolicæ ſedis: præterea ſe excuſat quod de longinquioribus Provinciis ſui Concilii familiaris propter temporis anguſtias, & adverſam valetudinem Metropolitas mittere non potuerit &c.* De quibus amplius in hiſtoria ſextæ Synodi: nobis enim indubitatam Eccleſiæ primitivæ praxim ab temporibus Synodi Nicænæ uſitatam: atque Papam tribus modis conſiderari demonſtrant; nimirum ut privatum Epiſcopum urbis Romæ, ſic enim Agatho PP. aliquot ſacerdotes cum Diacono & Subdiacono mittit ad Concilium; deinde ut Metropolitam aut Archiepiſcopum : qua ratione tres mittit Epiſcopos de propinquo ſuo Concilio: hoc eſt de Eccleſiis ſuburbicariis, quas annuatim in Synodum cogebat juxta quintum Canonem Nicænum : Tertio ut Primatem & Patriarcham : quo nomine & titulo, pro diœceſi habuiſſe Occidentem id eſt Italiam, Gallias, Africam, Hiſpanias, Septentrionem, &c. tota hac hiſtoria facile probabo. Cæterum cum ſextus Canon Nicænus Ægyptum, Lybiam & Pentapolim Epiſcopo Alexandrino ſubditas eſſe doceat: atque Ruffinus unius tantum Ægypti memi-

meminerit: & nominatim asserat Alexandrinum Episcopum eo modo regere Ægyptum quo Romanus Ecclesias suburbicarias gubernat: Id argumento est, Ruffinum loqui duntaxat de Alexandrino, & Romano Episcopis, veluti Metropolitis & Archiepiscopis, non autem velut Primatibus aut Patriarchis.

XIV. Magna quidem pugnatur contentione inter Recentiores de sedium Patriarchalium Institutione, & cur Apostolicæ dicantur. Tertullianus de Præscriptionibus passim, & præsertim *cap.* 21. Apostolicas Ecclesias & Matrices vocat quas Apostoli fundarunt: *Si hæc ita sunt*, ait, *constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis Matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandum: id sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit*. Et capite 36. *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, &c.* S. Augustinus lib. II de Doctrina Christiana cap. 8. ostendit sedes Patriarchales dici Apostolicas: *Quisquis in Canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurimi auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt quæ Apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt &c.* Quem textũ Gratianus in Decretum conjecit. *dist.* 19. *can. in Canonicis*, eumque ut de more habet interpolavit, quo solam sedẽ Romanam vocari Apostolicam probaret: sed

juſſu Gregorii XIII textus ille ſuo nitori ex genuino ſenſu auctoris reſtitutus eſt. Hercle antiquitus omnes ſedes Patriarchales Apoſtolicæ nuncupabantur: & Romana ad diſtinctionem aliarum: ſedes Apoſtolica urbis Romæ, aut Eccleſiæ Romanæ, vel etiam per excellentiam ſedes Apoſtolica dicebatur: ut propriis locis innoteſcet. Jam ſupra oſtendi Patres Nicænos ſedem Alexandrinam titulo ſedis Apoſtolicæ indigitaſſe in Epiſtola Synodali ad Eccleſiam Alexandrinam: Recentiores moti auctoritate Leonis Magni & S. Gregorii, nec non Epiſtolarum Anacleti & aliorum ſcriptorum ejuſmodi obtendunt ſedes Apoſtolicas à ſolo Petro fundatas. Sed Cardinalis Cuſanus Vir Doctiſſimus & in cognitione Hiſtoriæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitatiſſimus cauſam hanc ſuis finibus circumſcribit, lib. II. de Concordantia Catholica, cap. 32. *Licet*, inquit, *legatur in Epiſtolis Clementis Petrum miſiſſe Epiſcopos per Gallias, & alias partes, & ita etiam Clementi præcepiſſe ut ipſe ad illas partes mitteret quo ipſe non miſiſſet, & ſic omnes Patriarchæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi à ſede Apoſtolica egreſſi ſunt: ita intelligo textum diſtinctionis 22. can. I. qui fuit Nicolai Papæ, qui pene octingentis annis fuit poſt Chriſtum, licet manifeſtum ſit, quod non in omnes partes mundi de Roma miſſi ſint Epiſcopi; jam enim multi erant Epiſcopi per mundum antequam Petrus venit Romam, ut eſt manifeſtum: quia Antiochiæ, & Hieroſolymis, & etiam ex illa Epi-*

Epiſtola Clementis apparet: qui ſcribit Jacobo Hieroſolymorum, ut ipſe per Orientem mittat: tamen hoc non concludit Papam ſolum à principio Patriarchas ſive primates conſtituiſſe, ut quidam dicunt adulatores: quoniam tota Eccleſia ſive Apoſtoli, qui totam Eccleſiam repræſentabant, propinquius quam ſolus Petrus Primates conſtituerunt. 99. diſt. can. Nulli Archiepiſcopi Primates vocentur, niſi illi qui primates tenent civitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter Patriarchas & Primates eſſe conſtituerunt, &c. Qui textus dicit Apoſtoli eorumque ſucceſſores: *neque concludit Eccleſiis aliquando fuiſſe proviſum ſine electione: quia tunc non fuerunt Eccleſiæ ſed miſſi fuerunt ad ædificandas Eccleſias: & ideo electio locum habere non potuit, quia Eccleſia eligens tunc defecit: unde illi miſſi gerentes figuram Chriſti ſecundi Adæ: ex coſta ſua ſcilicet divini verbi ſibi Evam ædificarunt, quam deſponſaverunt: & ſic Evæ genitæ poſthac non dabatur niſi ſponſus deſideratus, id eſt per ſacras electiones cooptatus.* Hucuſque Cuſanus. Profecto cum actis Apoſtolocis locis pateat, neque B. Petrum, neque ipſos Apoſtolos regulariter & ordinarie aliquid unquam ſeorſim & ſeparatim in Eccleſiæ regimine, abſque Eccleſiæ & præſertim ſeniorum conſenſu & Conſilio, geſſiſſe: abſurdum quidem eſt ex nonnullis ſcriptis Apocryphis & ſubleſtæ fidei quales ſunt Clementis, aut Anacleti Epiſtolæ, vel etiam ex Romanorum Pontificum Decretalibus in ſua cauſa,

causa, ut B. Leonis, Gregorii, &c. velle persuadere sedes Patriarchales ab uno & solo Petro institutas. Proculdubio Canon VI. Nicæni Concilii quem explicandum suscepimus, illas potius aliqua insensibili consuetudine, quam aliquo meditato & conferto studio primitus erectas indicat: & ejusmodi consuetudinem tacitam, à typo & forma diœcesium atque Metropolium Romani Imperii ortam nonus Canon Synodi Antiochenæ docet. Metropolis autem nihil aliud est quam civitas aliarum princeps, quæ toti Provinciæ est velut norma, quoniam aliis urbibus jus dicit ac præest, ut ex Notitia Imperii colligimus. Hic Canonem Antiochenum exscribam: *Episcopos qui sunt in unaquaque provincia scire oportet Episcopum qui praest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ; eo quod in metropolim concurrant omnes qui habent negotia: unde visum est eum quoque Episcopum honore præcedere.* Sensus ergo est, quemadmodum Præfecti diœcesibus ac metropolibus Imperii auctoritate Imperatorum constituebantur quo omnes urbes Provinciæ Metropolibus subditas gubernarent, eisque jus æquabile dispartirentur: ita etiam in rebus Ecclesiasticis, omnes Episcopos urbium subditarum Metropolibus Imperii, pariter Episcopo urbis Metropolitanæ subditos fuisse. Quo sensu S. Iræneum lib. tertio *cap.* 3. dixisse arbitror, *necesse esse omnem Ecclesiam convenire ad Romanam*

Eccle-

Ecclesiam propter potentiorem principalitatem: id est, quia Roma erat caput mundi, Princeps omnium Metropolium, & sedes Imperii Romani. Quapropter sexto Canone Nicæno nominatim cavetur, U*t omnibus Ecclesiis Metropolitanis sua jura, & dignates serventur secundum consuetudinem*: unde colligimus illum Canonem Antiochenum editum pro Canonis Nicæni intelligentia, cum decernit *ut Episcopus Metropolitanus honore alios præcedat*, Honore inquam, non jurisdictione absoluta Monarchica: Siquidem excepta facultate indicendi Synodus Metropolitanas, & mittendi Canones in rem judicatam aut exequendi regimen Aristocraticum (hoc enim singulis Episcopis proportionatim, & respective cuique in sua diœcesi competebat) potestas gubernandi Ecclesiam & condendi Canones, tum temporis habitabat penes Synodum: quæ Aristocraticum regimen constituebat. Huic autem regulæ Antiochenæ Canon XII & XVII. Chalcedonensis suffragantur: quibus statuitur Parœcias aut diœceses Ecclesiasticas, consequi ciuiles typos, & publicas formas regiminis urbium, quas Imperatores de novo condebant: huc & accurrit Canon XXXVIII Synodi Trullanæ quem Gratianus in suam Collectionem inseruit, *dist.* 80. *Can. Urbes & Can. In illis. Item Can. Provinciæ, Can. Nulli. dist.* 99. Sane Leo IX PP. Epistola quarta, nominatim asserit *Episcopos alios aliis præferri, eo quod*

pri-

primas civitates & magis nominatas secundum potentiam & leges seculi retineant: quæ genuina est Metropolis descriptio. His quoque & Gregorius VII. quamquam magnus absolutæ Monarchiæ assertor, libro quarto Epistola trigesima quinta assentitur. Causa hujus rei inde petenda, quod Ecclesia Christi post divisionem Imperii ab Augusto & aliis Imperatoribus sequentibus factam, nata & propagata sit. Igitur cum Roma esset caput totius Occidentis, Alexandria Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis Antiochia Orientis: quod mirabile, ad formam diœcesium atque Metropolium Imperii secularis, sedes patriarchales ibidem collocatas. Itaque sicut Romanus Episcopus jure Patriarchali; totum Occidentem cum Africa extraordinarie moderabatur: & Jure Archiepiscopali Ecclesias quas Ruffinus vocat Suburbicarias ordinarie bis annuatim cogebat in Synodum: deinde Jure Episcopali urbem aut privatam parœciam Romanam gubernabat: Pariter etiam alii Patriarchæ sub hac triplici notione suas Ecclesias administrabant. Alexandrinus quidem totam Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; Antiochenus Syriam, Cœlesyriam, & Mesopotamiam cum utraque Cilicia Jure Patriarchali: deinde tanquam Archiepiscopi, aut Metropolitæ ex præscripto quinti Canonis Nicæni Ecclesias sibi propinquiores: & demum Jure Episcopali suas privatas parœcias vel ut hodie vocamus

camus diœceſes moderabantur: Et ita liquet ſub unoquoque Patriarcha plures fuiſſe Metropoles: & rurſum ſub ſingulis Archiepiſcopis aut Metropolitanis plures Epiſcopos ſuffraganeos: Hoc enim certiſſima Eccleſiæ praxis demonſtrat, atque illis debet os occludere, qui Romanum Epiſcopum etiam ut Primatem aut Patriarcham intra fauces & anguſtias Eccleſiarum ſuburbicariarum cogere volunt. Cæterum S. Athanaſius Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes paulo ante medium cum opprobrio dat Conſtantio quod ſævierit in Liberium PP. *nulla ductus reverentia vel quod Roma ſedes eſſet Apoſtolica, vel quod metropolis eſſet ditionis Romanæ, vel quod eos Apoſtolicos viros in ſuis literis appellaſſet*: nomine Metropoleos utitur juxta diſtributionem ſedium Patriarchalium factam Canone ſexto Nicæno, ita ut Metropolis ibi ſignificet quod poſtea appellarunt Patriarchatum.

XV. Supereſt ut de tertia parte Canonis VI Nicæni, hoc eſt de Eccleſiæ Hieroſolymitanæ privilegiis diſſeramus: quam Patres Æliam vocant: quoniam Ælius Adrianus Imperator eam à fundamentis inſtaurari juſſit, poſtquam eſt à Tito Veſpaſiano everſa. Cæterum tempore Nicæni Concilii nondum Patriarchalis, imo Cæſareæ Paleſtinæ tanquam Metropoli ſubdita erat. Quocirca Hieronymus epiſtola 61. ad Pammachium de Joanne Epiſcopo Hieroſolymitano: *Tu qui regu-*

regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris, & alienos Clericos & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare: responde mihi ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? ni fallor hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Hac ergo clausula Hieronymus Episcopum Hierosolymitanum reprehendit quod cum esset subditus Antiocheno Primati, cui Cæsarea Palæstina erat subjecta, tamen Theophilo Alexandrino Patriarchæ de controversia suborta scriberet. Cum potius debuisset convenire Archiepiscopum Cæsareæ Palæstinæ Metropolitanum suum, vel Antiochenum Patriarcham. Certe Canone VI Nicæno cavetur, *ut Æliæ id est Hierosolymorum Episcopus habeat honoris consequentiam propria dignitate servata Metropoli*: quam Hieronymus ostendit esse Cæsaream Palæstinæ: & ita magnum lucem adfert Canoni Nicæno. Aliquanto post Nicænum Concilium in Constantinopolitana Synodo, Episcopus Constantinopolitanus creatus est Patriarcha, eique secundus locus honoris delatus est post Episcopum Romanum, ut statim observatur: & tum demum Ecclesia etiam Hierosolymitana hunc adepta est honorem, propter Christi & religionis Christianæ incunabula: unde Patres Constantinopolitani *eam merito omnium Ecclesiarum matrem vocant*. Et Patres Chalcedonen-

ses

ſes ſub finem ſeptimæ actionis, tres Paleſtinas eidem adſcribunt: ex quo relinquitur tum nomen ſedis Patriarchalis meruiſſe. Sicque ex conſuetudine regiminis Metropolium Imperii, totus orbis Chriſtianus in quinque Patriarchatus diſtribuitur: unoquoque illorum Eccleſias ſuas regente, ſicut Epiſcopus Romanus ſuam moderabatur.

XVI. At vero ex hoc Canone Nicæno de ſedium Patriarchalium adminiſtratione, ſole clarius eſt, Romanam Eccleſiam ab Nicænis Patribus ſumi *pro ſingulari & particulari, non autem pro univerſali & Catholica Eccleſia, ut hodie fieri conſuetum eſt poſt abſolutam Monarchiam conditam*. Profecto in hoc Canone τὸ *Romanum & τὸ Cathoilcum* opponuntur tanquam univerſale & particulare: adeo ut Romana Eccleſia ſit pars, & membrum univerſalis Eccleſiæ ſicut Alexandrina, & Antiochena Eccleſia. Hinc etiam patet illos frontem amiſiſſe, qui negant Epiſcopum Romanum ullum habere ſibi privatam diœceſim adſcriptam quam regat: quaſi totus Orbis Chriſtianus ejus privata & peculiaris eſſet diœceſis: quæ ſunt commenta adulatorum atque hominum obnoxiorum ſua privilegia & immunitates contra jus commune & regimen Ariſtocraticum tueri volentium: ut efficiant, ſolum Papam eſſe *Ordinarium Ordinariorum, & maxime proprium ſacerdotem*: hinc illa Extravagans Joannis XXII. adverſus Poliacenum, *Vas electionis, de Hæreticis*.

XVII. Cæterum Anastasius Bibliothecarius qui tempore Nicolai I & Adriani II florebat, in præfatione Synodi octavæ Conciliorum Romæ editorum, quinque sedes Patriarchales quinque sensibus corporis humani comparat: *Deinde*, inquit, *cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit: profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes unius fuerint voluntatis, sicut nihil generalitati deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis: inter quas videlicet sedes, quia Romana præcellit, non immerito visui comparatur, qui profecto cunctis sensibus praeminet, acutior illis existens, & communionem sicut nullus eorum cum omnibus habens*, &c. Hæc ille, sed meo judicio melius & ad sensum Ecclesiæ Catholicæ sedem Apostolicam Petri comparasset sensui tactus quam visus: quoniam tactus est absolutæ necessitatis, & fundamentum aliorum sensuum: quo sublato alios perire oportet, ut docent Medici. Enim vero, cum omnes aliæ sedes Patriarchales à consuetudine vel decretis Patrum non à Christo originem sumpserint sicut Primatus aut sedes Petri: Insurgit sedem Petri formaliter consideratam esse invariabilem, atque immutabilem, sicut & primatum: quod de aliis sedibus Apostolicis dici non potest. Verum ex actis Conciliorum & praxi Ecclesiæ quam progressu hujus operis referabimus, digno-

dignoſcitur munia atque officia ſedium Patriarchalium, qualia aureis Eccleſiæ primitivæ ſeculis exercebantur, poſſe accuratius explicari ſimilitudine Parlamentorum Galliæ, quam comparatione ſenſuum ab Anaſtaſio propoſita: omnis autem ſimilitudo ſemper multum habet diſſimilitudinis, ut notum eſt pueris. Quare ſicut unum quodque Parlamentum in ſuo tractu & diœceſi, aliquam Provinciam ſecundum leges regni & conſuetudines municipales Provinciarum ſub Rege Chriſtianiſſimo gubernat: ſimiliter Eccleſia uniuerſalis, à quinque ſedibus Patriarchalibus ſub Chriſto, ſecundum jus Divinum, Naturale, & Canonicum olim regebatur: atque Romana Eccleſia ob ſedis & primatus prærogativam ante alias primatum obtinebat: neque tamen cæteris Sedibus Patriarchalibus aliquid tum temporis præſcribere poterat extra Synodum, excepta obſervatione & exequutione Juris Divini, Naturalis & Canonici. Quandoquidem omnes Sedes ex æquo Eccleſias ſibi ſubjectas, ſecundum jus commune, & mores diverſarum gentium ſynodice, aut regimine ariſtocratico moderabantur, atque omnes Apoſtolicæ vocabantur: quocirca annuatim bis ad Synodum confluere tenebantur.

XVIII. Et quoties Concilia generalia celebrabantur, cuncti Patriarchæ ſicut Præſides actionibus Parlamenti præſidebant: ac

primo abſente ſecundus; & primo ac ſecundo abſentibus, tertius Sedis prærogativam occupabat: neque Romanus Epiſcopus præter Sedis eminentiam & Canonum exequendorum facultatem quicquam habebat ſuper alios: ut tota hac Hiſtoria innoteſcet. Quo pariter factum Victoris PP. referri poteſt, qui cum propter Paſchatis celebrationem Eccleſias Aſiæ Catholica communione privare voluiſſet: omnes aliæ Eccleſiæ etiam Occidentis, quæ ejus Patriarchatui ſuberant, illi acriter obſtiterunt: atque inter alios B. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus: quod nunquam auſus fuiſſet, ſi tenuiſſet Papam aut S. Petrum cui Papa ſuccedit, inſtitutum à Chriſto Monarcham Eccleſiæ. Conſule Euſebium lib. quinto cap. 22, 23, & 24. Quid memorem S. Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quamquam opera & beneficio Sedis Romanæ redintegratum in Eccleſiam Conſtantinopolitanam: nihilominus ſeſe ſtrenue atque intrepide oppoſuiſſe Joanni VIII PP. cum in Archiepiſcopatum Bulgariæ contra conſuetudinem invadere niteretur: cujus etiam cenſuras nihili fecit & tamen vivus atque mortuus claruit miraculis, teſte Baronio tomo decimo Annalium ad annum Chriſti 878. Quæ plane indicant, non perſuaſum fuiſſe antiquis Papam eſſe abſolutum Monarcham Eccleſiæ. Deus bone! qua ratione fieri poſſet, ut unus & ſolus Epiſcopus tot Pro-

Provinciis abſoluta monarchia regendis ſuffi-
ceret?cum experiamur quotidie unumquem-
que Prælatum aut Parochum,ſi recte ſuo mu-
nere defungi velit, valde implicari in illo rite
& ſecundum Canones obeundo. Quodſi Mo-
ſes dux unius tantum gentis & populi, ſe im-
parem illi gubernando agnoſcit, Numero-
rum XI. verſ. 14. & Exodi XVIII. verſ. 11. 18.
delectu habet ſapientes viros qui ei aſſideant:
quanto minus unus & ſolus Papa evolvendis
atque explicandis controuerſiis totius Chri-
ſtianitatis poteſt ſufficere? Adi S. Bernardum
tertio de Conſideratione ad Eugenium cap.
8. & 9. Romanæ editionis Voſſii. Item Pari-
ſienſem Cancellarium de Poteſtate Eccle-
ſiaſtica, Conſideratione 7.

XIX. Equidem nomen atque definitio Mo-
narchiæ vel Regni in ea ſaltem notione quam
Recentiores venditant, eſt à quingentis circi-
ter annis, hoc eſt, ab eo ſolum tempore at-
tributa Romanæ Eccleſiæ,quo Eccleſia ſen-
ſim ad pauciores nationes redacta eſt: & juri
divino ſeu poteſtati miniſteriali ſpirituali Ec-
cleſiæ omnino adverſatur ut ſupra cap. 1. do-
cuimus, *Reges Gentium dominantur eorum; vos
autem non ſic*, &c. *Luc. Rom.* 22. Quique ob-
tendunt monarchicum regimen omnium eſſe
optimum, fallunt aut falluntur; minime at-
tendentes diverſam eſſe rationem temporalis
atque ſpiritualis regiminis: quoniam in tem-
porali gubernatione cum omnia abſoluta po-

testate gerantur, hoc melius sub regimine Monarchico quam ullo alio propter malitiam hominum perficitur. Secus autem res habet in spirituali gubernatione Ecclesiæ, ubi Communio Sanctorum diversarum Gentium totius orbis terrarum non Monarchice cogi aut imperari, sed duntaxat suaviter per actus hierarchicos suaderi & stabiliri potest. Quam obrem hic observandum, non quid hominibus obnoxiis expediens aut bonum videatur, sed quidnam Christus lege Euangelica effici præceperit: dominatum vero pure monarchicum hoc oraculo interdixisse: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic*, tam certum quam quod certissimum est. Neque id quidem bonus abnegat Gersonius quamquam seculo barbaro vixerit, quo libri & acta Conciliorum minime patebant ut hodie. Nam de statu Prælatorum, Consideratione 13. *Status Episcopalis*, ait, *habet rationabiliter Monarcham supremum, scilicet Papam ratione unitatis fidei & Sacramentorum: sed hoc non ita perspicuum est, esse debere ex Institutione Christi & pro utilitate universalis Ecclesiæ respectu dispensationis bonorum temporalium, & jurisdictionum contentiosarum seu coërcivarum, quæ diversis legibus seu decretalibus, aut statutis prodiversitate locorum & temporum regi debent, sicut & alia mere temporalia, regalia & imperialia. Hinc bene dictum est, quod qualibet provincia in suo sensu abundat.* Quo testimonio, sicut jus commune asseritur, sic absoluta Monarchia diruitur. Et

quam-

quamquam Tractatu *de auferibilitate Papæ, considerat. octava* doceat, *Christum nullam aliam politiam instituisse immutabiliter Monarchicam : tamen* subnectit, esse quodammodo regalem: *Nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam* ET QUODAMMODO REGALEM *nisi Ecclesiam*, ait; quæ vox ostendit potestatem Monarchicam Papæ, non accipi debere in ea significatione, ut ille solus absolute & ex privato arbitrio statuere possit in rebus ad fidem & sacramenta spectantibus, sed tantum synodice & de consensu Ecclesiæ: *quoniam Papa est potius figura & symbolum quam causa efficiens unitatis fidei.* Quare idem Gersonius de Potestate Ecclesiastica, consideratione quarta, ostendit Romanum Pontificem non posse suis legibus aut universalem aut aliquam particularem Ecclesiam obligare, nisi hæ nominatim consensum præbeant. Idque regimen Aristocraticum quoad substantiam quale etiam Canonibus Nicænis, consecratur roborat; ac fidei & sacramentorum unitatem solo consensu Catholico & communione Sanctorum suaviter stabiliri, non monarchice imperari convincit. Hercle ipsemet Vallius libro de suprema potestate Papæ parte prima, quæst. secunda ait. *Monarchicum regimen omnium optimum esse, ita tamen ut ne in tyrannidem degeneret, Aristocratia temperari conveniat.* Et aliquanto post: *Certum est Monarchicum illud regimen esse Aristocratia aliqua temperatum, ita ut non solum ab uno mo-*

 dera-

deratore, sed etiam ab optimatibus, nempe Episcopis res Ecclesiæ debeant in solidum administrari. Idque Jure Divino & Institutione Christi: qui unamquamque potestatem ad Ecclesiæ regimen necessariam instituit: Pontificiam, quæ suprema est, Episcopalem quæ media, & Presbyteralem quæ infima. Deinde parte tertia quæst. prima circa medium: *Nec ad actualem legum divinarum obligationem ullam subditorum acceptationem receptionemve Deus postulat: quod tamen in legibus stabiliendis Pontifex præstare tenetur, & expectare saltem ut suæ leges actualem obligationem inducant.* Item quæstione septima ejusdem tertiæ partis circa medium: *Quid hac in re sentiam, dicam ingenue: Primum leges Canonicas usu minime receptas in conscientia non obligare. cap. in istis. §. leges. dist. 4. Leges instituuntur cum promulgantur, & firmantur cum moribus utentium approbantur.* Hæc ille: quibus nihil clarius ad demoliendam absolutam monarchiam, quam tam operose & inconstanter propugnat, atque etiam ad demonstrandum homines nondum suis technis & argutiis potuisse tantas nebulas veritati offundere quin invitis illorum technis & adulationibus adfulgeret, ac sese proderet. Hercle quidem si doctrina recentiorum de absoluta monarchia vera esset, sequeretur, cunctos Patres Ecclesiæ, qui sub octo primis Universalibus Conciliis vixerunt, esse hæreticos & schismaticos: quippe qui istam absolutam infallibilem monarchiam

ne qui-

ne quidem inter dormiendum unquam agnoverint: ſed jamjam gliſcentem ſæpe damnarint, ac ſemper decreverint, *Eccleſias jure communi debere gubernari*, ut propriis locis demonſtrabitur. Parcant igitur mihi obnoxii Theologi, ſi hac in parte à Sanctiſſimorum Patrum antiquorum inſtitutis, quam à Curiæ Romanæ placitis ſtare malo: quandoquidem illi unicè Chriſti gloriæ & veritati aſſerendæ, hi ſuæ rei atque dominatui augendo ambitioſe inſerviunt, nec quicquam aliud in pretio habent: unde illæ prodigioſæ voces, quibus & ſe & ſua fruſtra munire conantur, *hæreticus*, *ſchiſmaticus*, *monarchomachus*, &c.

XX. Canon VIII Synodi Nicænæ multa complectitur ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia; & primo quidem docet Novatianos per ironiam dici Catharos, id eſt, puros, quoniam homines lapſos in peccatum publicum non admittebant ad pœnitentiam; hinc illa eximia vox Conſtantini ad Aceſium Novationorum Epiſcopum: *Erigito tibi ſcalam Aceſi, & ad cœlum ſolus aſcendito. Socrates lib. primo, cap.* 7. Siquidem Novatiani ſolummodo nimia ſua ſeveritate hæretici erant. Secundò illos qui ex Catharis ad Eccleſiam Catholicam revertentur, ſi ſint Clerici, gradum ſuum retenturos in Clero: ſi autem ſint Epiſcopi, & nullus ſit Epiſcopus in regione ubi primum electi ſunt, Epiſcopatum quidem retenturos: quod ſi ibi ſit Epiſcopus, ſi illi vi-

deatur, posse Catharos facere participes honoris Episcopalis vel inter Chorepiscopos aut Presbyteros adnumerare : *ne in una & eadem civitate duo Episcopi esse videantur.* Itaque hic Canon *vetat duos esse in titulum Episcopos in una & eadem civitate.* Qua de causa S. Augustinus Epistola septuagesima moleste fert se in Hipponensi diœcesi ordinatum Episcopum Valerio Episcopo superstite, & procurante : *hoc enim*, ait Augustinus, *Concilio Nicæno prohibitum nesciebam, nec ipse Valerius sciebat.* Quandoquidem Valerius cum esset senex & Græcia oriundus, nec satis commode posset Latine concionari, Augustinum Coëpiscopum assumpsit ob summam & Hipponensis & totius Africanæ Ecclesiæ utilitatem : sicut refertur laudaturque 7. *quæst.* 1. *can. Non autem.* Nam uterque, Valerius, inquam, & Augustinus, erant Hipponensis Ecclesiæ Episcopi in titulum : & proinde contra hunc Canonem VIII Nicænum *unicus Episcopatus duos capiebat Episcopos.* Proculdubio, *quædam jure ordinario prohibentur, quæ jure extraordinario & propter necessitatem vel summam utilitatem in moralibus licent :* quod Theologos ignorare turpissimum est : sic legimus Romæ duos aliquando sedisse Pontifices legitimos, puta Liberium & Felicem, sicut & Antiochiæ S. Meletium & Paulinum. His de causis Gulielmus. Ockam lib. secundo Tractatus primi tertiæ partis Dialogorum cap. 22, & 25. posita Monarchia Pon-

Pontificis Romani tanquam jure divino constituta, disputat: *An propter utilitatem & necessitatem Ecclesiæ universalis, status Monarchicus Ecclesiæ aliquando possit extraordinarie mutari in Aristocratiam, ita ut duo possint creari Pontifices maximi, sicut duo cooptati sunt Episcopi ad Hipponensem diœcesim*: concluditque, *utilitatem & necessitatem Ecclesiæ, quæ legem non habent, id plerumque licitum efficere quod alias esset prorsus illicitum: & quamquam id videatur contra verba, tamen non repugnare menti & intentioni legislatoris, Christi scilicet.* Quibus etiam suffragatur Gersonius de potestate Ecclesiastica, Consideratione XI. versus finem, disputans: *An Concilium possit dare licentiam Episcopis exercendi jurisdictionem absque limitatione vel restrictione: statuitque posse Concilium supplere Papalem potestatem dum necessitas urget, vel suadet evidens utilitas: & hoc vel per unum Episcopum quasi vicarium Concilii, vel per plures simul.* Item Joannes Major quarto sententiarum, dist. 24. quæst. tertia, *Ockam probabile putat*, ait, *quod politia regalis Ecclesiæ potest pro urgentissima causa duobus ex æquo communicari, licet Glossa in Canone Non autem 7. quæst. 1. teneat oppositum: quia est una Ecclesia Catholica: Idem tenet Armachanus lib. 7. cap. 15. ad Armenos: Sed ratio Glossæ est nulla: Ecclesia enim* NON DICITUR UNA AB UNITATE CAPITIS MINISTERIALIS, SED A CHRISTO ET UNITATE FIDEI: *ut videre est post mortem Papæ ante creationem alterius.* Hæc Joannes Major: cui

cui Almainus non assentitur lib. de Potestate Ecclesiastica & Laica, quæst. prima cap. 5. sed fallitur Almainus. Cum enim Petrus solo primatu super alios Apostolos, & Papa etiam super alios Episcopos excelluerit; atque inter omnes conveniat singulos Episcopos id esse suis privatis diœcesibus, quod Papa universali Ecclesiæ, etiam juxta eorum opinionem qui Papæ Monarchiam juris esse divini putant; præterea cum etiam certum sit & Papam & Episcopos esse solummodo capita ministerialia Ecclesiæ, & Symbolica Christi Capitis essentialis, ut liquet Ephesiorum quarto à versu 5. Profecto, hinc facile est de hac controversia statuere, & videre recte dictum à Joanne Majore *unitatem Ecclesiæ Catholicæ petendam à Christo & unitate fidei non à Papa.* Adde quod singuli Patriarchæ ex præscripto Canonis VI Nicæni suas ex æquo in solidum regebant Ecclesias, ita ut Romanus Episcopus supra alios præter primatum nihil quicquam jure divino haberet. Consule XV & XXXI Axioma nostræ Apologiæ, ubi analitice de primatu & quo sensu Papa dici possit Monarcha, disputavimus.

XXI. Hic & adscribam Canonem XV Nicænum quo prohibetur Episcopis ne de una civitate in aliam civitatem migrent, amplioris aut pinguioris Episcopatus consequendi spe. *Propter multum tumultum & seditiones quæ fiunt, omnino visum est, ut consuetudo, quæ præter*

ter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur, ut à civitate in civitatem nec Episcopus, nec presbyter, nec diaconus transeat. Si quis autem post sanctæ & magnæ Synodi definitionem tale quidpiam aggrèssus fuerit, vel se rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino infirmabitur, & Ecclesiæ restituetur cui episcopus vel presbyter ordinatus fuerit. Cui Canoni concordat & III Canon, item XXI & XXII Antiocheni Concilii, & XV Synodi Sardicæ, conditi ad prensationes & ambitionem hominum coërcendam: qui quidem ut S. Athanasius de Eusebio Nicomediensi scribit, *sibi persuadent in magnitudine urbium religionem esse sitam, atque sortem Dei secundum quam constituti ordinatique sunt, pro nihilo habent: ignari scilicet Dominum esse in medio ubi sunt duo aut tres in ejus nomine congregati: nec secum recogitant illud Apostoli: alligatus es uxori noli quærere solutionem: Quod si hoc de uxore dictum est*, inquit Athanasius, *quanto magis de Ecclesia atque adeo de Episcopatu, cui cum quis alligatus est alium quærere non debet, ne adulter in sacris literis deprehendatur.* Porro Constantinus Magnus tanquam communis Episcopus, se hujus Canonis Nicæni sicut & aliorum vindicem acerrimum exhibuit prohibens Antiochenis civibus & Episcopis Provinciæ ne Eusebium Pamphilum Cæsarea Antiochiam evocarent. Adi eundem Eusebium lib. tertio Vitæ Constantini à capite 57 ad 60. Cæterum Romana Curia ex hoc Canone opportunam occasionem

nem venata est sua phylacteria dilatandi, ac sibi soli translationes Episcoporum triplici de causa attribuendi & reservandi; primum quia Maximiano Constantinopolitano Episcopo vita functo, cum Theodosius Junior ad vitandum tumultum populi Constantinopolitani Proclum Cyzicenum Episcopum in sede Episcopali collocandum curasset; atque alii Episcopi Orientis Cyrillus Alexandrinus, Joannes Antiochenus & alii hoc tanquam Canonibus contrarium improbarent: Cælestinus Romanus Episcopus scripsit, *nihil obstare quo minus qui unius civitatis vel nominatus fuisset, vel jam esset Episcopus, ad alteram civitatem transferretur*. Vide Socratem lib. VII Historiæ, cap. 39. Verum memorati Episcopi Orientis apprime sciebant aliquando posse fieri translationes Episcoporum quarum Socrates multa profert exempla eodem lib. cap. 35. sed perpendebant magnos inde nasci posse abusus & corruptelas, ut plurimæ natæ sunt. Altera causa est, quod Innocentius III *cap. 1. de Translationibus*, nominatim doceat, *Translationem Episcoporum unam esse ex majoribus causis quæ Sedi Apostolicæ reservantur*. Tertiam causam designat idem Innocentius *cap. 2. de Translationibus*, dum perhibet, *Inter Episcopum & suam primam Ecclesiam spirituale matrimonium intercedere quod Deus suo tantum judicio reservavit, præcipiens ut quos Deus conjunxit homo non separet*. U*nde concludit ratione hujus spiritualis conjugii* *hoc*

hoc soli Pontifici Romano reservari. At quis reservavit? quo Canone aut Concilio id cautum est? nonne omnes reservationes casuum sunt juris mere positivi & ab eo tempore invectæ in Ecclesiam quo regimen aristocraticum abrogatum est? Profecto sicut artis est & fortunæ sanare teste Aristotele & experientia: ita dubium esse non potest quin casus aliquis contingere possit, quo ex non servatis quam ex servatis Canonibus multum, & forte plus boni possit accidere Ecclesiæ: sed quia hoc fenestram aperit ad ambitionem & nequitiam hominum, ut sua potius quam quæ Dei sunt quærant, & præterea omnia reddit incerta in Ecclesia; id circo multo tutius & certius est vivere secundum artem regularum Ecclesiæ. Concludamus ergo ex causa justa ad majorem Ecclesiæ utilitatem & gloriam Dei posse aliquando fieri translationes Episcoporum, sicut de Proclo Cyniceno factum est ut tumultus Constantinopolitani populi ferocissimi vitaretur: siquidem Episcopus non est jure divino alligatus Ecclesiæ ut conjux conjugi, sed duntaxat jure Ecclesiastico dispensabili: quæ dispensationes olim fiebant in Synodis, cum bis annuatim celebrarentur ex quinti Canonis Nicæni præscripto. De Translationibus lege quartum Concilium Carthaginense, Canone XXVII.

XXII. At vero de genuinorum Canonum Nicænorum numero mox disputabimus, ne-

que aliquid causæ video cur in octoginta Canonibus Arabicis Francisci Turriani & Alphonsi Pisani examinandis oleum nostrum perdamus, quando nova editio Conciliorum Romæ editorum illos tanquam nullius fidei penitus prætermisit: merito quidem cum disciplina quæ viginti Canonibus nativis consignatur plane discordent: quod certissimo est testimonio illos esse suppositititios: sæpe miratus sum cum architecti illorum eos Arabice, non Hebraïce aut Græce primum prodire in scenam voluerint: sed ubi me diligentius in consilium adhibui, conjeci hoc factum, ut facilius commentum lateret, quoniam forte ex stylo aures asininas sub pelle leonina latentes Doctissimi Viri hujus seculi reclusissent. Sed hæc non fuit satis supposuisse, nisi etiam Alphonsus Pisanus in re ad quæstionem facti penitus spectante, qualis est Concilii Nicæni Historia, nobis quatuor libros magna industria & diligentia conscriberet, quibus disceremus, non quale fuerit Nicænum Concilium, sed quale ad sensum & palatum Jesuitarum esse debuerit: quasi vero nova & dubia antiquis atque indubitatis, & non contra antiqua & indubitata novis atque dubiis fidem conciliarent. O effrænatæ inverecundiæ seculum! siquidem Pisanus in hanc scriptionem quicquid est falsi atque fictitii pro ampliatione numeri Canonum Nicænorum conjecit, valdeque probatur & commendatur ab Antonio

nio

nio Possevino in suo Apparatu sacro: quem Apparatum eo proposito scriptum facile est conjicere, ut ii duntaxat libri in pretio essent qui omnium maxime probarentur Jesuitis, & hoc opere laudarentur à Possevino, contra autem lector veritatis amans & judicio prædi-tus sic habeat ex omnibus libris (si hæretico-rum opera & opiniones demas erroneas) nul-los ferme pluris faciendos quam quibus notas inurit Possevinus Quod institutum eo tendit; ut Jesuitæ hominum animis plane dominen-tur, & quæcumque velint obnoxiis aut imbe-cillibus ingeniis pronius persuadeant: sicque novum mundum, cui facilius pro animi arbi-trio imperent, architectentur.

CAPUT. III.

I. *De Synodi Sardicensis Historia & B. Athanasii exilio & fuga in Occidentem post Tyrensem & Antiochenam Synodum.*

II. *Julium PP. Synodum indixisse ad quam Orientales & Occidentales convocavit ut de facto S. Athanasii cognoscerent: cum autem Orientales Synodo interesse voluissent, mandato utriusque Imperatoris Sardicum Concilium indictum est.*

III. *Cur Orientales Episcopi Sardicam cum Occidentalibus Episcopis minime convenerint, & Philippolim secesserint, atque pseudo-Synodum ibidem habuerint.*

IV. *Canones Sardicos non fuisse absolutas sed duntaxat provisorios & temporaneos: ac proinde non tantæ auctoritatis quam Nicænos Canones existere.*

V. *Compertum haberi ex Codice Canonum Latinæ atque Orientalis Ecclesiæ, nec non ex Gratiani Decreto, Sardicum Synodum nunquam pro œcumenica ab antiquis Patribus habitam.*

VI. *Novem argumenta auctoris Præfationum Historicarum quæ præmittuntur Conciliis Romanæ editionis pro Sardica*

Synodo examinantur & confutantur.

VII. *Cardinalis Baronii conjectura pro Sardica Synodo.*

VIII. *Argumenta Bellarmini in eam rem, & pro ampliatione numeri Canonum Nicanorum.*

IX. *Utrum S. Matthaus Hieremiam pro Zacharia citaverit.*

X. *Quare Canon de Paschate celebrando die Dominica non sit editus inter* XX *Canones Nicanos.*

XI. *An Patres Nicani aliquid statuerint contra Bigamos.*

XII. *An librum Judith Canonicis scripturis accensuerint.*

XIII. *Canon de Eucharistia à Jejunis sumenda non est Patrum Nicanorum sed Africanorum.*

XIV. *De Usu Epistolarum Formatarum.*

XV. *Utrum ex Paphnutii suasione conjugia sacerdotibus permissa fuerint in Synodo Nicana.*

XVI. *Concilium Sardicum nunquam habitum pro appendice Nicani Concilii.*

XVII. *De Antonii Fussulensis Episcopi perfugio ad Cælestinum PP. & Epistola Augustini in eam rem.*

I. CONstantia soror germana Constantini Cæsaris, uxor Licinii Augusti, quem Constantinus interfici jusserat; cum affinis esset morti, Constantino Magno fratri quendam presbyterum Arrianum tanquam valde pium & studiosum Majestatis impense commendat. Iste presbyter hortatu Eusebii Nicomediensis, qui vivente Constantio Arrianismum occulte fovebat, Cæsari persuadet Arrium à fide Nicæna nullo modo dissentire, eiq; subscribere paratissimum. Quare audita Constantinus, ut paci Ecclesiæ cujus erat studiosissimus, consuleret, Arrium atque Euzoium presbyteros ab exilio revocat, eosque Alexandriam redire jubet. Sed Athanasius illos in Ecclesiam admittere omnino recusavit: scripsitque Cæsari, fieri non posse ut qui fidem

ir-

irritam fecissent, & quibus ab Ecclesia denunciatum esset anathema, gradum suum in Ecclesia recuperarent. Quam occasionem Eusebiani opportune arripiunt, ut Athanasium calumniis erga Imperatorem opprimerent. Mareote est regio Alexandriæ subjecta, in qua quidam erat sacerdos nomine Ischyras, qui, quamquam sacris non esset initiatus, attamen sacerdotis officio defungebatur: in eoque facinore deprehensus clam ad Eusebium Nicomediensem Athanasii hostem aufugit: apud quem Athanasium accusat, quod in Mareote, per Macarium Alexandrinum Presbyterum mensam Domini evertisset, poculum mysticum, calicem hodie vocamus, confregisset, sacros etiam libros combusisset, atque alia ejusmodi nefanda patrasset: quorum nonnulla suasione & zelo Athanasiii facta dicebantur ob justum dolorem ex Ischyræ sacrilegio conceptum, qui quidem cum non esset sacerdos tamen sacerdotale munus obire non abhorrebat. Insuper etiam Athanasium magicæ artis, & in eum finem quendam nomine Arsenium Episcopum Meletianum occidisse, ejusque brachium in usum magicæ artis præcidisse, insimulabant. Quibus calumniis permotus Constantinus Synodum Tyrensem indixit eoque Athanasium proficisci jubet: qui quidem coram Synodo Arsenium integro corpore & valetudine cum exhibuisset, & nihilominus videret se nullo modo furorem atque

 odium

odium inimicorum posse saturare : recta ad Constantinum magnum Constantinopolim perrexit : atque interea dum à Conciliabulo Tyrensi absens damnatur ; cujus rei Augustus certior factus Episcopos Concilii Tyrensis ad se accersit ut de causa Athanasii cognosceret : illi vero calumnia magicæ artis, & abscisione brachii Arsenii prætermissa, novam instruunt adversus Athanasium machinam; finguntque quod se impediturum minitaretur ne dehinc ex Alexandria ut consuetum erat, frumentum deferretur Constantinopolim : cujus accusationis gravitate Cæsar exstimulatus Athanasium Treviros in Galliam mittit exulatum ; legendus Socrates lib. primo à capite 19. ad 23. Sozomenus lib. 2. à capite 21. ad 27. cum Apologia secunda B. Athanasii. Sed Constantino vita functo, quia testamento caverat ut Athanasius reverteretur Alexandriam : Constans filius qui in Occidente imperabat literas in gratiam Athanasii populo & Clero Alexandrino scripsit : Arriani vero adventu Athanasii ita commoti sunt, ut de illo opprimendo statim Consilia inierint, captata occasione ex templi Antiocheni, quod Constantinus Magnus ædificari curaverat, dedicatione : quibus templi Encæniis permulti Episcopi cum orthodoxi tum Arriani jussu Constantii qui Orienti imperabat interfuerunt, ad numerum nonaginta septem aut novem : ita tamen ut magno numero

ort-

orthodoxi Arrianos ſuperarent. Hi vero ſpecie pacis inter orthodoxos & Arrianos conſtituendæ, de Synodo habenda tribus de cauſis conveniunt: primùm ut formula fidei conderetur pro explicatione vel potius everſione Symboli Nicæni: nam Arriani ſuo more venenum occultabant. Secundum fuit de Athanaſio exturbando Alexandria, quem Arriani dicebant Synodo Tyrenſi ejectum, & proinde non potuiſſe niſi alia Synodo ampliore in integrum reſtitui: quam ob cauſam Canone XII Synodi Antiochenæ vetant quemquam Epiſcopum qui decreto ſynodali ejectus fuiſſet, moleſtiam creare Imperatori ut reſtitueretur, ſicque Athanaſium quaſi ab Imperatore revocatum notant. Tertium caput fuit de Canonibus ſciſcendis pro diſciplina eccleſiaſtica melius ordinanda: & de hoc ultimo capite facile orthodoxis cum Arrianis convenit, nequaquam vero de aliis duobus, quæ tamen auctoritate Conſtantii Imperatoris ſic invaluerunt, ut denuo neceſſum fuerit Athanaſio ſolum vertere & Romam confugere ad Julium PP. Hic obiter monebo S. Gregorium Nazianzenum tertia Oratione contra Julianum ſcribere quæ Conſtantius faceret non odio Catholicorum ſed ſtudio pacis ſtabiliendæ inter orthodoxos atque Arrianos, neque male animatum fuiſſe erga orthodoxos: quæ dum legi magna ſum admiratione captus, quoniam hæc nequa-

 quam

quam ſcriptis B. Athanaſii & Hilarii conſentiunt.

II. Cum Athanaſio Paulus Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, & Aſclepas Gazenſis Epiſcopus perrexerunt in Italiam : ubi Julius PP. habita Romæ Synodo convocatiſque & aliquamdiu expectatis Orientalibus Epiſcopis, cauſa S. Athanaſii atque aliorum cognita, illos injuria ſedibus ſuis expulſos pronunciat, ſcribitque Orientalibus ſuper ea re, quos incuſat quod perturbarent Eccleſias everſione decretorum Nicæni Concilii & ſe inconſulto de illis viris judicaſſent : *Cum lex ſit eccleſiaſtica, acta illa & decreta Synodorum haberi irrita quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituerentur.* Quæ autem acta eſſent in Synodo Tyrenſi, Antiochena, & alibi contra Athanaſium, geſta eſſe inſcio Romano Epiſcopo, atque inaudito Athanaſio. Cum enim ſedi Alexandrinæ præeſſet, quæ tum poſt Romanam ſecundas obtinebat, non potuerat damnari inconſulto atque inſcio Julio primæ ſedis Epiſcopo. Literis Julii Orientales aculeate reſpondent, & S. Athanaſium qui ſeſe Alexandriam contulerat tertio Romam habere perfugio adigunt. His de cauſis Conſtans Imperator Occidentis à Julio Papa & cæteris Epiſcopis Occidentalibus rogatus, tandem fratri Conſtantio, qui Orienti imperabat, reſcribit, eique bellum interminatur, niſi Athanaſium, Paulum

Paulum & alios Episcopos orthodoxos in sedes suas restitui mandaret. Qua de causa circa annum Christi 347 Sardicæ quæ urbs est Illyrii, Concilium utriusque Imperatoris mandato indicitur. Socrates l.2.c.18. Eoque treсenti circiter Episcopi ex Occidente, & 76. duntaxat ex Oriente conveniunt. Nam Orientales temporis præstituti angustias accusabant, dicebantque Julium de industria effecisse ut Constans Imperator Synodū intra sex mensium intervallum haberi preciperet, multique se morbo sontico impediri causabantur.

III. Quamprimum autem Orientales Sardicam appulerunt, Occidentalibus denunciant se in eam Ecclesiam nunquam conventuros in quam Athanasius & alii Episcopi, quos decreto Synodali exauctoraverant, convenirent. Contra Occidentales opponunt, Julium Synodo Romæ habita, convocatis ad eam diuque expectatis Orientalibus de causa Athanasii & aliorum Episcoporum secundum Canones cognovisse, compertumque habuisse etiam ex multorum Orientalium testimonio illos ob fidem Nicænam, quam mordicus retinebant & tuebantur, infestari ab Orientalibus : ac proinde non potuisse ab eorum communione abstinere. Quibus tentatis & perspectis, Arriani Episcopi Sardica relicta Philippolim Thraciæ urbem secedunt: ac ibidem Conciliabulum instaurant, in quo Symbolum Nicænum scelerate damnant.

 IV.

IV. Contra Orthodoxi fidem Nicænam Sardicæ confirmant, & S. Athanasium cum aliis Episcopis, quos Arriani sedibus suis dejecerant, in integrum restituunt. Cumque viderent Athanasium decem atque amplius annos Arrianorum infestationibus vexatum, terra marique maximis cum ærumnis, laboribus & periculis Synodorum celebrationem ad suæ causæ patrocinium solicitare coactum: ne id deinceps cuiquam orthodoxo contingeret, in gratiam Cathedræ atque primatus S. Petri decernunt nominatim, ut Julius Romanus Pontifex de appellationibus & caussis Ecclesiasticorum maxime Episcoporum etiam per legatos à latere missos cognosceret. Quandoquidem tum via expeditiore & securiore saluti & rationibus Catholicorum adversus infestationes Arrianorum consuli non poterat. Hi enim ubi calumniis, factionibus & conciliabulis suis Orthodoxos propriis sedibus exturbassent, contendebant illos nisi Synodo restitui non posse: & tamen manibus ac pedibus impediebant quo minus legitime haberentur Synodi pro Catholicorum restitutione. Videndus Sozomenus lib. tertio à cap. 2. ad 12. Ruffinus lib. primo Historiæ cap. 16. 17 & 18. Theodoretus lib. secundo c. 7 & 8. Item Severus Sulpicius lib. secundo Sacræ Historiæ, ubi errore librariorum habetur Constantinum convocasse Sardicum Concilium, sed legendum Constantem vel

Con-

Conſtantium aut utrumque ſimul : quia utriuſque Imperio indicta eſt Synodus Sardica, & tum temporis Conſtantinus Magnus diem ſupremum obierat. Itaque ſi hic ad propoſitum & mentem Imperatorum & Julii PP. atque aliorum Epiſcoporum attendamus, Synodus Sardica fuit quidem œcumenica & univerſalis; ſi ad eventum aut effectum nequaquam : idque propter deceſſionem Epiſcoporum Orientalium qui cum Occidentalibus in colloquium venire recuſaverant. Tum enim cum duo eſſent Imperatores quorum alter Catholicos, alter Arrianos tutabatur, & inter ſeſe Epiſcopi communicarent, ut ex templi Antiocheni Dedicatione, & Synodo Antiochena conſtat apud Sozomenum, lib. tertio, cap. 5. Certe non moris erat ea Concilia pro œcumenicis habere, niſi omnes Epiſcopi cum Catholici tum Arriani inter ſeſe conveniſſent, ſuaſque invicem rationes propoſuiſſent : & niſi communi conſenſu Canones ſtatuerentur ut factum fuerat Antiochiæ; hæc enim eſt praxis illorum temporum quam ipſemet Julius Papa commendat & propugnat Apologia ſecunda Athanaſii : objiciens Arrianis, quod Athanaſium abſentibus orthodoxis Epiſcopis damnaſſent : *& monimenta actorum ubi una duntaxat pars adfuerit, nullarum virium eſſe, & ſuſpectam haberi.* Quibus bene perpenſis facile eſt videre Canones Sardicenſis Concilii de appellationibus

bus ad Romanum Episcopum & de facultate mittendi legatos à latere *non esse absolutos & œcumenicos; sed tantum provisorios*: quo nimirum saluti & quieti orthodoxorum provideretur, ut dictum est; Siquidem nominatim de Julio non de sede Apostolica loquuntur. *Aliud autem est Papa, aliud sedes apostolica*, ut docent Canonistæ. Porro *est maxime æquitati & Canonibus consentaneum deferri appellationibus extra Provinciam, quando major pars Episcoporum Provinciæ suspecta est*: ut tum major pars Orientalium suspecta erat orthodoxis & præsertim B. Athanasio, qui acriter oppugnabat Arrianismum. Profecto sicut in Tridentina Synodo quædam sunt dogmatica ad fidem spectantia, pridem ante ab omnibus Catholicis recepta & approbata quam à Patribus Tridentinis statuerentur: alia vero politica ad disciplinam Ecclesiasticam conducentia, quæ de novo fixa sunt: & teste Navarro lib. de Constitutionibus, Consilio primo, à Germanis, Polonis & Gallis aliisque Catholicis non recipiuntur. Similiter duo rerum genera pertractata sunt in Sardicensi Concilio: alia ad fidem Nicænam spectantia, quæ ab omnibus Catholicis ubique locorum & gentium comprobantur, ob Synodi Nicænæ auctoritatem & veritatem Catholicam quam asserunt: alia vero ad politiam & disciplinam ecclesiasticam, *quæ fuerunt tantum provisoria*: unde nunquam sunt ab omnibus

omnibus pro œcumenicis recepta. Ex quo facile eſt videre, quam ob cauſam Sardici Canones non tantæ ſint auctoritatis quantæ Nicæni; & cur Zoſimus Papa, ſub auctoritate Nicænorum voluerit Sardicos obtrudere Canones. Proculdubio ſi Concilium Sardicum pro œcumenico habitum fuiſſet, tempore Zoſimi Papæ nihil facilius erat explicatione & deciſione controverſiæ, quam inter Africanos Patres Zoſimus excitavit: de qua paulo poſt. Cum enim omnes Catholici teneant regulas Synodorum generalium habendas inſtar Euangelii, ſatis erat Fauſtino Epiſcopo, Aſello & aliis Zoſimi Papæ legatis, reſpondere Patribus Africanis, Sardicum Concilium eſſe œcumenicum, & tantæ auctoritatis quantæ Nicænum: Canones autem quos Zoſimus Africanæ Eccleſiæ pro Nicænis objecit, omnium maxime favent primatui Eccleſiæ Romanæ, quos ex Gentiani Herveti verſione Canone tertio Sardici Concilii exſcribam.

Si quis Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus viſus fuerit, & exiſtimet ſe non malam ſed bonam cauſam habere ut etiam rurſus judicium renovetur, ſi veſtræ dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut de iis qui judicaverunt SCRIBATUR JULIO *Romanorum Epiſcopo, & per propinquos Provinciæ Epiſcopos ſi opus eſt judicium renovetur: & cognitores ipſe præbeat. Si autem probari non poteſt, cauſam ejus eſſe talem ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel judicata ſunt, non infirmentur.*

Canon

Canon IV. *Gaudentius Episcopus dixit : Si videtur necesse esse adjici huic sententiæ quam sincera dilectione plenam protulisti : ut si quis Episcopus fuerit depositus judicio Episcoporum qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi responsionis negocium competere, non prius in cathedram alius substituatur,* QUAM ROMANUS EPISCOPUS *causa cognita sententiam tulerit.*

Canon V. *Osius Episcopus dixit : Placuit ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati hujus Regionis Episcopi eum gradu moverint, & veluti appellans confugerit ad beatissimum* ROMANUM EPISCOPUM, *& velit ipsum audire, & justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari: Coëpiscopis scribere dignabitur qui sunt propinqui provinciæ, ut ipsi diligenter & accurate singula perscrutentur, & ex veritatis persuasione de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, & ad suam supplicationem* ROMANORUM EPISCOPUM *judicare visum fuerit, à proprio latere presbyteros mittat, ut sit in potestate Episcopi quod recte habere probaverit & statuerit, oportere eos mitti qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus à quo missi sunt, & hoc ponendum est. Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem & Episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo ejus consilio recte habere videbitur. Responderunt Episcopi : Quæ dicta sunt placuerunt.*

Hactenus Patres Sardici; quod si primatus Petri jure divino esset pure Monarchicus, ut novis

novis placet Theologis, Osius & reliqui Episcopi qui Sardicensi Concilio interfuerunt, hoc nequaquam ignorassent, & continuo minime postulassent *ut in B. Petri honorem id privilegii Julio Episcopo Romano concederetur*. Quod enim alicui debetur jure divino, & ex rigore, repugnat ei jure humano & ex privilegio aut ex Conciliorum decretis adscribi: quod si aliquis insurgat, hanc esse declarationem juris, non aliquam novam Constitutionem. Rependes, sola lectione Canonum supra dictorum dignosci purum putum esse privilegium non absolutum sed provisorium: idque hæc verba Osii demonstrant: *Si vestræ dilectioni videtur Petri Apostoli memoriam honoremus, ut de iis qui judicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo*, &c. *Responderunt Episcopi*: *Quæ dicta sunt placuerunt*. Certe quod à mero hominum arbitrio & placitis pendet, juris divini esse non potest. Accedit & Hosium his verbis conceptis uti: *& veluti appellans confugerit ad B. Romanum Episcopum*: quæ demonstrant hæc potius *pro perfugio quam pro justa Appellatione habenda*: quia proprie Appellationes Ecclesiasticæ fiunt secundum Nicænos Canones, & jus commune, de quo in sexta Synodo Carthaginensi: hacque etiam de causa nunquam Sardici Canones habiti sunt pro œcumenicis & universalibus, ut jam docui, & amplius probatur.

V. Nam Codex Canonum quo & Græca & La-

& Latina Ecclesia olim ante Collectionem Gratiani utebatur, hanc controversiam funditus dirimit; quia Sardicense Concilium vel pro œcumenico, vel pro Appendice Nicæni Concilii nunquam habuit. De Codice Romanæ Ecclesiæ primum agemus, cujus notitia celebris extat *Dist.* 19. *Can. Si Romanorum.* nec non etiam in prœmio Decreti Gratiani, quod jussu Gregorii XIII Papæ recognitum, & notis illustratum est: quo ex procemio colligimus tria extare exemplaria manuscripta Codicis Canonum in Vaticana Bibliotheca, persimilia Codici Canonum edito Moguntiæ anno 1525. & Parisiis anno 1609. ab Adriano Beys. Profecto Epistola quam Dionysius Exiguus mille abhinc annis Codici Canonum Romanæ Ecclesiæ præfixit, & Stephano Episcopo nuncupavit, declarat, quo tum in pretio Synodus Sardica haberetur, & Canones Sardicos non fuisse Græce editos. *In principio*, inquit Exiguus, *Canones qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum Vestram noluimus ignorare Sanctitatem: quamvis postea quædam constituta Pontificum ex his Canonibus assumpta esse videantur. Deinde regulas Nicænæ Synodi & deinceps omnium Conciliorum sive quæ ante eam sive quæ postmodum facta sunt usque ad Synodum* CL. *Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo capite*

pite usque ad centesimum sexagesimum quintum, SICUT HABETUR IN GRÆCA AUCTORITATE, *digessimus: tum sancti Chalcedonensis Concilii decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus: Ne quid praterea notitiæ vestræ credar velle substrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii atque Africani quæ Latine sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta.* Hæc Exiguus, cujus Epistolæ fit mentio in Decreto Gratiani jussu Gregorii XIII. recognito, *Dist.* 65. *Can. Si forte.* ad hunc modum: *Dionysius quoque Exiguus in Epistola ad Stephanum Episcopum, qua ei suam Græcorum Canonum interpretationem obtulit, Sardicense Concilium à Principio inter Latinos Latine editum fuisse his verbis significat: Tum sancti Chalcedonensis Concilii decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus*, &c. Verum in Epistola Exigui duo notabilia continentur. Primum est Codicem Ecclesiæ universalis, quem Dionysius ex Græco in Latinum convertit, certis numeris fuisse distinctum secundum Canones variorum Conciliorum: quæ Concilia ordine recensentur *Dist.* 20. *Can. de Libellis.* Sed nos de hac Canonum distinctione per certos numeros infra. Alterum notabile est, Canones Sardicos non poni inter regulas Codicis Canonum quem Dionysius Exiguus Latine vertit: ait enim *finem Græcorum Canonum esse in Chalcedonensi Concilio.* Ex quo relinquitur Sardicum Concilium, neque
pro

pro Appendice Nicæni Concilii, neque pro Synodo œcumenica habitum, neque etiam Græcum extitisse tempore Exigui. Quid hic dicere attinet in Decreto Gratiani, tota distinctione 15. ubi generalia Concilia enumerantur juxta Collectionem B. Isidori Hispalensis, Gelasii PP. & S. Gregorii; Sardicum Concilium omitti? *& Dist. 16. Can. Placuit §. qui condemnata eadem hæresi*, nominatim haberi viginti duntaxat Canones conditos à Patribus Nicænis? Accedit *& Dist. 20. Can. de Libellis*, Leonem IV eodem ordine Canones Synodorum recensere quo in Codice Canonum Dionysii Exigui computantur: ac postremo omnium loco post Synodum Chalcedonensem, Concilium Sardicum subjici: *Quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur Judiciis*, inquit Leo IV, *sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neo Cæsariensium, Gangrensium, Antiochenorum, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium: & cum illis regulæ Præsulum Romanorum, Sylvestri, Syricii, Innocentii, &c. Isti omnino sunt & per quos judicant, & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici.* Quid memorem *Dist. 16. Can. Prima adnotatio, §. Quarta Sardicensis*: Concilium Sardicum inter Synodos particulares succenseri; nam toto illo Canone Isidorus particularia tantum, non generalia Concilia enumerat.

Et

hæc de Codice Canonum Ecclesiæ Latinæ.

Quod ſpectat ad Græcam Eccleſiam, ejus Codex Canonum ille ipſe eſt quo univerſalis Eccleſia uſa eſt in Synodis generalibus, ut ex Synodo Chalcedonenſi liquet Actione undecima, ubi diſſidium ſubortum inter Baſſianum & Stephanum propter Epiſcopatum Epheſinum ex nonageſimo quinto & nonageſimo ſexto Canone Codicis Eccleſiæ Græcæ definitur. Quo in codice, qui principium computandi fecerit à Nicæno Concilio (ſicut apud antiquos ſemper conſuetum erat propter Synodi Nicænæ auctoritatem & excellentiam *Diſt. 16. Can. Prima adnotatio*, ex Gregorii XIII emendatione) atque ſeriem numerorum diſtinctionis Canonum ad Canones Antiochenos uſque deduxerit: compertum habebit decimum ſextum & decimum ſeptimum Canonem Antiochenæ Synodi efficere nonageſimam quintam, & nonageſimam ſextam regulam Codicis Eccleſiæ Græcæ: & conſequentur tempore Synodi Chalcedonenſis atque Leonis Magni PP. Canones Sardicos nullo in numero habitos ab Eccleſia univerſali congregata in Chalcedonenſi Concilio: & ita confirmatur quod ante dixi, puta Synodum Sardicam neque pro Appendice Nicæni Concilii, neque pro generali Concilio agnitam. Porro corpus Canonicum Græcæ Eccleſiæ, eundem ordinem & ſeriem Conciliorum ſervat

quem ſupra ex Dionyſio Exiguo & *Canone De Libellis*, exhibuimus: Idque claret ex primo Canone ſextæ Synodi in Trullo ita concepto: *Obſignamus reliquos omnes Canones qui à ſanctis & beatis noſtris Patribus expoſiti ſunt, id eſt, à trecentis octodecim ſanctis & divinis Patribus qui Nicææ convenerunt, iiſque qui Ancyræ & iis etiam qui Neo-cæſireæ, ſimiliter & qui Gangris, præterea & iis qui Antiochiæ, Syriæ atque etiam iis qui in Laodicea Phrygiæ: præterea autem & centum quinquaginta Patribus qui in hac Dei cultrice & Imperiali civitate convenerunt, & ducentis qui in Epheſiorum metropoli prius coacti ſunt, & ſexcentis triginta ſanctis & beatis Patribus qui Chalcedone, ſimiliter & iis qui Sardicæ, & qui Carthagine*, &c. Verum quando Exiguus dicit, ſe Canones Sardicos Græcos non vidiſſe, probabile eſt circa octavum ſeculum factos fuiſſe Græcos, forte à Photio aut alio quopiam. Hercle, quæ ratio Balſamonem Titulo octavo in Nomo. Canonem Photii impulit ut Donationem Conſtantini Romano Epiſcopo factam pro vera amplecteretur ac defenderet, eadem quoque ei incentivo fuit ut Concilium Sardicum pro œcumenico approbaret, & Græcum nobis exhiberet. Ut enim poſita Donatione Conſtantini Balſamo infert, Epiſcopum Romanum ſuam auctoritatem magna ex parte ab ſplendore & dignitate urbis, & largitione Imperatoris traxiſſe: & continuo Imperatores atque urbem Conſtantinopolim, quæ

quæ etiam ſedes erat Imperii, eandem auctoritatem Epiſcopo Conſtantinopolitano indulgere potuiſſe. Similiter dato quod Concilium Sardicum ſit œcumenicum, & Romanus Epiſcopus jus habeat cognoſcendi de Appellationibus Epiſcoporum ſubinfert Balſamo, hoc privilegium pariter militare in gratiam Epiſcopi & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ex quo fit, ut non multum fidei habendum ſit Græcis recentioribus in hac parte, quos nihil non moliri compertum eſt, ut ſuum Patriarcham Romano exæquent. Profecto Epiſtola Nicolai Papæ ad Photium, qui in Epiſcopatum Conſtantinopolitanum invaſerat, nos clare docet Græcos tum non habuiſſe Canones Sardicos Græce. *Quomodo*, ait Nicolaus, *non eſſe apud vos Sardicenſes Canones tu ſolus adſtruere poteris. quando non ſolumà Latinæ, verum etiam cum aliis à Græcæ linguæ hominibus ſtatuti ſunt & promulgati? Qua de re credibile non eſt quod ibi definitum eſt, unumquemque ipſorum minime propriæ Linguæ tradidiſſe*. Hæc ibi, quæ leges apud Gratianum *Diſt.* 65. *Can. Si forte*. & referuntur à Baronio Tomo tertio ad annum 347. ut Canones Sardicos tum Græce editos fuiſſe probet auctoritate Nicolai PP. Verum fallitur Baronius: quia Nicolaus non aſſeverando dicit Canones Sardicos Græce ſcriptos: ſed credibile eſſe quæ ſunt Sardicæ definita, à Patribus Græce & Latine edita fuiſſe. Unde hæc eſt conjecturalis ratio, non firma atque indu-

bitata assertio Nicolai. Quamquam autem Nicolaus id asseveraret, quod non facit, attamen ex eo confirmatum non maneret, nisi id auctorum probatorum sententia convinceret. Procul dubio illa ipsa quæ idē Nicolaus narrat Clero Constantinopolitano, & habentur *Dist.16. Can. Quod dicitis, neque Sardicense Concilium, neque decreta alia vos habere sanctorū Pontificum, non facile nobis facultas credendi tribuitur: maxime cum Sardicense Concilium quod penes vos in vestris regionibus actum est, & omnis Ecclesia recipit: qua ratione convenerit ut hoc sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret, & ut dignum est, non retineret?* Illa, inquam, demonstrant, Græcos nullo in pretio habuisse Canones Sardicos: quos puto Photium, cum suum Nomocanonem texeret, tandem Græcos fecisse: atque primitus cum Sardicum haberetur Concilium Græce non editos, quoniam Episcopi Orientalis Ecclesiæ cum Occidentalibus minime Sardicam convenerunt. Equidem si Græci, imo vero si Latini Patres, Sardicos pro legitimis habuissent Canonibus, nihil erat causæ cur in octava Synodo generali Canon ederetur quo Patres voluerunt Episcopos soli Patriarcharum suorum judicio reservari, contra quam Nicænis & Africanis Canonibus statutum est: qui Canon octavi Concilii suasu legatorum Adriani II. Papæ factus est, ut suo loco probabitur, & plane Sardicos Canones abrogat; quoniam hoc Ca-

none VIII Concilii tantumdem juris accrescit aliis Patriarchis intuitu Episcoporum sibi suffraganeorum quam Romano Patriarchæ respectu Episcoporum sibi subditorum. Certe si Concilium Sardicum fuisset œcumenicum, ut comminiscuntur homines obnoxii, à nulla parte Ecclesiæ Catholicæ ignorari potuisset. At non modo Africanis Patribus, ut mox ostendetur, verum etiam compilatoribus Codicis Canonum Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, necnon etiam Dionysio Exiguo, Gelasio PP. S. Gregorio, Leoni IV atque aliis Patribus plane incognitum fuit pro generali Concilio. Igitur non fuit universale, saltem quo ad effectum atque eventum, ut jam diximus.

VI. Auctor Præfationis Historicæ quæ in Romana editione Conciliorum Synodo Sardicæ prælucet, his rationibus Synodum hanc œcumenicam fuisse perhibet. Primum quia auctoritate Julii Papæ convocata est, ut ex Socrate lib. secundo cap. 16. prætexit. Secundo, quia idem Julius eam confirmavit teste Sozomeno lib. tertio cap. 11. Tertio, quoniam una fuit Patrum Nicænorum & Sardicorum sententia, una mens unusque spiritus: ideo à permultis nomine Nicæni Concilii involvi & comprehendi: quemadmodum urbs & propugnaculum una res censeri & nominari solet: hancque ob causam Innocentium I PP Epistola ad Victricium Rothomagensem Episcopum capite 3. & Zosimum in sexto Con-

cilio Carthaginensi Sardicenses Canones Nicænos appellare contendit. Quarto eandem ob causam B. Gregorium, Isidorum, Bedam, & alios cum prima quatuor Concilia enumerant, Sardicense Concilium quamvis revera generale, tamen silentio præteriisse, tanquam Nicæno inclusum. Quinto Justinianum Imperatorem *in confessione rectæ fidei contra tria capitula sub finem*, pro quinta Synodo generali tomo secundo Conciliorum Romanorum hæc narrare: *Quia quidam ex ipsis qui in Nicæna sancta Synodo convenerunt, & expositæ ab ea fidei definitioni vel symbolo subscripserunt, quoniam postea contraria sapientes apparuerunt, alii quidem vivi, alii autem post mortem anathematizati sunt à Damaso sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, & ab universali Sardicensi Synodo, prout testatur sanctus Athanasius.* Sexto, sedem Apostolicam Synodo Sardicensi honorem habuisse *Dist.* 20. *Can. De Libellis*, ubi Leo IV docet per hujus Concilii Canones Ecclesiæ disceptationes dissolvi oportere. Septimo, Gratum Carthaginensem Episcopum in Concilio primo Carthaginensi Canone v docere ex Canone xv Synodi Sardicæ, neminem debere alterius plebis hominem usurpare absque ejus consensu cui subjectus est. Octavo, Nicolaum I Epistola 42. ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum causam Rhotadi Episcopi Suessionensis auctoritate Synodi Sardicæ definivisse. Nono, eundem Nicolaum Epistola ad Clerum

rum Constantinopolitanum testari Sardicense Concilium ab omni Ecclesia receptum.

Hæc sunt argumenta omnium validissima quæ in Conciliis Romæ editis proponuntur ad auctoritatem Sardico Concilio adscribendam: verumtamen multo plus habent pompæ quam roboris, ut depulsione singulorum innotescet. Et primum quidem fallit æquivocatione vocis atque auctoritatem pro consensu aut suasione Julii Papæ venditat: non inficior Julium suasisse Imperatoribus ut Sardicam Synodum convocarent: sed ejus auctoritate indictam pernego: quia presse loquendo, ut paulo ante docui, auctoritas est penes eum qui jus habet imperandi & cogendi. An ergo Episcopi Arriani, qui tanpopere Julio infensi erant, ejus mandato obtemperassent: fabulæ! Equidem Socrates laudatus ab auctore horum argumentorum, diserte habet Sardicam Synodum edicto Imperatorum non Julii coactam: *Cum Imperator denuo scripsisset, ut Paulo & Athanasio sua ipsorum loca ac sedes restituerentur, nihilque proficeret propter seditionem multitudinis: Paulus & Athanasius aliud Concilium cogi postulant, ut cum de eorum rebus, tum de fide in Concilio generali cognosceretur. Edicitur ergo Concilium generale, ut omnes Sardicam commigrent, idque de sententia duorum Imperatorum, alterius illud per literas flagitantis, alterius qui in Oriente regnabat alacri & parato animo eisdem obtemperantis.* Hactenus Socrates, qui clare

ostendit, Constantem Imperatorem Occidentis, edictum fecisse pro Synodo Sardica, & Constantium Imperatorem Orientis alacri & parato animo literis fratris obtemperasse: de Julio autem ne quidem verbum. Hic iterare cogor quod alias docui, & ex praxi Ecclesiæ infra confirmabitur, nimirum, ubi Imperator literis suis Concilium Patriarchis atque Metropolitanis indixisset, hos in suo Patriarchatu & Archiepiscopatu consuevisse Episcopos, atque sacerdotes sibi subditos ad Synodum habendam idoneos deligere & convocare: hocque juris & nihil amplius Julium Papam, juxta disciplinam illorum temporum habuisse certo scio.

Secundum argumentum illudit pariter æquivocatione & ambiguitate vocis *confirmare:* neque Sozomenus ejus rei quam auctor præfationum venditat, meminit; nam lib. tertio c. 11. solummodo refert, *Osium & Protogenem, qui principem locum inter Episcopos Occidentis obtinebant in Concilio Sardico, veritos ne quibusdam viderentur Decreta Concilii Nicæni innovare, scripsisse ad Julium & testatos fuisse, se illa quidem rata habere: sed quo facilius intelligerentur, eadem pluribus verbis explicasse; eo consilio, ne Arrianis facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi.* Huc usque Sozomenus. Quem laudari ab adversariis ad probandum Julium confirmasse Synodum Sardicam mirabile est: supra docui tum Sy-
nodos

nodos proprie dici solitas confirmari, cum legibus atque edictis politicorum Principum in rem judicatam mittebantur: & proinde constat Sardicense Concilium à Constante & Constantio Imperatoribus confirmatum, quando S. Athanasium, Paulam & alios orthodoxos suis sedibus restituerunt: hoc autem potuisse à Julio effici, nemo est qui dicere audeat, nisi se omnibus risui propinandum dare velit quoniam Arriani nunquam Julio paruissent, ut jam dixi ad primum. Certe præcipuus fructus qui ex Sardica Synodo in Ecclesiam redundavit, fuit D. Athanasii atque aliorum orthodoxorum restitutio.

Ad Tertium, dato quod fides Nicæna comprobata & explicata sit in Synodo Sardica, non ob id sequitur Nicænum & Sardicum unum atque idem efficere Concilium. Hoc enim perinde est ac si quispiam diceret, Constantiense & Basileense Concilium pro uno atque eodem Concilio haberi: quia Decreta Constantiensis Synodi de auctoritate Concilii supra Papam confirmata & explicata sunt in Synodo Basileensi. Certe adversarii non talem in nobis ferrent ratiocinationem: & quamquam tolerarent, omnino esset ridicula & puerils: quoniam multa alia tractata sunt in Synodo Basileensi & Sardica, de quibus nulla extat mentio in Constantiensi & Nicæno Concilio. Profecto Canonibus Nicænis jus commune asseritur & declaratur; at Sardicis

dicis magna ex parte abrogatur *propter necessitatem occurrendi factionibus Arrianorum contra orthodoxos* : Quare Patres Sardicenses illos Canones dumtaxat provisorios esse atque in causa extremæ necessitatis locum habere voluerunt ; itaque hic est distinguendum inter ea quæ fiunt Jure ordinario & extraordinario, sicut dum sacerdos alicui non sibi subdito occurrit. In articulo mortis verisimiliter existenti, illumque rite absolvit à quocumque peccato etiam Papæ reservato : tum enim jus commune & ordinarium locum non habet : quia dura & implacabilis necessitas nullam legem agnoscit. At ubi res agebatur inter Catholicos, Sardici Canones non servabantur, sed tantum Nicæni, & jus commune retinebatur, ut nos docent gesta Patrum Africanorum in sexta Synodo Carthaginensi adversus Zosimi Papæ commonitorium, de quo infra. Quod spectat ad Epistolam Innocentii : principio quidem capituli tertii asserit, *causas Clericorum tam superioris quam inferioris ordinis definiri debere Synodis* : scilicet, juxta Nicænam Synodum Canone quinto : Idque congruit Epistolæ Patrum Africanorum ad Cœlestinum : Deinde sub finem ejusdem capituli hæc ingerit Innocentius : *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Quibus ex verbis colligi non potest Innocentium

loqui

loqui de Nicæna Synodo in hac postrema parte capituli tertii, sed de Sardica. Quamobrem auctor Præfationum frustratur lectorem à divisis ad conjuncta, dum persuadere vult, Innocentium Sardicam Synodum appellavisse Nicænam, & pro una atque eadem sumpsisse: & dato quod ita esset, hoc quidem nihil juris addiceret Sardicensi Synodo, ut ejus Canones pro Nicænis aut œcumenicis, universalibus & absolutis capi deberent. Ego quidem valde miror adversarios potuisse in animum inducere ut tam levibus uterentur argumentis: quoniam bonam causam perdunt, efficiuntque ut in multis aliis fides eis ab hominibus judicio præditis minime habeatur.

Quartum id pro certo assumit quod est probandum: Nam ideo S. Gregorius, Beda, Isidorus, & alii in enumeratione Conciliorum generalium Synodum Sardicam omiserunt, quia compertum habebant nunquam habitam pro œcumenica, & Canones Sardicos tantum esse provisorios, ac in solo casu necessitatis obtinere quando jus commune servari non potest, ut præcedenti argmento probavimus.

Ad quintum, de Justiniano recte quidem dicit, illos qui Symbolo Nicæno adversati sunt fuisse anathemate percussos in Synodo universali Sardica: siquidem ut Tridentina sic etiam Sardica Synodus est universalis ratione dogmaticorum, non ratione politicorum,

ut

ut ſupra docuimus. Quandoquidem omnes Catholici propter reverentiam & auctoritatem Nicænæ Synodi illa recipiunt quæ pro explicatione fidei Nicænæ ſtatuta ſunt in Sardico Concilio, Canones vero minime admittunt.

Ad Sextum reſpondeo Leonem IV non accenſere Synodum Sardicam univerſalibus Conciliis: & quamquam accenſeret, hoc eſſet teſtimonium Papæ in ſua cauſa: cui praxis univerſalis Eccleſiæ repugnat, ut ex antedictis liquet. Amplius addo, omnibus ratum & conſtitutum eſſe debere, jus ordinarium regendæ Eccleſiæ Canonibus Conciliorum conſecrari: Extraordinarium autem ſæpe Epiſtolis atque reſcriptis Romanorum Pontificum contineri: ac proinde videndum, utrum hujuſmodi reſponſa ſpectent ad jus ordinarium an ad extraordinarium propter aliquam neceſſitatem occurrentem. Sæpe enim contigit ut aliqui Pontifices Romani, quæ illis jure extraordinario & in caſu neceſſitatis permiſſa ſunt, voluerint ad jus ordinarium abſtrahere: ſicque potentiam ſuam contra Canones & jus commune in oppreſſionem libertatis Eccleſiarum ampliare, quod non licet.

Septimo Grati Epiſcopi Carthaginenſis teſtimonium probat quidem Synodum Sardicam cognitam fuiſſe Africanæ Eccleſiæ, minime vero eſſe œcumenicam ratione Canonum, quibus de agitur. Quamquam in Sar-

dico

dico Concilio duo genera Canonum distinguenda sint: quorum alii ad jus extraordinarium, ut hi pro quibus scriptores Romani certant: alii ad ordinarium & jus commune, ut hic de quo Gratus Carthaginensis disputat. Quæ autem jus commune tuentur, merito ab omnibus probantur; cum non uno sed pluribus Conciliis decreta sint: cujusmodi est, neminem debere hominem alterius plebis usurpare absque ejus consensu cui subjectus est: hoc enim jam pridem Canone XV Nicæno, III. & XXI. Antiocheno scitum fuerat.

Octavum ampliorem desiderat interpretationem, quam ab Epistolis Hincmari nec non à Flodoardo lib. tertio historiæ Rhemensis cap. 13. mutuabimur, videlicet Rhotadum Episcopum Suessionensem post multas monitiones in criminibus notoriis obdurescentem, tum demum velut notorium dilapidatorem bonorum Ecclesiæ suæ insignem Canonum violatorem, & regiæ dignitatis ac Metropolitani sui contemptorem Provinciali Synodo fuisse exauctoratum, ac sedem Apostolicam appellavisse juxta Canones Sardicos: Nicolaum vero Papam Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi eam ob causam graviter succensuisse eique interdictionem à sacris interminatum, nisi ipsum Rhotadum liberum mitteret Romam. Inter alia Nicolaus præsertim Epistola 28. & 42. causatur judicia

Epis-

Episcoporum merito inter majora negotia numerari, ac propterea sedi apostolicæ reservari: ita ut absque sententia Romani Pontificis, Episcopi abdicari nequeant: quam in sententiam præter Canones Sardicos, multas Romanorum Pontificum constitutiones in sua causa aggerit Nicolaus. Tum Episcopi regni Lotharii Rhotado favebant, atque Hincmaro erant infensi eo quod adduci non potuisset, ut illorum Episcoporum sententiæ in gratiam Waldradæ pellicis Lotharii subscriberet: quare Nicolaum Papam contra Hincmarum exstimulabant. Nicolaus autem crebris de hac re literis etiam Carolum Calvum regem Franciæ atque Hermintrudem reginam Caroli conjugem interpellabat: cata mulier Nicolao objecit nihil mirum esse quod in causa Rhotadi tantopere laboraret: *eo quod inde non detrimentum sed augmentum Ecclesiæ Romanæ privilegiis generaretur*: propria sunt verba Reginæ, quæ à Nicolao Epistola trigesima sexta ad Hermintrudem consignantur. Profecto hæc Ecclesiæ Romanæ privilegia tandem ex juris communis, atque aliarum Ecclesiarum ruina accreverunt, ut recte docet Hincmarus responsione ad literas Nicolai Papæ: ille enim pro causæ suæ firmamento primum defigit jus Commune, cum Canonibus Nicæni, sexti Carthaginensis Concilii, decretis Innocentii, & Gregorii I. quibus edicitur Controversias iis in locis ubi oriun-

oriuntur esse definiendas. Secundo perhibet quoties aliquod de Episcopis oritur dissidium quod non est sacris Conciliorum Canonibus definitum, aut Synodo Provinciali facile & canonice decidi nequit secundum jus commune: tum rationi quidem esse consentaneum divinum oraculum, hoc est, sanctam sedem Apostolicam adire: sed in rebus liquidis, & jam pridem Canonibus Conciliorum definitis, illam consulere esse actum agere, atque jus commune pervertere: quam ad rem facit præceptum Deuteronomii 17. ubi imperat non in rebus facilibus & perspicuis sed difficilibus & ambiguis adeundum locum quem elegerit Dominus: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris* &c. Item quæ habentur 25. *quæst.* 1. *præsertim Can. Sunt quidam*, & *Can. Contra statuta*, &c. Tertio quod spectat ad Rhotadi Appellationem, urget Hincmarus æque Romano Pontifici ex officio incumbere, ne Metropolitani irregulariter & contra jus commune ab Episcopis sibi suffraganeis despiciantur & contemnantur, quam ne inferiores Episcopi à suis Metropolitanis contra Canones damnentur & opprimantur: atque summum & præcipuum privilegiorum sedis apostolicæ in eo potissimum versari, ut sua auctoritate sedis sibi subjectæ privilegia secundum Canones & jus commune propugnet, termines à Patribus po-

positos non moveat, appellationes non promisue admittat: sed eatenus auxilium suum atque opem implorantibus compartiatur, quatenus vigor & nervus disciplinæ ecclesiasticæ id patitur. Quarto id summo pontifici maximopere cavendum, ne ejus exemplo plurimi captent occasionem labefactandi juris communis: adeo ut inde corruptela oriatur unde medicina deberet promi. Quinto, videndum præterea, ne quibus moderatio censuræ Ecclesiasticæ in regionibus à sede apostolica remotis credita est, cognoscant ex hujuscemodi canonum & juris communis relaxatione cujusnam negligentia & culpa nervus & rigor apostolicæ disciplinæ solvatur: atque inde arripiant occasionem transgrediendi terminos quos Patres posuerunt. Sexto, si verba iniquorum, ut Rhotadi, juri communi, canonibus, & disciplinæ ecclesiasticæ prævaleant, fore tandem ut omnia Concilia Provincialia intermittantur, jus commune & disciplina omnis extinguatur, atque adeo omnia conturbentur in Ecclesia; & nefarii qui sibi & lex & spes esse consueverunt, regnent atque triumphant, dum tam longe quæretur atque expectabitur remedium. Legendus S. Bernardus lib. tertio de Considerat. ad Eugenium, à capite quarto, ubi de Appellationibus ad Curiam Romonam disserit. Septimo, adversus interminationes censurarum Hincmarus opponit raro & magna cum necessitate Ponti-
fices

fices id literis Apostolicis tentasse: neminique pœnam illam irrogari posse nisi propter inobedientiam & pervicacem contemptum adversus sacros Canones; quos quidem ait se semper accurate seruasse, nec in contemptum sedis apostolicæ unquam aliquid egisse. Hæc autem virtus & constantia Archiepiscopi Rhemensis in jure communi tuendo, sicut causam præbuit Adriano II PP. in octava Synodo ut curaret condi Canones quibus magna ex parte juri communi & Nicænis regulis derogaretur: ita grandem invidiam conflavit Hincmaro erga Baronium, Binium, Spondanum, Vallium & alios Baronii simias: qui piissimum Rhemensem Archiepiscopum, passim atque certatim schismaticum & hostem infestissimum sedis apostolicæ vocant: non alia certe de causa, quam quod jus commune eo tempore propugnaret quo absolutæ monarchiæ fundamenta jaciebantur à Nicolao PP. His ergo considerate perpensis, conspicuum redditur, nullum exitisse seculum usque ad Nicolai I tempora, in quo jus commune contra Canones Sardicos ab Episcopis versatis in scientia Canonum vindicatum non fuerit. Quodsi tandem potestas absoluta supra jus commune invaluit, hoc ad quæstionem & viam facti non ad jus pertinet.

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

At vel hinc liquet, solummodo sub Nico-

lao PP. jus appellandi ad Sedem Apostolicam secundum Canones Sardicos transiisse in jus ordinarium via facti: nam Hincmarus quandiu vixit semper quoad licuit, unitate servata, jus commune propugnavit, qua de re fusius dicetur lib. quarto Defensionis libelli de ecclesiastica & politica potestate.

Nonum argumentum potius nocet quam favet adversariis, quoniam ex Epistola Nicolai PP. relata in corpus canonicum, *Dist. 16. Can. Quod dicitis*, colligitur ut antea monuimus, Græcos nihili prorsus Canones Sardicos duxisse: & solummodo habere commendationem à Romanis Pontificibus: quia eorum potentiæ augendæ magno sunt usui.

VII. Cardinalis Baronius Tomo III Annalium, sub annum Christi 347. & Tomo V sub annum 419. omnem movet lapidem ut se ex hujusmodi nodis explicet, atque ostendat Synodum Sardicam œcumenicam fuisse. Aliquando enim conjicit acta Synodi sextæ Carthaginensis non esse integra: aliquando addubitat, utrum sex & triginta Patres Africanæ Ecclesiæ quos S. Athanasius Apologia 2. interfuisse Synodo Sardicensi memorat, una cum actis ejusdem Concilii perierint naufragio, ita ut & nomen & memoria actorum Sardicorum prorsus obliterata fuerint in Africa: alias differit an S. Augustinus, qui sexto Carthaginensi Concilio interfuit, in accuratam cognitionem Nicœnorum Canonum venerit.

De-

Demum concludit Nicænos Canones in toto Oriente vel combuſtos vel corruptos ab Arrianis, ſolamque Romanam Eccleſiam in Archivis Vaticanæ Bibliothecæ eos intaminatos ſervaſſe : atque Patres Africanos nunquam in dubium vertiſſe, quin Romanus Pontifex jure potuerit de Appellationibus & cauſis Eccleſiaſticorum cognoſcere & ſtatuere : ſed tantum diſputaſſe utrum id per legatos à latere & invocationem brachii ſecularis exequutioni mandare liceret. En ſumma vaſtiſſimæ & inconditæ collectionis Baronii, quæ tota arte & judicio caret. Verum de hujuſmodi Appellationibus in hiſtoria ſextæ Synodi Carthaginenſis diſputabitur.

VIII. Bellarminus lib. ſecundo de Romano Pontifice cap. 25. quem Poſſevinus in Apparatu, & Severinus Binius in notis ad Concilium Sardicenſe ſequuntur, quædam alia in ſpeciem validiora & ſubtiliora profert quibus Sardicenſi Concilio auctoritatem arrogare nititur. Et ne quis putet nos velle declinare difficultates, omnia accurate examinabimus. Primum autem objicit Patres Sardicos nihil novi conceſſiſſe Romano Pontifici, ſed tantum jus declaraſſe, idque teſtari exempla illorum qui ante Sardicenſe & Nicænum Concilium omnibus ætatibus ad Romanam ſedem appellarunt. Quod Bellarmini argumentum fallit à ſuppoſitione principii acſi Papa eſſet abſolutus monarcha, atque Felix,

Fortunatus & Basilides Episcopi Africæ, de quibus paulo post agetur, appellassent Romam: id enim Patres Africani pernegant, hæcque *Improba persugia non appellationes nominant*, eo quod fierent contra jus commune à Deo institutum: quandoquidem S. Athanasius secundæ sedis Episcopus, in Synodo Antiochena ab Episcopis sibi inferioribus per vim indictaque causa exauctoratus, ac testimonio orthodoxorum Episcoporum Orientis fultus, merito ad Julium Papam primæ sedis Episcopum, non per modum appellationis accurrit, sed ut Julius ei præsidio atque auxilio esset ad Synodi convocationem, in qua de integro causa sua tractaretur, atque Episcopi Arriani ad Synodum evocarentur in vim quinti Canonis Nicæni, quo permititur gravatis, ut de injuria sibi illata in Synodo conquerantur. Hocque firmamento Julius PP. initio suæ Epistolæ se niti, atque *iniquum esse* demonstrat, *monumenta actorum ubi una duntaxat pars adfuerit vim habere, seque omnia peregisse juxta Canones quos Arriani habebant contemptui.* Hercle cum Ecclesia tota sit unum corpus sanctorum communione per charitatem, fidem & spem coagmentatum: atque *Episcopatus unus sit, cujus à singulis in solidum pars tenetur*, 24. *quæst.* 1. *Can. Loquitur*, §. *Episcopatus*: omnia quidem membra sibi invicem compati & auxiliari tenentur: maxime partes nobiliores, ut sedes Romana: ad quam S. Athana-

thanasius cum aliis Episcopis orthodoxis supra memoratis confugerant, velut ad vindicem Canonum. Hinc Julius in Epistola ad Orientales quæ legitur in Apologia secunda Athanasii: *Si ut dicitis, Athanasius & Marcellus in culpa fuerunt, oportuit* SECUNDUM CANONEM, *& non isto modo judicium fieri: oportuit* SCRIBERE OMNIBUS NOBIS, UT ITA AB OMNIBUS QUOD JUSTUM ESSE DECERNERETUR. *Episcopi enim erant & non vulgares Ecclesiæ qui ista patiebantur: sed quam Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & imprimis de Alexandria civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut nobis primum scribatur, ut hinc quod justum est definiri posset? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id adhuc ad nostram Ecclesiam referri oportuit: Nunc autem nos quos certiores minime fecerunt postquam jam egerunt quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt?* &c. Quæ Epistola Canonibus & regimini aristocratico penitus congruit, atque inter alia hoc notabile continet: videlicet Alexandrinam Ecclesiam, ab ipsismet fundatam unam esse ex illustrioribus: ac proinde non debuisse Athanasium absque sententia sedis primæ, Romanæ nimirum damnari: neque hæc Julii Epistola iis convenit quæ Sozomenus lib. tertio cap. 7. narrat, quasi Julius quicquam extra Synodum statuisset: Nam Sozomenus Julium sic interminantem

orientalibus inducit : *Deditque mandatum ut quidam illorum omnium nomine ad diem constitutum accederent, perspicue declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam justamque esse : quinetiam interminatus est, se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi novis rebus studere desisterent.* Quæ verba Sozomeni indicant Julium plures scripsisse Epistolas ad orientales : atque Sozomenum loqui de quadam increpatoria absolutum monarcham spirante : at longe mitiora sunt verba & conceptiones Epistolæ Julii apud Athanasium qui nominatim ait, *tametsi solus scripserit ad Orientales, non tamen suam solius esse sententiam sed omnium Italorum omniumque his in regionibus Episcoporum.* Scio quidem in Tomo priore Conciliorum legi quandam Epistolam Julii increpatoriam ad Orientales, sed cum disciplinæ tempore Julii I usitatæ omnino adversetur, neque etiam congruat Epistolæ quæ inserta est in Apologiam secundam Athanasii, deinde etiam stilus & ratio scribendi à doctissimo seculo Julii dissentiat, non eam possum ut à Julio scriptam amplecti.

Secundò obtendit Bellarminus, Patres Africanos ex ignorantia deceptos, quippe qui in Epistola ad Cœlestinum PP. bis repetant *in nulla Patrum Synodo se invenisse illos Canones Zosimi commonitorio contentos* : Ex quo colligit Bellarminus Patres Africanos non habuisse Canones Sardicos in quibus tres illi Canones diser-

disertis verbis continentur: aitque non minorem esse Sardicensis quam Nicæni Concilii auctoritatem.

Quod argumentum duabus constat partibus: de priore, utrum Patres Ecclesiæ Africanæ, Sardici Concilii cognitionem habuerint, postea videbitur: de posteriore, quod Sardicum Concilium tantæ sit auctoritatis quantæ Nicænum, mera est petitio principii plus satis confutata superius.

IX. Tertiò contendit, non majorem esse errorem citare Nicænum Concilium pro Sardico, quam Matthæum pro Joanne Euangelista, vel Hieremiam pro Zacharia, ut citavit S. Matthæus cap. 27. Sicut ergo non possumus vocare D. Matthæum falsarium, quia idem Spiritus Sanctus in Hieremia & Zacharia loquutus est: ita nec debuisse summos Pontifices appellari falsarios, etiamsi Nicænum Concilium pro Sardicensi usurpassent. Cum eadem sit auctoritas utriusque.

Ad hæc rependo, adferre incommodum, non solvere argumentum ut in scholis loquuntur. Certe dato, quod S. Matthæus Hieremiam pro Zacharia laudasset, non inde probatum maneret, Canones Sardicos pro Nicænis Canonibus potuisse legitime substitui: posito etiam quod Romanus Pontifex esset absolutus monarcha Ecclesiarum, ut placet adversariis. Cæterum Maldonatus cum permultis aliis antiquis & recentioribus apposite

docent S. Matthæum cap. 27. absque ullius Prophetæ nomine in hunc modum scripsisse: *Tunc impletum est qvod dictum est per Prophetam dicentem*, &c, dehinc vero, quempiam cum Euangelium D. Matthæi legeret, lapsu memoriæ ad oram libri scripsisse nomen Hieremiæ pro nomine Zachariæ, ac postea hoc glossema in contextum tanquam genuinum culpa & ignorantia librariorum, qui Euangelia exscripserunt, irrepsisse. Profecto maleferiatus erat Bellarminus dum tempus suum ejusmodi leptologiis scribendis quibus fucum facere voluit lectoribus, transmittebat. Hoc enim est, ut ait scriptura, *in circuitu ambulare*, & cavillari, non directe & bona fide respondere; quod autem ait Pontifices non debuisse falsarios appellari, eo quod Sardicos Canones pro Nicænis nominarint, &c. ei lubenter concedo: urgeoque nihil hodie esse quod propugnatores absolutæ monarchiæ à peccato liberare queat in hac parte, præter communem Ecclesiarum consensum: quæ tum demum passæ sunt jus commune in extraordinarium, & aristocraticum temperamentum in purum monarchicum regimen immutari: verumtamen nullam esse temporis præscriptionem quæ possit Ecclesiam impedire quo minus jus illud recuperet, atque in integrum restituat: & si qui voluerint impedimento esse, ut in Constantiensi & Basileensi Concilio factum est, graviter peccaturos, & tan-

tanquam justi regiminis Ecclesiæ violatores atque oppressores de hac re rationem reddituros Christo, si forsan ab hominibus cogi nequeant in ordinem.

X. Quarto Bellarminus octo proponit conjecturas aut incommoda quibus efficere molitur, Patres Nicænos multo plures quam viginti Canones, qui omnium manibus hodie volutantur, constituisse, ac proinde integros non esse. Primum, inquit, unus ex præcipuis Canonibus Nicænis fuit, ut Pascha die Dominico celebraretur, ut patet ex Epistola Constantini apud Eusebium lib. 3. de Vita Constantini, Epiphanio hæresi 69. & Athanasio in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ. At iste Canon Paschalis non extat inter illos viginti Canones citatos à Ruffino, ait Bellarminus. Quibus conjecturis priusquam sigillatim satisfaciam, lectorem monitum cupio, attendat: quodsi demus gratuito adversariis, Patres Nicænos plures quam viginti Canones scivisse: tamen nihil inde lucrifacturos neque habituros Canones Sardicos, quos Zosimus Patribus Africanis obtrusit, pro Nicænis: idque quamquam pro omni responsione satis esse posset, nihilominus singula depellemus. Quoad primam conjecturam, hercle Ruffinus lib. primo cap. 6. Canone 22. Nicæno aperte docet, *Patres Nicænos de observatione Paschæ antiquum Canonem Ecclesiis tradidisse, per quem nulla de reliquo varietas ori-*

retur, omnibusque rite dispositis, Ecclesiarum pax & fides in Orientis atque Occidentis partibus una atque eadem servabatur: Hæc Ruffinus. Quid igitur Cardinalis Bellarminus memorat hunc Canonem non extare apud Ruffinum: verum sicut Patres Tridentini dum animadverterent curam emendandi Breviarii rem esse difficiliorem & implicatiorem quam ut paucis diebus absolvi posset, nihil de ea privatim tractarunt, sed eam summo Pontifici curandam permiserunt: itidem Patres Nicæni cum observarent Canonem Paschalem ad normam motus Solis & Lunæ dirigi oportere, quo certa ratio Festorum mobilium indagaretur, ejus quidem rei provinciam Patriarchæ Alexandrino demandarunt, quo consultis peritioribus Astrologis, certa atque uniformis regula cunctis Ecclesiis præponeretur. Legendus Baronius Tomo tertio Annalium anno Domini 325. Et hæc causa est propter quam nullus Canon specialis fieri potuerit in Synodo Nicæna de celebratione Paschatis, & cur inter alios Canones non legatur: quamquam tamen apud Ruffinum generatim & implicite legitur. Leo Magnus epistola 64. collectionis Severini Binii demonstrat quidem suo tempore omnes Ecclesias Orientis atque Occidentis festum Paschæ die Dominico; verumtamen, sicut hodie fit, alios tardius, alios celerius celebrasse, propterea quod Theophilus Archiepiscopus Alexandrinus

drinus non ſatis accuratam rationem motus Solis & Lunæ ſubduxiſſet. Quapropter Leo etiam atq;etiam obſecrat Imperatorem Martianum ut Ægyptiis, aut aliis peritis Aſtrologiæ imperaret quatenus Canonem Paſchalem indubitatum efficerent : quam in rem idem Leo Pontifex ſcribit pariter Epiſtolam 65. adEudoxiam Auguſtam.Porro non abs re eſt quodRuffinus docet Canonem Paſchalem fuiſſe antiquum:quoniam uſum & praxim Eccleſiarum totius Occidentis, & majoris partis Eccleſiæ Orientalis commendabat, ideoque novus non erat: cum teſte Euſebio lib. v. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22.& 23. Item lib. 111. cap. 18. Vitæ Conſtantini, in tota Italia, Africa, Ægypto, Hiſpania, Gallia, Britannia, Libya, univerſa Græcia, in diœceſi Aſiatica, & Pontica, in Cilicia denique, una & conſentiente ſententia obſervaretur pridem ante Synodum Nicænam; ſola erat Eccleſia Epheſina quæ ritu Judaico decima quarta Luna quemcumque in diem incidiſſet,Paſcha celebrabat. At vero omnium Patrum Nicænorum conſenſu, hic Canon Paſchalis in rem judicatam abiit, & Conſtantinus Magnus curam illud mandandi exequutioni ſuſcepit, & eodem lib. tertio Vitæ Conſtantini dignoſcitur. Ex quo patet nihil fuiſſe neceſſe ut privatim de eo Canon ederetur à Nicænis Patribus, cum uno conſenſu Patrum & Eccleſiarum approbaretur: hicque conſenſus Conſtantini

ſtantini Magni Epiſtolis conſignatur & Canoni æquivalet.

XI. Secunda conjectura Bellarmini eſt, S. Ambroſium Epiſtola 82. aſſerere in Nicæno Concilio ſtatutum ne Bigami in Clerum adſciſcerentur. At, inquit, neque hoc quidem in illis viginti Canonibus invenitur. Reſpondeo, longe diverſum eſſe aliquid inter Canones, & inter acta Conciliorum reponi; & de aliqua re obiter agi in Synodo, & Canonem condi. Profecto S. Ambroſius Epiſtola ad Vercellenſem Eccleſiam pro electione Epiſcopi Vercellenſis paulo poſt medium, minime docet Canonem de bigamis excludendis ſacerdotio conditum fuiſſe, ſed *Patres in Concilio Nicæni tractatus addidiſſe, neque Clericum quemquam debere eſſe qui ſecunda conjugia ſortitus ſit.* Quæ verba, non de Canonibus, ſed obiter de diſputatis à Patribus intelliguntur. Profecto Siricius Papa Epiſtola prima ad Epiſcopum Tarraconenſem, dum aliquos Epiſcopos Hiſpaniæ bigamos reprehendit, & nulla facta memoria Synodi Nicænæ decernit *bigamos nequaquam admitti debere ad ſacerdotium*, ſententiam noſtram confirmat: quoniam ſi aliquid de ea re nominatim ſtatutum in Synodo Nicæna accepiſſet, nunquam id ſiluiſſet: cum hac ratione ejus epiſtola multo plus habitura fuiſſet ponderis auctoritate Nicæni Concilii roborata ad arcendos bigamos ab Eccleſia, quam ſola ſua ſanctione munita. Cæterum occa-

occaſionem Partibus Nicænis præbitam diſputandi de bigamis arbitror dum Canon VIII editus eſt, quo quidem nominatim edicitur ut Cathari, id eſt, Novatiani ad Eccleſiam redeuntes communicent cum Digamis: hos enim Cathari tanquam incontinentes haud aliter ab Eccleſia rejiciebant quam adulteros. Et ex hac occaſione, captam ſimiliter anſam diſſerendi de cœlibatu ſacerdotum conjicio.

XII. Tertia conjectura, Hieronymus præfatione in librum Judith, aſſerit hunc librum à Nicæno Concilio inter Canonicos receptum. At hoc non reperitur inter Canones Ruffini, ait Bellarminus. Contra abſolute negamus hoc aſſeri à S. Hieronymo vel etiam doceri ejuſmodi librum Canonicis libris accenſum: præbe aures Lector; *Apud Hebræos liber Judith inter hagiographa legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur: Chaldæo tamen ſermone conſcriptus inter hiſtorias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ, imo exactioni, & ſepoſitis occupationibus quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi.* Ex hoc textu quatuor colligimus. Primò, librum Judith computari ab Hebræis inter hagiographa, id eſt, ſancta & pia ſcripta quæ uſui eſſe poſſunt ad fovendam & excitandam pietatem, cujuſmodi haben-

bentur Ecclesiasticus, & similes. Secundò, hunc librum nihil conducere ad ea roboranda quæ veniunt in contentionem, id est, ad dogmata fidei constituenda. Nihilominus observandum, auctore eodem Hieronymo, quædam hagiographa pertinere ad Canonem Hebræorum ut notat in prologo Galeato. Tertio, computari inter sacras historias. Quarto, Synodum Nicænam illum scripturis sanctis adnumerare: quæ verba non indicant de illo Canonem factum, aut inter Canones Nicænos inclusum. Hercle si de illo Canon editus esset, nunquam Hieronymus dixisset, minus esse idoneum ad ea roboranda quæ in contentionem veniunt, sic enim auctoritatem habuisset à Concilio Nicæno: Equidem hæc loquendi formula Hieronymi: *Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum hunc legitur computasse*, non de Canonibus Nicænis, sed de actis & suasionibus, neque de libris Canonicis Scripturæ sed tantum de hagiographis intelligi debent. Quid memorem Synodum Laodicenam, quæ aliquot annis sequuta est Nicænum Concilium, hanc controversiam dirimere Canone ultimo: ubi libros Canonicos Scripturæ his verbis conceptis enumerat: *Hæc autem sunt quæ legi oportet Veteris Testamenti*, 1. *Genesis*, 2. *Exodus*, *id est*, *Exitus de Ægypto*, 3. *Leviticus*, 4. *Numeri*, 5. *Deuteronomium*, 6. *Jesu Nave*, 7. *Judices*, *Ruth*, 8. *Hester*, 9. *Regnorum* 1 & 2, 10. *Regnorum* 3 & 4, 11. *Paralipomenon*

non 1 *&* 2, 12. *Esdræ* 1 *&* 2, 13. *Liber Psalmorum* 150, 14. *Proverbia Salomonis*, 15. *Ecclesiastes*, 16. *Cantica Canticorum*, 17 *Job*, 18. *Duodecim Prophetæ*, 19. *Esaias*, 20. *Jeremias & Baruchi Lamentationes, & Epistolæ*, 21. *Ezechiel*, 22. *Daniel Novi autem testamenti hæc Euangelia quatuor secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem. Actus Apostolorum, Epistolæ Catholicæ septem, videlicet Jacobi* 1. *Petri* 2. *Joannis* 3, *Judæ* 1. *Epistolæ Pauli quatuordecim, ad Romanos* 1. *ad Corinthios* 2. *ad Galatas* 1. *ad Ephesios* 1. *ad Philippenses* 1. *ad Colossenses* 1. *ad Thessalonicenses* 2. *ad Hebræos* 1. *ad Timotheum* 2. *ad Titum* 1. *ad Philemonem* 1. Quo ex Canone Laodiceno dignoscimus quinam libri haberentur Canonici seculo S. Hieronymi: nam Concilium Laodicenum omnium auctorum consensu uno excepto Baronio, post Synodum Nicænam celebratum & Canoni universalis Ecclesiæ, quo Patres Chalcedonenses usi sunt, actione XI. insertum fuit: idque pariter confirmatur *Canone De Libellis Dist.* 20 Non me latet in Codice Canonum Dionysii Exigui quo Canones Laodiceni Concilii enumerantur, hanc ultimam Laodicenam regulam de Libris Canonicis Scripturæ prætermitti: sed hoc factum mihi certissime persuadeo, quoniam Ecclesia Romana tempore Dionysii Exigui libros scripturæ, quos Patres Laodicenses tanquam minus Canonicos omiserant, jam haberet pro Canonicis:

cis cujusmodi est liber Judith, Machabæorum, Apocalypsis, & alii quos S. Augustinus lib. secundo, c. 8. de Doctrina Christiana Canoni scripturarum adnumerat ex XLVII Canone tertii Concili Carthaginensis. Verumtamen eodem lib. 2. & cap. 8. de Doctrina Christiana monet: *ex scripturis Canonicis quasdam à pluribus quasdam paucioribus Ecclesiis suscipi: hancque teneri oportere regulam, ut illas pluris faciamus quæ ab omnibus Ecclesiis, & eis præponamus quæ à paucioribus recipiuntur, Dist. 20. Con. In Canonicis*: quo ex loco facile est videre etiam judicio Augustini, tum temporis aliquos fuisse libros scripturæ qui non ab omnibus approbarentur Ecclesiis: cujusmodi sunt quos Canon Laodicenus prætermisit: verum nulla alia ratione Baronium inductum existimo ad asserendum Laodicenam Synodum Concilium Nicænum præcessisse quam ut hac via Librum Judith Nicænæ Synodi auctoritate muniret, propter verba Hieronymi superius explicata.

Quarta conjectura, D. Augustinus Epistola 110. de Eradio successore sibi designando, perhibet, in Concilio Nicæno prohibitum, ne duo Episcopi simul sedeant in eadem Ecclesia: contra quem Canonem se imprudentem fecisse dolenter refert. At ille Canon nusquam apparet inter illos viginti Canones. Imo vero Bellarmine ophthalmia laboras; extat Canone octavo de Catharis aut

Nova-

Novatianis in omnibus editionibus Conciliorum, ſicque concipitur, *Ne in una civitate duo ſint Epiſcopi* : & apud Ruffinum Canone x.

XIII. Quinta, in Concilio Africano ſub Bonifacio I Canone XIV Patres aſſerunt ex Canone Nicæni Concilii non licere niſi jejunis offerre Euchariſtiam. At ubi eſt iſte Canon inter illos viginti, ait Bellarminus? Reſpondeo fruſtra eſſe Bellarminum in hoc probando: quoniam hic Canon de Euchariſtia à jejunis ſolum offerenda, non à Nicænis ſed à Patribus Africanis conditus eſt; ſicque concipitur vigeſimo nono Canone tertii Concilii Carthaginenſis ſub Siricio Papa : deinde Canone octavo Africani Concilii ſub Bonifacio I, *ut ſacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario quo cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum ſive Epiſcoporum ſive cæterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi qui faciunt jam pranſi inveniuntur:* hæc ibi. At notare oportet ex quatuordecim primis Canonibus hujus Concilii Africani, quos Epigonius Epiſcopus ex Hipponenſi Concilio potiſſimum collegerat ut approbarentur à Patribus: primum Canonum fuiſſe de celebratione Feſti Paſchalis: quintum ne Clerici verſentur cum mulieribus : decimum ut pœnitentibus ſecundum gravitatem peccatorum tempora pœnitendi adſcriberentur ab Epiſcopis: & prædictos tres Canones,

ſcilicet primum, quintum, & decimum Nicænis Canonibus omnino concordare: eamque ob cauſam Honorâtum atque Urbanum Epiſcopos legatos provinciæ Mauritaniæ Canone decimo quarto cum ſententiam ſuam & ſuffragium de memoratis Canonibus dicerent, in teſtimonium ſui conſenſus phraſi & ſtilo Africano ita reſpondere: *De fide enim Nicæni tractatus audivimus. Verum & de ſacrificiis inhibendis poſt prandium ut à jejunis, ſicut dignum eſt, offerantur, & tunc & nunc firmatum eſt.* Quæ reſponſio legatorum Mauritaniæ tria habet membra: prius ſpectat ad approbationem Canonum Nicænorum: *De fide Nicæni tractatus audivimus*: quæ clauſula ſtilo Africano ſignificat; abunde compertum habemus quid Patres Nicæni de hac re definierint. Etenim illo ſeculo Patres *nomine tractatus*, acta aut Canones Synodorum deſignabant, ut liquet ex S. Ambroſio Epiſtola 32. ad Valentinianum Imperatorem: & 82. ad Vercellenſem Eccleſiam, paulo ante laudata item ex Concilio Aquilegienſi, dum S. Ambroſius Attalum presbyterum Arrianum alloquitur. Alterum membrum reſponſionis eſt de approbatione Canonis octavi, quam approbationem his verbis conceptam habes: *verum & de ſacrificiis inhibendis poſt prandium ut à jejunis, ſicut dignum eſt, offerantur*, &c. Tertium ſpectat ad hæc verba, *& tunc & nunc firmatum eſt*. Ubi τὸ *nunc* Synodum Africanam, & τὸ *tunc* Hip-

Hipponensem significat : jam enim dixi Epigonium hos Canones præsertim ex Synodo Hipponensi collegisse. Omitto hanc controversiam à Bellarmino implicatam conceptis verbis à Patribus sextæ Synodi in Trullo evolvi Tomo tertio Conciliorum Romanæ editionis, Canone vigesimo nono, in hæc verba: *Carthaginensis Synodi Canon dicit, ut sancta altaris non nisi à sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno in quo Cœna Domini peragitur: tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles, sanctis illis Patribus hac dispensatione usis.* Proculdubio Socrates lib. quinto c. 12. & Sozomenus lib. sexto cap. 19. Historiæ memorant, tempore suo Eucharistiam apud Ægyptios sub vesperum à non jejunis sumi consuevisse: atque unamquamque provinciam in rebus quæ ad fidem non spectabant ut plurimum variasse : idque argumento est certissimo, Patres Nicænos nequaquam edidisse Canonem de eucharistia à jejunis sumenda: quia illum stricte Ægyptii servassent. Hinc etiam perspicuum evadit, Bellarminum hæc non ad veritatem sed ad fallendum scripsisse, quod indignum est Christiano homine : & tamen sæpe ad hunc scopulum allidit: quia non veritatem sed sua præjudicia tueri vult.

XIV. Sexta conjectura, in fine Chalcedonensis Synodi, Atticum Constantinopolitanum Episcopum referre in Concilio Nicæno determinatam fuisse rationem scribendarum

formatarum epiſtolarum, de quibus loquitur Optatus lib. ſecundo contra Parmenianum. At, inquit Bellarminus, hoc nuſquam apparet in viginti Canonibus Ruffini. Contra rependo: Patres Nicænos nullum de hac re Canonem edidiſſe teſte Baronio Tomo tertio Annalium ad annum 325. numero 167. Et ſiquid de literis formatis ſtatutum eſt, hoc ad acta non ad Canones ſpectare. Porro uſus hujuſmodi formatarum erat, ut neque Epiſcopo, neque Presbytero, aut cuiquam Clerico fines provinciæ peregrinandi cauſa egredi liceret abſque teſtimonio ſui Epiſcopi, à quo literas commendatitias accipiebat: Epiſcopus quidem à ſuo Metropolitano, presbyter autem à proprio Epiſcopo: Et hæ literæ *canonicæ, communicatoriæ, commendatitiæ, formatæ, & pacificæ* vocabantur ab antiquis: lege Canonem 32 Apoſtolorum: 7, 8 & 11 Antiocheni Concilii: 42 Laodicenſis: 20 Milevitani: & 13 Chalcedonenſis: cum Diſt. 71. Can. Nullum adi quoque Baronium Tomo ſecundo ad annum Chriſti 142.

XV. Septima conjectura, Lutherus, Calvinus, Centuriatores ac reliqui hæretici paſſim objiciunt ex Socrate lib. 1. hiſtoriæ cap. 7. Canonem Nicæni Concilii in quo dicunt permiſſas fuiſſe conjuges ſacerdotibus: at iſte Canon non invenitur in illis viginti: ergo hæreticorum judicio plures quam viginti Canones editi ſunt in Synodo Nicæna. Repono hic

hic frustra quæri quod nusquam extitit: enimvero, cum suadente Paphnutio eadem libertas qua ante Synodum Nicænam sacerdotes fruebantur, eisdem permissa fuerit: nihil opus fuit decretum in eam rem conflare. Satis quidem fuit ad veritatem rei gestæ, id in acta aut historias referri, ut revera relatum est. Quodsi conjugium interdictum fuisset sacerdotibus, merito ea de re Canon exigeretur. Cæterum quæ de Paphnutii intercessione memorant ne aliquid de cœlibatu sacerdotum scisceretur, video non immerito controverti, utrum ejusmodi intercessio vera sit: causas dubitandi enarrat Bellarminus lib. priore de Clericis cap. 20. nec non Nicolaus Faber Regis Christianissimi Præceptor in opusculis quæ edita sunt postquam supremum diem obiit. Nullo versor in dubio quin Ecclesiæ primitivæ temporibus viri matrimonio juncti cum ad presbyterium, tum ad Episcopatum assumerentur: siquidem necessitas id exigebat, quia alioqui nulli sacerdotes reperiri potuissent. Sed an cum uxoribus quoad thorum consuescerent, hoc quæstionis est. Ego quidem arbitror more quorumdam discipulorum Domini uxores habuisse tanquam non habentes: tantum ergo abest ut post ordinationem susceptam possent ad nuptias convolare: cujus rei testis quoque est Balsamo in notis ad x Canonem Synodi Ancyranæ. Verumtamen Canon octavus Synodi Neocæsariensis

riensis Concilii nobis scrupulum injicit: sic autem habet: *Si alicujus uxor cum esset laicus, adulteratam fuisse covicta fuerit, is non poterit ad ministerium accedere: sin autem etiam post ordinationem adultera fuerit, debet eam dimittere. Quod si cohabitet, non potest sibi commissum ministerium exequi.* Quibus verbis demonstratur eos qui matrimonio essent conjuncti, antequam sacris ordinibus initiarentur, etiam uxores suas retinuisse: ac proinde intercessionem Paphnutii non à veritate abhorrere. His accedit & Canon quartus Gangrensis: *Si quis de presbytero qui uxorem duxit contendat, non oportere eo sacra celebrante oblationi communicare, sit Anathema.* adde & S. Gregorium lib. 1. epistola quadragesima octava: *Volumus ut sacerdotes qui in Corsica commorantur prohiberi debeant ne cum mulieribus conversentur, excepta duntaxat matre, sorore & uxore quæ caste regenda est.* Similiter Dist. 31. Can. *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, diaconi atque subdiaconi matrimonio copulantur: istius autem Ecclesiæ vel occidentalium nullus sacerdotum à subdiacono usque ad episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Verum quod aliqui putant ex cap. 19 Matthæi, ubi Apostoli profitentur se uxores, liberos, parentes, agros, cæteraque omnia propter Christum reliquisse, necessario probari discipulos Domini non habuisse uxores; meo judicio

dicio valde falluntur: quoniam hic locus dogmatice & ad literam ſtricte captus reſpondet præcepto Chriſti de amando Deo ſuper omnia, Matthæi 22. & Lucæ 14. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod præceptum etiam impleri poſſe à conjugatis, nemo abſque hæreſi pertinaciter negare poſſet. Præterea dato quod Apoſtoli ante Apoſtolatum liberos habuiſſent, illorum curam negligere in Euangelio abſque ſumma impietate non potuerunt. Equidem Sozomenus refert, *Spiridionem Epiſcopum virum agreſtem tametſi uxorem & liberos haberet, non propterea tamen res divinas negligentius obiiſſe, multaque patraſſe miracula:* l. 1. c. 11. hiſtoriæ eccleſiaſticæ.

Octava & ultima conjectura ducitur à vigeſima Seſſione Concilii Florentini ſub Eugenio IV. quam Alphonſus Piſanus etiam conjecit in ſuam farraginem. Nam quidam Joannes vir doctiſſimus reſpondens Marco Epheſino Epiſcopo aſſerit ſe multis ſanctorum veterum teſtimoniis poſſe oſtendere, Patres ſexti Concilii Carthaginenſis tandem agnoviſſe corruptos & falſos Canones Nicæni Concilii ad ſe ex Alexandria & Conſtantinopoli miſſos, inquit Bellarminus. Contra autem oppono, iſtum Joannem valde confidentem fuiſſe, & Bellarminum parum prudenter ejus uti opinione: quaſi iſti Joanni plus fidei habere de-

beremus, quam actis publicis, omnium Christianorum testimonio, ducentorum & mille annorum decursu confirmatis. Quam bene isti audaculo Joann cessit, quod nullum auctorem ad suæ conjecturæ firmamentum protulerit: cujus testimonio statim falsi convinceretur. Omitto prædictum Joannem Zosimo atq; Africanis Patribus temere imponere, dum comminiscitur Zosimũ rescripsisse Africanis, *ex decreto Synodi Nicænæ Pontificem appellandum œcumenicum: & Patres Africanos postquam receperunt exempla Nicæni Concilii ex Oriente, respondisse se tale nomen ipsi nolle tribuere, quod à generali Synodo decretum minime fuerit*: Quæ verba, vanitatem atque imperitiam istius hominis produnt: sed relictis futilibus conjecturis Bellarmini, pesequamur alia ejus argumenta.

XVI. Quinto ratiocinatur, videri admodum probabile in Concilio Nicæno non fuisse expresse hos tres Canones Sardicos de quibus agitur: sed à Zosimo & Bonifacio PP. ideo appellari Canones Nicænos, quia Concilium Nicænum & Sardicense pro uno atque eodem habebantur: & utriusque Concilii Canones simul conjunctos legi in Bibliotheca Romana tanquam ejusdem Concilii; atque hujus rei ignorationem Patres Africanos conturbasse. Subjungit decretum de Appellando ad Romanum Pontificem implicite atque obscure contineri Canone VI. Nicæni Concilii, quo jubetur antiquas consuetudines servari: quarum

quarum consuetudinum una est de Appellationibus, ut patet ex Leone Magno Epistola 89. & Epistola Julii apud Athanasium Apologia secunda. Urget etiam Canones Sardicos legi conjunctos cum Nicænis in Concilio Nicœno, quod Dionysius Exiguus ante mille annos ex Græco convertit: cujus pariter exemplum extat in monasterio sancti Wedasti Atrebatensis. Hæc Bellarminus, à quo similiter Baronius non dissentit Tomo tertio, ad annum 325. numero 158, & sequentibus.

Verum hæc collectio quinque constat partibus: Prima est, Nicænam & Sardicam Synodum pro una atque eadem haberi: quod falsissimum esse supra ostendimus, in Analysi rationum auctoris præfationum historicarum. Secunda, quod Nicæni & Sardici Canones conjunctim reperiantur in Vaticana Bibliotheca, tam exigui est momenti, ut nullam responsionem desideret: multo autem plus habiturum erat ponderis, si Bellarminus probare potuisset, istam conjunctionem Canonum repertam & exproomptam ex Ecclesiarum Orientalium Charthophylaciis, & missam Patribus Africanis: qui Epistola ad Cœlestinum PP. diserte & sine ullis ambagibus, Canones Sardicos nihil plane ad Nicænos spectare ita docent: *Illud quod pridem per Coëpiscopum nostrum Faustinum tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna à sancto Cyrillo Coëpiscopo nostro*

 Ale-

Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite ex authentico missis, non potuimus reperire. Verum de his plura in historia Concilii Carthaginensis. Tertio, quod Bellarminus infert obscure atque implicite, decretum de Appellationibus ad Sedem Apostolicam contineri Canone VI Nicæno: æquivocatione laborat: si enim de Appellationibus ex toto orbe Christiano, imo de toto Occidente intelligit, hoc negamus, & negatio nostra analysi Epistolæ Patrum Africanorum ad Cœlestinum Papam comprobatur, ut statim demonstrabimus. Si autem sermo est de Ecclesiis suburbicariis secundum jus commune: fateor jus esse appellare secundum ea quæ supra docuimus in explicatione quinti Canonis Nicæni. Idemque est judicium de aliis Metropolitanis & Patriarchis respectu Ecclesiarum sibi subjectarum. Quando autem jus appellandi ad Patriarcham introductum sit, explicabitur in historia Synodi octavæ. Enimvero ex disciplina Canonibus Nicænis præscripta, in more positum erat singulis Metropolitanis nascentes controversias Synodis particularibus decidere, nec quicquam motu aut spiritu privato & oligarchico statuere: eamque ob causam bis annuatim habebantur sacri conventus ex præscripto Canonis V. Nicæni: sicque est intelligendus Leo Magnus Epistola laudata à Bellarmino. Quod si Leo amplius, ut sæpe facit, jus suum extendat,

tendat, terminos à majoribus positos conturbat: quare non est ei auscultandum, sed Canonibus Nicænis, quos Patres sexti Concilii Carthaginensis interpretantur, nobisque indubitatam Ecclesiæ primitivæ disciplinam consignant. Supra docuimus quæ hodie contra jus commune patrantur, non vim habere ratione monarchiæ absolutæ Papæ : sed ex communi Ecclesiarum consensu, quæ se ita regi patiuntur, quasi regiminis Apostolorum & consuetudini Ecclesiæ primitivæ immemores : nam desuetudine leges abrogantur: ita tamen ut jam dixi, situm in potestate Ecclesiæ à forma hodierni regiminis ad apostolicum & jus commuue tanquam ex importuno atque molestissimo diversorio in nativam & amœnissimam domum redire : si modo id per bona temporalia ecclesiastica liceat : quibus ut homines affluant, sæpe omnia divina atque humana jura violant. Quarto, Epistola Julii PP. nullo modo causæ Bellarmini patrocinatur cum diserte doceat, Julium quicquid egit in causa S. Athanasii, synodice & secundum Canones, non potentatu monarchico peregisse : deinde absolute negatur Bellarmino S. Athanasium appellavisse Romam. Quinto, Codex Dionysii Exigui Bibliothecæ Monasterii Sancti Wedasti nulla in re est cum Moguntino comparandus: tum quia ille apocryphus, hic autem publici juris factus est anno 1525 .contra Lutheranos, & Canoni Ec-
clesiæ

clesiæ universalis plane congruit: habetque à Gregorio XIII auctoritatem in Præfatione decreti Gratiani jussu ejusdem Gregorii editi: hercle, ego miror doctissimum Theologum Bellarminum tam futilibus uti potuisse conjecturis ad dogma fidei, ut prætexunt, confirmandum: dogma, inquam, fidei, quoniam omnes animi vires intendunt, ut persuadeant Papam jure divino esse Monarcham absolutum Ecclesiæ: atque ex toto orbe Christiano appellationes ad sedem Romanam deferri oportere: & hæreticos esse qui hoc negant. Quæ criminatio mihi potissimum incentivo fuit, ut de justo regimine Ecclesiæ quod Christus instituit, & Apostoli propagarunt, multos libros lucubrarem.

Sexto perhibet, nisi Sardicense Concilium pro appendice Nicæni habeatur, nullam posse reddi rationem, cur inter Concilia generalia non numeretur: quoniam deberet dici secundum Concilium generale, cum sit universale & receptum: at non vocatur secundum Concilium generale, quia nihil novi quoad fidem in illo statutum est: sed solum fides Nicæna roborata est. Respondeo jam hinc satisdatum Argumento in Analysi rationum Auctoris præfationum historicarum.

Sptimo, Patres Carthaginenses nunquam statuisse ut nullum jus Romano Pontifici in Africam tribueretur, vel ut non liceret ullo modo Episcopis Africæ ad Romanam Ecclesiam

ſiam provocare : nam tale decretum nuſpiam extat. Imo Africani Patres in Epiſtolis ad Bonifacium & Cœleſtinum ſuam concordiam & ſubjectionem ad ſedem apoſtolicam apertiſſime teſtantur.

Rependo, Patres Africanos revera primatum ſedis apoſtolicæ agnoſcere, & revereri, ut par eſt; id eſt, in ordine ad regimen ariſtocraticum : contra vero abſolutam damnaſſe monarchiam: tum *ubi prohibent tranſmarina judicia* : tum, *ne quis primæ ſedis Epiſcopum, principem ſacerdotum, aut ſummum ſacerdotem vel aliquid ejuſmodi nominet : tum denique ubi ſeculi typhum minime intromitti oportere in Eccleſiam decernunt*, ut infra pluribus oſtendetur. Ad hæc faciunt quæ Balſamo habet in trigeſimum primum Canonem Synodi Carthaginenſis, quo judicia tranſmarina prohibentur : *Nota ex eo, quod ſe fruſtra jactant qui ſunt Romanæ Eccleſiæ, dicentes, eam debere de omnium Eccleſiarum quæſtionibus per Appellationem decidere. Si enim ei non permittitur Appellationes eorum qui ſunt in Africa examinare, multo magis hoc jus non habebit in alias regiones*, inquit.

XVII. Octavo urget, poſt diſſidium inter Romanam & Africanam Eccleſiam ſuper Apiarii presbyteri reſtitutione, natum atque ſopitum, vivente Cœleſtino PP. Antonium Fuſſalenſem Epiſcpum, Divi Auguſtini diſcipulum, cum fuiſſet ſynodice abdicatus, ap-
pellaſſe

pellasse ad sedem apostolicam, ut auctor etiam est Baronius Tomo quinto anno 419. atque B. Augustinum his verbis scripsisse ad Cœlestinum Epistola ducentesima sexagesima prima: *Collabora nobiscum pietate, venerabilis Domine beatissime, & debita charitate suscipiende Sancte Papa: & jube tibi quæ directa sunt omnia recitari.* Et infra: *Existat exemplo ipsa sede Apostolica judicante vel aliorum judicata firmante.* Idque argumento esse dictitant, Pontifices Romanos, non obstante Epistola Synodica quam Cælestino PP. in sexto Concilio Carthaginensi scripserant, non destitisse cognoscere de causis atque appellationibus transmarinis Afrorum.

Oppono, hoc exemplum potius silentio obrui, quam à Bellarmino & Baronio commemorari debuisse, quoniam ad viam facti non ad quæstionem juris attinet: demonstrat atque per quos & à quibus juris communis & Canonum corruptela extiterit. Quæcumque enim jus commune labefactant, & contra consensum ordinariorum geruntur, ad viam facti pertinent. Res sic habet, Antonius Episcopus Fussàlensis vitæ profligatissimæ, cum in Synodo 2. Canones relicto ei honore & titulo Episcopatus functionibus ecclesiasticis interdictus fuisset, Romam habuit perfugio, estque à Cœlestino admissus ad communionem: rumorque percrepuerat in Africa illum militari manu in sedem suam restituendum mandato

Cœ-

Cœlestini : quod cum S. Augustinus pertimesceret, videretque nihil loci amplius relinqui juri communi, & Canonibus Nicænis, quoniam via facti perfringerentur; neque se habere quod in contrarium opponeret : tandem Cœlestinum etiam atque etiam obsecrat, ut causam illam examinet, nec patiatur via facti Antonium restitui: *Judicia*, inquit, *civibus Fussalanis, & publicas potestates, & militares impetus tanquam exequutores apostolicæ sedis sententiæ, sive ipse Antonius, sive rumores creberrimi comminentur, ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo, quam cum essent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant*. Hucusque Augustinus, qui Fussalenses ad fidem Catholicam converterat, eisque istum Antonium monachum & discipulum suum, cum eum non bene nosset, dederat Episcopum : cujus facti postea Augustinum valde prœnituit. At vero cum Romani Pontifices partim ratione primatus sedis apostolicæ, partim ob urbis dignitatem, quæ sedes erat Imperii, sibi propinquos & faventes haberent Imperatores Romanos, facile ab eis impetrabant, ut Præfectis Provinciarum scriberent, quatenus via facti exequutioni mandarent, quæcumque Romanus Episcopus statuisset: siquidem Imperatores hoc etiam ad Imperii Romani Majestatem attinere ducebant. Unde legimus, postquam Paulus Samosatenus Episcopus Antiochiæ synodali judicio,

dicio, propter hæresim est exauctoratus Aurelianum Imperatorem, quamquam Ethnicum, sententiam Episcoporum Italiæ mitti jussisse in rem judicatam, ut testis est Eusebius lib. septimo cap. 24. Historiæ. Similiter Valentinianus Cæsar imperavit Constitutionem Leonis Magni adversus Hilarium Arelatensem exequi, ut videre est in Codice Theodosii Titulo 24. de qua re infra. Et hinc perspicuum redditur, permulta privilegia sedi Romanæ, ob Urbis atque Imperii Majestatem accessisse, quæ illi jure divino non debebantur. Porro quod narrat Baronius Antonium Fussalensem Episcopum pro gravamine sententiæ Patrum Africanorum contra se objecisse, *aut se in sua Cathedra sedere debuisse, aut Episcopum esse non debuisse*: quasi contradictionem involveret aliquem abdicari functionibus ecclesiasticis & honorem Episcopatus retinere: Respondeo, Patres Africanos hac in re auctores habuisse Prælatos Nicænos adversus Meletium Episcopum Lycopolitanum, quem muneribus Ecclesiasticis privarunt & tamen dignitatem Episcopi reliquerunt, ut superius notavi in Historia Concilii Nicæni. Et hactenus de Concilii Sardici historia; reliqua quæ ad eam rem conferunt enodabuntur in sexto Concilio Carthaginensi infra. Cardinalis Perronius lib. 1. Responsionis ad Regem Magnæ Britanniæ cap. 53. quod est conceptum *de Sardico Concilio*, circa medium, probare

bare vult Canones Sardicos inſeri æqualiter inter alios Canones Græcæ Eccleſiæ: idque confirmat ex Synagoga Canonum Theodoreti Epiſcopi Cyri, quæ Græcè extat in Bibliotheca regia cum hac in ſcriptione; συναγωγὴ κανόνων εἰς ν. τίτλους διῃρημένη παρὰ Θεοδωρήτου ἐπισκόπου Κύρου. Id eſt, *Synagoga ſive Collectio Canonum redacta in quinquaginta Titulos per Theodoretum Epiſcopum Cyri.* Subjungit, ſtilum & formam ſcribendi plane congruere Theodoreti ſtilo: ex quo infert, Canones Sardicos in uſu fuiſſe apud Græcos tempore Theodoreti, qui Synodo primæ Epheſinæ, & Chalcedonenſi interfuit. Verum ego Codicem illum Græcum Bibliothecæ regiæ vidi atque rovolvi diligenter, in quo tres continentur Collectiones Canonum Græcorum. Prima eſt auctoris anonymi, ſecunda editur ſub nomine Theodoreti; tertia ſub nomine Simeonis Magiſtri Logothetæ. Ut enim varias Canonum Collectiones Latinè à Burchardo, Anſelmo, Ivone, Gratiano & aliis concinnatas habemus, ſic apud Græcos varii auctores Synagogas Canonum ſcripſerunt: & quemadmodum Gratiani Collectio ſupra alias obtinuit, ita etiam Nomocanon Photii & Balſamonis, aliis Synagogis Græcorum prævaluit. In prima Synagoga auctoris Anonymi folio 1. extant Canones Apoſtolorum: folio 5 verſo, Canones Nicæni: folio 9 verſo, Ancyrani Concilii folio 11 verſo, Neocæſarienſis: folio 12 verſo, Sar-

dicenſis Synodi τοπικῆς, ſic enim appellatur ad diſtinctionem œcumenicorum Conciliorum, & ita patet non eſſe œcumenicam : folio 16 verſo, Gangrenſis: folio 18 verſo, Antiochenæ Synodi : folio 22. Laodicenæ : fol. 25 recto & verſo, Conſtantinopolitanæ : fol. 27 verſo, Epheſinæ : fol. 31. Chalcedonenſis : deinde fol. 35 verſo, ſequuntur Canones Gregorii Epiſcopi Neocæſarienſis Thaumaturgi : & fol. 39. & ſequentibus plures leguntur Epiſtolæ Baſilii Epiſcopi Cæſarienſis Cappadociæ. Denique Canones Conciliorum Africanorum claudunt hanc primam Synagogam. Secundo loco occurrit Synagoga quæ Theodoreto tribuitur fol. 102 recto, cum hoc Titulo : *Synagoga Canonum redacta in quinquaginta Titulos per Theodoretum Epiſcopum Cyri* : deinde eodem folio verſo, ad calcem, recenſentur Canones & concilia hoc ordine, ita ut primo fiat mentio octoginta quinque Canonum SS. Diſcipulorum & Apoſtolorum : qui numerus 85 præſcribitur Canone 2. Synodi in Trullo : deinde ſolio 103 recto, numeratur Synodus Nicæna habita in conſulatu Paulini & Juliani : tertio loco Ancyranum, quarto Neocæſarienſe, quinto Sardicenſe Concilium, habitum poſt primam Synodum Nicænam : ſexto Gangrenſe, ſeptimo Antiochenum, octavo Laodicenum, nono Conſtantinopolitanum primum, decimo Epheſinum, undecimo Chalcedonenſe, duodecimo ſe-

quuntur

quuntur aliquot Canones collecti ex Basilio. Et hæc est Summa Conciliorum & Canonum ex quibus illa Synagoga collecta, & redacta est in quinquaginta Titulos. Postea sequuntur Tituli aliquot collecti ex Nicæna, Constantinopolitana & Ephesina Synodo, fol. 103. recto : deinceps fol. 104 recto, hi occurrunt Tituli : Primus de Privilegiis Patriarcharum, ex Canone VI & VII. Nicæni, secundo Constantinopolitani, tertio & septimo Canone Ephesini Concilii. Secundus Titulus est de Privilegiis Metropolitanorum, laudaturque Canon XXXIV Apostolorum & IX Synodi Antiochenæ, & ita deinceps procedit, ac identidem auctor hujus Synagogæ laudat Canones Apostolorum : quos constat nunquam adnumeratos Codici Canonum Ecclesia universalis, quo Patres Ephesini & Chalcedonenses, aut etiam Romana Ecclesia usa est tempore Dionysii Exigui. Ex quo inducitur cecessario illos venisse ad notitiam Græcorum post Synodum Chalcedonensem, & Theodoretum vita functum, quia jam erat ætate provectior in Synodo Chalcedonensi. certe in Epistola Zepherini Papæ fit mentio *Constitutorum ab Apostolis* : quod recentiores interpretantur de Canonibus Apostolorum : sed illa Epistola est supposititia, & ex earum numero quæ Synodum Nicænam præcesserunt. Certumque mihi est Canones Apostolorum ab aliquo conditos & collectos tem-

pore Gelasii Papæ, partim ex omnibus generalibus & provincialibus Conciliis, partim ex quibusdam privatis ritibus nonnullarum Ecclesiarum vel ex disciplina monachorum. Nam primus omnium auctorum indubitatorum, Gelasius Canonum Apostolicorum meminit, *Dist.* 15. *Can. Sancta Romana*, quos tamen reponit inter libros Apocryphos; neque de illorum numero quicquam statuit: unde arbitror ab eo tempore plane vagos atque erraticos fuisse. & usque ad Synodum quinisextam in Trullo, per manus hominum absque ulla auctoritate decurrisse, tandemque à Patribus Trullanis ad numerum octuaginta quinque receptos, sicut Canone 2. Trullanæ Synodi legitur. Ex quo inimus, hanc Synagogam post quinisextum Concilium Trullense factam, id est, amplius centum annis post Theodoretum vita functum. Quocirca scriptorum vitio, in Titulum hujus Collectionis irrepsisse errorem, & pro Theodoreto Cyri Episcopo scribendum forte Theodorum censeo: quia legimus quendam Theodorum Lectorem Canones collegisse, cujus meminit doctissimus Cujacius *ad Novellam Justiniani* 79. *de Monachis qui olim venire in forum compellebantur ex Constitutione Leonis. L. Omnes. Cod. de Episcopis, & Clericis.* Utut sit, compertum habeo Theodoretum Cyri Episcopum non esse auctorem hujus Synagogæ, sed alium forsan ejusdem nominis. Quod vero Per-

Perronius ſtilum & formam ſcribendi Theodoreti urget, levius eſt quam ut nos morari debeat, quia ſtilus Synagogæ iſtius eſt valde interruptus ob frequentes Titulos; neque ex prologo exiguo florentiſſimus Theodoreti ſtilus dignoſci poteſt: & quamquam aliquis rationem eminentem ſcribendi Theodoreti fuiſſet imitatus, tamen hoc quod vult Perronius minime efficeret Chronologia repugnante: nemo enim verſatus eſt in lectione Conciliorum, qui non prima fronte videat Canones, qui tribuuntur Apoſtolis, quingentis circiter annis poſt Apoſtolos fuiſſe ab aliquo ex iis collectos, quæ in Eccleſiæ diſciplina & ritibus privatis obſervabantur: ut jam docui. Inſuper retundi poteſt Perronius, quoniam certum eſt apud æquos judices, tabulas, niſi publicæ, indubitatæ & omnibus notæ ac perſpectæ ſint, nullam fidem facere poſſe.

CAPUT IV.

I. *De Concilii Antiocheni Hiſtoria, ejuſque Canones eſſe legitimos, & ab Eccleſia Catholica approbatos.*

II. *Baronii & Severini Binii argumenta contra Synodum Antiochenam depelluntur.*

III. *Canones Antiochenos omnium maxime neceſſarios eſſe ad Canonum Nicanorum explicationem, & diſciplinam Eccleſiaſticam optime conſtituendam.*

I. QUamquam Synodus Antiochena tempore Sardicum Concilium præcedat: tamen de hoc prius tractandum cenſui ut demonſtrarem, falſo à Recentioribus Sardicam

pro Appendice Synodi Nicænæ venditari. Porro Antiochenum Concilium celebratum est quæſita ab Arrianis occaſione ex Encæniis templi quod Conſtantinus Magnus Antiochiæ ædificari voluerat : quo perfecto juſſu Conſtantii Cæſaris dedicatum eſt circa annum CCCXLI. Cui Dedicationi nonaginta ſeptem aut novem Epiſcopi, partim orthodoxi partim Arriani interfuerunt ac inter ſeſe communionem inierunt Arrianis hæreſim ſuam occultantibus ſeque orthodoxos profitentibus. Quocirca ſpecie pacis conſtituendæ in Eccleſia, occaſionem habendæ Synodi tribus de cauſis captant ut jam docui ſuperius : prima fuit ut formula fidei conderetur pro explicatione Symboli Nicæni: ſecunda ut de S. Athanaſio exturbando ageretur : tertia ut Canones pro diſciplina melius ordinanda ſciſcerentur : Catholici autem qui Arrianos numero vincebant, de Canonibus condendis duntaxat convenerunt, & revera permultas optimas & ſanctiſſimas regulas pro Canonum Nicænorum explicatione ſtatuerunt: quæ communi Eccleſiæ Catholicæ conſenſu tandem receptæ atque in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſalis conjectæ ſunt. Hoc enim claret primum ex priore Synodo Epheſina, parte ſecunda, actione ſeptima, fol. quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo editionis Romanæ: & Tomo ſecundo cap. 4. Collectionis Binianæ in appendice: *Sancta Synodus dixit, memor ſit Sancta Synodus*

Ca-

Canonis sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum qui conservat unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem : sic etiam memor sit ANTIOCHIÆ. *Docete igitur an non jus ordinandi ex more veteri apud vos habeat Antiochenus*, &c. Verum quod Patres Ephesini dicunt Canones Nicænos & Antiochenos debere in memoriam revocari, sextum Canonem Nicænum intelligunt de quo supra; deinde nonum, decimum tertium & vigesimum secundum Antiochenum, quibus diserte docetur *unumquemque Episcopum suis parochiæ terminis se continere, nec in alienas parochias debere invadere:* de quibus Canonibus infra. En igitur primum argumentum pro Canonibus Antiochenis, nimirum quod Ecclesia eos receperit & laudentur à prima Synodo Ephesina.

Secundum ducitur ab actione undecima Synodi Chalcedonensis, ubi Leontius reverendissimus Episcopus Magnesiæ ex Codice Canonum Ecclesiæ universalis regulam nonagesimam quintam & nonagesimam sextam, hoc est decimum sextum & decimum septimum Canonem Synodi Antiochenæ in hunc modum recitavit: *Si quis Episcopus vacans super Ecclesiam vacantem semet ipsum injiciens, surripuerit sedem præter perfectum Concilium, hunc expellendum esse, licet omnis populus quem arripuit eum elegerit. Perfecta vero Synodus illa est cui interest Metropolitanus:* Ecce prior Canon Antiochenus: posterior autem : *Si quis Episcopus ordinationem acceperit Episcopatus, & populo praeesse decretus non*

 ac-

acquieverit ordinationi, neque ei persuasum fuerit proficisci ad Ecclesiam sibi commissam, hunc excommunicatum esse donec coactus acquiescat, aut quicquam de eo Episcoporum provinciæ Synodus perfecta definiat. Qui duo Canones, eodem similiter ordine & numero citantur in Codice Canonum Dionysii Exigui: quo ante Gratiani decretum Romana Ecclesia utebatur. Idque argumento est certissimo, & universalem Ecclesiam in Conciliis generalibus, & Romanam usam fuisse Canonibus Antiochenis velut sanctissimis & canonice factis.

Tertium argumentum petitur à Synodo prima Aquisgranensi habita anno 816. cujus Synodi septuagesimus quartus Canon duodecimum Canonem Antiocheni Concilii integrum refert: laudaturque etiam à Gratiano 21 quæstione 5. Can. *Si quis à proprio Episcopo depositus presbyter vel diaconus, aut etiam si à Synodo quilibet Episcopus fuerit exauctoratus, molestiam Imperialibus inferre non præsumat, sed ad majorem Episcoporum Synodum sese convertat: & quæ se putat habere justa in eorum Concilio alleget: atque ab his de se expectet quæ fuerit deprompta sententia. Quodsi deficiens pusillanimitate hoc noluerit facere, sed importunius fuerit Imperatori, hujusmodi nullam veniam habeat, neque locum ullius assertionis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.* Quam regulam objiciunt factam adversus S. Athanasium, sed immerito, quoniam ejus causam valide armat, ut statim osten-

ſtendetur. Ex quo effectum eſt, ut hic XII Canon Antiochenus integer atque illibatus fuerit relictus in decreto Gratiani auctoritate Gregorii XIII recognito, abſque ulla nota vel admonitione: jure quidem, quoniam omnino conformis eſt diſciplinæ primitivæ Eccleſiæ, Canonibus Nicænis præſcriptæ, & ſexto Concilio Carthaginenſi explicatæ ac confirmatæ.

Quarto, Leo IV. PP. *Can. de Libellis Diſt.* 20. inter Canones Conciliorum *per quos judicant, & judicantur* Epiſcopi, Antiochenos Canones enumerat: unde etiam Gratianus multis in locis eoſdem conjecit in ſuum decretum. Conſule *Diſt.* 16. *Can. Prima adnotatio.*

Quinto, Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus Tarraconenſis, vir doctiſſimus, & in lectione Conciliorum ac Patrum antiquorum verſatiſſimus, lib. primo de emendatione Gratiani, dialogo XI. hæc de Canonibus Antiochenis docet: *Cur Canones Antiocheni recepti ſint, cum Arrianos illos Epiſcopos auctores habeant, non poſſum cauſam dicere: ſed receptos eſſe conſtat, & in corpore Canonum poſitos ante Concilium Chalcedonenſe, ut in ejus Concilii actione* XII. *Græcis, Latinis* XI. *apparet: & ex libro etiam Latino quem eodem nomine Corpus Canonum dicimus: quem aperte Leo* IV *in Epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ approbat: id conſtat ex aliis multorum teſtimoniis, præſertim Paſchalis* II. *in Concilio Romano, fortaſſe propter decretorum utilitatem.* Hæc vir doctiſſimus.

II. Con-

II. Contra hæc Severinus Binius ex annalibus Baronii anno Christi 341. quatuor præsertim objicit, ut probet Canones Antiochenos spurios esse. Primum Patres Chalcedonenses non ex Codice Antiocheni Concilii, sed ex alia collectione pridem ante communi Ecclesiæ auctoritate facta & probata citasse 95 & 96 regulam. Secundo, Canonem XII Antiochenum factum contra S. Athanasium: *Hic est ille Canon*, ait Binius, *quem adversarii Chrysostomo objecerunt: quemque ille ab Arrianis sancitum meritoque per Sardicense Concilium plane sublatum esse respondit: rem gestam enarrat Socrates, libro 6. cap.* 16. Tertio, Innocentium I Epistola ad Clericos Constantinopolitanos in causa Chrysostomi de eodem Canone Antiocheno scripsisse: Canones qui à Canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi esse deprehenduntur, ab Episcopis Catholicis rejici, neque iis esse obtemperandum: sed eos contemnendos quomodo antea in Sardicensi Concilio ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est. Quartum infert Gratianum non debuisse memoratum Canonem XII in suam collectionem inserere. Hæc sunt argumenta quibus Binius in notis ad Synodum Antiochenam efficere vult Canones Antiochenos plane rejici oportere.

Verum tamen frustra laborat, quoniam tam certum quam quod certissimum est, Canones Antiochenos probatos atque receptos fuisse ab

ab Ecclesia Catholica : merito quidem, cum in nullo alio Concilio, vix unquam utiliores ad optime constituendam disciplinam Ecclesiasticam conditi fuerint : quæque in contrarium opponuntur à Baronio, futilia, eoque fine inventa sunt, ut jus commune & regimen aristocraticum Ecclesiæ, quod Antiochenis Canonibus clarissime explicatur & munitur, proclivius convellatur, & absoluta monarchia asseratur. Ad primum, mera est petitio principii imaginaria, cui si detur locus, simili commento illudi poterit Canonibus Nicænis. Enim vero cum omnium consensu collectio Codicis Canonum, qua de agitur, exordium faciat à Nicænis Canonibus propter Synodi Nicænæ excellentiam: dato quod aliquis laudetur Canon Nicænus, opponi atque excipi poterit, eum non à Nicæna Synodo, sed ab alia antiquiore collectione pridem ante communi majorum auctoritate facta robur habere: quod est ridiculum effugium. Certe cum solenne sit Baronio, bellum omnibus Canonibus & Scriptoribus indicere, quos putat aristocratico regimini Ecclesiæ & disciplinæ apostolicæ patrocinari : nullo versor in dubio, quin si aliquam vel tenuissimam rimam potuisset nancisci, qua Nicænos Canones dubios atque incertos redderet, eam avidissime invaderet, ut suæ absolutæ monarchiæ velificaretur : in cujus rei confirmationem ea promi possunt quæ de Nicænis Canonibus combu-
stis

ſtis & Arabicis nuper inventis comminiſcuntur.

Ad ſecundum oppono, tria rerum capita in Synodo Antiochena tractata fuiſſe : quorum primum ad fidei Nicænæ explicationem & evolutionem, ſecundum ad S. Athanaſii expulſionem, tertium ad ſanctionem Canonum pertinebat : atque ex his tribus capitibus Eccleſiam Catholicam duo priora rejeciſſe ac tertium dumtaxat amplexam, ut jam ſupra docui. Quod autem Binius & Baronius inſtant, Socratem narrare Chryſoſtomum Leontio Epiſcopo dixiſſe Canonem XII Antiochenum factum ab Arrianis contra S. Athanaſium : tria reſpondeo : Primum, eſſe veroſimile, tempore B. Chryſoſtomi nondum Canones Conciliorum compactos fuiſſe in unum corpus & codicem, ac certis numeris diſtinctos, & conſequentur Eccleſiam Catholicam Antiochenos Canones minime adhuc approbaſſe vivente S. Chryſoſtomo : hoc enim dehinc factum arbitror circa tempora primæ Synodi Epheſinæ : à qua ut ſupra docui Antiocheni Canones laudantur : qua reſponſione vaſtiſſimus Baronii impetus omnino ruit. Secundo notandum, Patres, Tertullianum, Athanaſium, Hieronymum, Chryſoſtomum & alios (S. Auguſtinum & Baſilium mitiſſimo ingenio præditos excipio) ſæpe calente ingenio inter altercandum cum adverſariis nonnulla dicere quæ pro veris aut dogmaticis nequaquam haberi,

beri, ſed conſiderate examinari & capi debent : cujuſmodi hæc eſt Chryſoſtomi & Leontii velitatio. Tertio contendo Canonem XII Antiochenum, ſi ut oportet capiatur, neque ulla in re Canonibus Nicænis, neque etiam B. Athanaſii aut Chryſoſtomi cauſæ incommodare, imo vero eam plurimum juvare. In primis autem non repugnare Canonibus Nicænis ideo exſplendeſcit, quod Patres Nicæni Canone V ſtatuant, omnes controverſias ſecundum jus commune illic audiri atque definiri oportere ubi naſcuntur : & illos qui alicujus judicio offenſi fuerint, poſſe ad provincialem, & à provinciali ad generalem Synodum appellare : ut ſupra oſtendimus, atque amplius probabitur in hiſtoria Synodi ſextæ Carthaginenſis. Præterea ex eadem diſciplina Canonum, quando regularia, hoc eſt pure pute eccleſiaſtica tractantur, neque Imperator, neque laici debent Synodis intereſſe ut demonſtrabitur in Synodo Chalcedonenſi. His autem duabus conditionibus Canonem XII Antiochenum quadrare nemo niſi ceritus negare poteſt : ex quo inſurgit, Patres Antiochenos hoc Canone neque potuiſſe neque voluiſſe impedire quo minus damnati in Synodo particulari ad ampliorem & majorem Synodum provocarent : cum idem Canon hoc nominati medicat. Denique cum iidem Patres Antiocheni tenerent Synodum Nicænam indictam fuiſſe auctoritate Conſtantini Magni, & An-

& Antiochenam Constantii filii, qui eidem quoque ut præses intererat: profecto rationi repugnat illos voluisse interdicere Imperatoribus quo minus sua auctoritate Synodos indicerent: cum experientia doceat contrarium. Quid ergo sibi volunt Patres Antiocheni prohibentes damnatum in Synodo molestiam creare auribus Imperatorum? &c. hoc nimirum, ne contra Canones Imperator sese regularibus immisceat: & ne via facti abdicatos in Synodo absque Synodo restituat. Quocirca nunquam Orientales acquieverunt in facto S. Athanasii priusquam esset restitutus Synodo Sardica: & hoc clarissime demonstrat veram Canonis XII Antiocheni explicationem: ad cujus normam Synodus Sardica indicta & celebrata est. Idemque pariter est judicium de B. Chrysostomo, quem Socrates libro 6. cap. 14. memorat *provocasse ad generale Concilium, & revocatum ab Imperatore: nec prius urbem ingredi voluisse quam coram majoribus judicibus suam innocentiam probasset: attamen violentia populi seditionem agitantis, coactum fuisse concionari & sacra celebrare.* Unde, cum per Chrysostomum non steterit quo minus ejus causa canonice in Synodo tractaretur, idque exoptaret, & eam ob causam ad Synodum generalem provocarit: certe adversus Leontii Episcopi calumnias se validioribus argumentis tutari poterat, quam repudiatione Canonum Antiochenorum qui ejus causæ opitulabantur.

tur. Sed, ut dixi, quæ æstu animorum altercando dicuntur, non semper veritate nituntur. Accedit ut jam monui, tempore Chrysostomi Canones Antiochenos nondum in corpus Canonum compactos atque receptos fuisse ab Ecclesia Catholica, quod ego probabilius existimo. Cæterum Binius de suo ingenio attexit, Chrysostomum respondisse Leontio, Canonem Antiochenum merito per Synodum Sardicam sublatum fuisse; hoc enim Chrysostomum dixisse neque Socrates nec quisquam alius refert, quod sciam.

Quartum argumentum de Gratiano, quod in suam collectionem non debuerit Canonem XII Antiochenum conjicere, levius quidem est quam ut nos morari debeat : sicut etiam quod in nupera editione Conciliorum Romæ facta, ,ex Baronii sensu Canones Antiocheni abradantur.

III. Equidem hic cogor iterare quod jam dixi, in ulla Synodo, nullos Canones ad melius ordinandam Ecclesiæ disciplinam & Canonum Nicænorum explicationem quam in Antiochena conditos fuisse: quod ut pateat, illos hic breviter percurram & cum regulis Nicænis comparabo. Primus Canon Antiochenus pertinet ad celebrationem Festi Paschæ die Dominico, sicut Nicæno Concilio edictum erat.

Secundus Canon quintam regulam Nicænam interpretatur qua parte pronunciat *illos*

qui

qui excommunicati sunt ab una Ecclesia non debere ab aliis Ecclesiis admitti. Unde Patres Antiocheni statuunt, *Si quem contigerit ex Episcopis vel Presbyteris vel Diaconis, communicare excommunicatis, eos quoque in excommunicationem incurrere propterea quod Canonem Ecclesiæ confundant*: quo pariter quartum & sextum Canonem Antiochenum adgregabis.

Tertius Canon decimam quintam regulam Nicænam evolvit de translatione Episcoporum aut Presbyterorum: omnesque omnium ordinum Ecclesiasticos cogit in ordinem. Vide infra Canonem XIII & XXII.

Quintus Canon vetat sodalitia, congregationes, oratoria, vel altaria uspiam erigi absque Episcopi diœcesani consensu: & consequenter absolutam Papæ monarchiam damnat.

Septimus & octavus Canon agit de literis pacificis, formatis, commendatitiis, & canonicis: cæterum Canone XXXI Apostolorum Balsamo hoc discrimen adsignat inter literas *Commendatitias & Dimissorias*, quod illæ essent quibus constabat aliquem esse initiatum vel donatum sacris: hæ autem quibus habebant commeatum ab Episcopo ut sacrificarent in aliena parœcia: vide notas ejusdem Balsamonis ad Canonem XLII Laodicenæ & XI Synodi Chalcedonensis.

Canon nonus mirifice conducit ad intelligentiam sextæ regulæ Nicæni Concilii de Pri-

Primatiarum atque Metropolium definitione, sicque concipitur: *Episcopos qui sunt in unaquaque provincia scire oportet Episcopum qui praeest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciae: eo quod in metropolim undequaque concurrunt qui habent negotia. Unde visum est eum quoque honore praecedere: reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso: ut vult qui ab initio obtinuit Patrum Canon: vel sola quae ad uniuscujusque parochiam conferunt, & regiones quae ei subsunt: unumquemque enim Episcopum habere suae parochiae potestatem & administrare pro unicuique conveniente religione: & totius regionis curam gerere, quae suae urbi subest. Ut etiam ordinent presbyteros & diaconos & unaquaeque cum judicio tractent, & nihil ultra facere aggrediantur, sine metropolis Episcopo, neque ipse sine reliquorum sententia.* Hactenus Canon Antiochenus quo funditus absoluta Curiæ Romanæ monarchia perit, & Aristocraticum regimen defigitur.

x Canon Chorepiscopos in ordinem cogit, eisque inter alia prohibet ne ordines absque consensu Episcopi sui conferant, ex quo colligitur illis consensu Episcopi licuisse ordines conferre.

xi Prohibet Episcopum aut presbyterum absque sententia & literis Episcoporum provinciæ, & præsertim Metropolitani proficisci ad Imperatorem sub pœna abdicationis: si autem esset ipse Metropolitanus qui ad Imperatorem proficisceretur, debebat impetrare à

Synodo provinciali literas commendatitias. Porro hic ſolus Canon videtur factus contra S. Athanaſium, eo quod poſt Synodum Tyranenſem recta profectus eſſet ad Conſtantinum Imperatorem. Sed facilis eſt reſponſio: cum hic Canon ſtatuat de jure ordinario quando canonice proceditur: conventus autem Tyrenſis omnia contra Canones decerneret: hercle S. Athanaſio jure licebat Imperatorem adire, utque ſibi jus fieret ſecundum Canones ab eodem poſtulare, quatenus in alia Synodo ejus cauſa de integro cognoſceretur, ut tandem Synodo Sardicenſi factum eſt; hocque quodammodo reſpondet appllationibus quas Galli vocant *ab abuſu*, quibus ad protectionem Principis confugiunt.

XII. *Si quis à proprio Epiſcopo depoſitus, Presbyter vel Diaconus, vel Epiſcopus à Synodo, auſus fuit Imperatoris auribus moleſtiam exhibere: cum oporteat ad majorem Synodum converti, & jus quod ſe habere putat ad plures Epiſcopos referre, eorumque examinationem & judicium ſuſcipere: qui itaque his contemptis Imperatori moleſtus fuerit, is nulla venia dignus, neque ſui defendendi locum habeat, nec reſtitutionis futuræ ſpem expectet.* Hujus idem eſt ſenſus atque præcedenti Canonis: eſtque paulo ante in Analyſi argumentorum Binii explicatus, & merito à Gratiano in ſuum decretum cum Canone XI ſuperiore conjectus.

XIII. *Nullus Epiſcopus audeat ab una provincia in aliam tranſire, & aliquos in Eccleſiis illius provinciæ*

vinciæ ordinare ad sacrorum celebrationem: nec si alios una secum inducat: nisi venerit literis accersitus Metropolitani & Episcoporum qui sunt cum ipso in quorum regionem accedit. Si autem nullo vocante ad aliquorum ordinationem & ecclesiasticarum rerum ad se non pertinentium constitutionem inordinate insolenterque processerit; sint quidem irrita quæ ab ipso geruntur, ipse autem suæ insolentiæ & præter rationem factæ aggressionis det pœnas à sancta scilicet Synodo exinde depositus. Cui regulæ & hæc alia concordat.

XXI. *Episcopus ab alia parochia in aliam ne transeat, nec se sua sponte ingerens, nec à populis vi adactus, nec ab Episcopis coactus: maneat autem in ea quam à Deo sortitus est Ecclesia, & ab ea non recedat, secundum decretum prius de ea re editum:* vide supra Canonem tertium. Et nota hæc conducere ad intelligentiam Canonis XV Synodi Nicænæ de Episcoporum translatione.

XIV. *Si quis Episcopus ob aliqua crimina judicetur: deinde contingat Episcopos qui sunt in provincia de ea dissentire sententia: illis quidem eum de quo fertur sententia, innocentem pronunciantibus, his vero reum: pro tota componenda controversia: visum est sanctæ Synodo, ut Metropolitanus Episcopus, ex propinqua provincia alios evocet judicaturos, & controversiam decisuros, & cum provincialibus quod probatum fuerit confirmet.* XV. *Si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus, fuerit ab omnibus provinciæ Episcopis condemnatus & omnes unam consentientẽ adversus eum sententiam tulerint,*

amplius ab aliis judicetur : sed provinciæ Episcoporum firma maneat sententia.

XVI. *Si quis vacans Episcopus in vacantem Ecclesiam irrumpens sedem arripuerit, absque perfecta Synodo, is sit ejectus, etiamsi omnis populus quem invasit, eum elegerit; sit autem illa perfecta* Synodus *cui una quoque adest Metropolitanus.*

XVII. *Si quis Episcopus accepta ordinatione & manuum impositione Episcopi, & populo præesse jussus munus non susceperit, nec ut ad sibi concreditam Ecclesiam proficiscatur persuaderi possit, is sit excommunicatus, donec coactus suscipiat vel perfecta Synodus Episcoporum provincialium de ipso aliquid decernat.* De his autem duobus Canonibus dicetur actione undecima & duodecima Synodi Chalcedonensis : quia nonagesimam quintam, & nonagesimam sextam regulam Codicis Canonum Ecclesiæ universalis constituunt.

XVIII. *Si quis ordinatus non ierit in parochiam ad quam est ordinatus, non sua quidem culpa, sed propter populi recusationem vel aliquam aliam causam quæ à se non oritur; is sit & honoris & muneris particeps, dummodo nullam rebus Ecclesiæ in qua convenit molestiam adferat : is autem id suscipiat quod perfecta provinciæ Synodus, eo quod ad se allatum est judicato, statuerit.*

XIX. *Episcopus ne ordinetur absque Synodo, & præsentia Metropolitani provinciæ : eo autem præsente omnino melius est omnes una cum eo adesse qui sunt in provincia ejusdem muneris officiique socii,*

cii; & oportet per Epistolam Metropolitanum eos convocare: & si omnes quidem accesserint bene est: sin autem hoc fuerit difficile, plures omnino adesse oportet: vel per literas, una cum illis suffragium ferre: & sic cum plurium præsentia vel electione fieri constitutionem. Sin autem aliter præter hæc quæ decreta sunt fiat, non valet ordinatio. Sin autem propter suum contentionis studium contradicant, vincat plurium suffragium.

XX. *Propter usus Ecclesiasticos & pro componendis controversiis recte habere visum est, ut Synodi Episcoporum in unaquaque provincia fiant bis in anno: semel quidem post tertiam hebdomadem festi Paschæ, ut quarta hebdomade Pentecostes perficiatur Synodus: Metropolitano provinciales Episcopos admonente secundam Synodum Idibus Octobris futuram: ut in his ipsis Synodis accedant presbyteri & diaconi, & omnes qui se injuria affectos putant, & à Synodo judicium assequantur: nec ullis liceat Synodos per se facere, sine iis quibus sunt creditæ Metropoles.*

Cæterum hi tres Canones proxime superius positi mirum in modum faciunt ad explicationem quarti, quinti & sexti Canonis Nicæni: ita ut vere dici possit Antiochenum Concilium appendicem Synodi Nicænæ ratione Canonum quos explicat, constituere.

XXII. *Episcopus in alienam civitatem quæ ei subjecta non est non ascendat: nec in regionem quæ ad eum non pertinet ad alicujus ordinationem; nec presbyterum vel diaconum constituat in locis alii E-*

piscopo subjectis : nisi cum voluntate proprii illius regionis Episcopi. Si quis autem tale quid ausus fuerit, infirma sit ordinatio, & ipse à Synodo puniatur. Hic notabit lector, Joannem Patriarcham Antiochenum cum in Ecclesias Cypri sibi non subditas invasisset, coactum fuisse in ordinem à Patribus primæ Synodi Ephesinæ ad normam hujus Canonis, item noni, & decimi tertii, ut suo loco observatum est supra.

XXIII. *Ne liceat Episcopo alium pro se successorem constituere, etiamsi sit in fine vitæ. Si quid autem fiat ejusmodi, irrita sit constitutio: servetur autem ritus Ecclesiasticus, qui continet, non aliter debere fieri quam cum Synodo & judicio Episcoporum qui post defuncti dormitionem potestatem habent dignum provehendi.* O sanctissimum & saluberrimum Canonem, homines enim Prælaturis non Prælaturas hominibus confert: Tu lector si hæc cum Simoniacis resignationibus in favorem maritare velis, prima oculorum inclinatione cognosces, quare Curia Romana, postquam sacras abrogavit electiones, tantopere Antiochenos Canones exosos habuerit: ægre enim fert se vaccâ uberrimâ singulis diebus plures aureos vitulos pariente privari.

XXIV. *Recte habet, ut ea quæ sunt Ecclesiæ, Ecclesiæ serventur, cum omni & bona conscientia, & fide in omnium Præsidem & Judicem Deum:*

quæ

quæ etiam administrari convenit cum judicio & potestate Episcopi cui est omnis populus creditus, & eorum animæ qui in Ecclesiam conveniunt. Sint autem manifesta quæ ad Ecclesiam pertinent cum cognitione presbyterorum & diaconorum qui sunt circa eum: ut sciant & non ignorent quæ sunt propria Ecclesiæ, ut nihil ipsos lateat: ut si contingat Episcopum è vita migrare, iis manifestis existentibus quæ ad Ecclesiam pertinent, ne ea intercidant & pereant, nec quæ sunt propria Episcopi, prætextu rerum Ecclesiasticarum turbentur. Est enim justum & apud Deum & homines acceptum, ut Episcopus propria quibus velit relinquat: quæ sunt autem Ecclesiæ ipsi serventur, & nec Ecclesia damnum aliquod sustineat, nec Episcopus Ecclesiæ prætextu proscribatur vel qui ad eum attinent in negotia incidant, cum eo quod & ipsum post mortem ipse maledictionibus oneretur: à suis hæredibus scilicet, aut aliis.

XXV. *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset cum multa cautione & Dei timore: ipse autem eorum quæ opus est sit particeps ad usus necessarios & fratrum qui apud eum hospitio excipiuntur, ut ipsi nullo modo priventur secundum divinum Apostolum qui dicit: habentes autem alimenta & quibus tegamur iis contenti erimus. Sin autem iis non sit contentus, & res in proprios usus convertat; & Ecclesiæ redditus vel agrorum fructus non cum presbyterorum vel diaconorum sententia administret, sed suis cognatis*

vel fratribus, vel filiis præbeat facultates, ut per hac rationes Ecclesiæ latenter lædantur, is det Synodo provinciæ rationem. Sin autem etiam alias insimuletur Episcopus, vel qui sunt cum eo presbyteri, quod quæ pertinent ad Ecclesiam vel ex agris vel ex quacumque alia causa ecclesiastica ad seipsos referre, ut pauperes quidam opprimantur & rationi Ecclesiæ iisque qui sic administrant, criminatio & infamia inuratur. Hi etiam correctionem assequantur, sancta Synodo id quod decet examinante. Hactenus Patres Antiocheni. Porro, hi duo postremi Canones, spectant ad usum & dispensationem bonorum ecclesiasticorum, claræque indicant, & Papam & Prælatos non esse Dominos, sed usufructuarios, aut potius usuarios Beneficiorum ut ea hodie vocant; unde quarta Synodo Carthaginensi Can. trigesimo primo *Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis uti debet*: siquidem bona ecclesiastica sunt communitati ecclesiasticæ legata, non privatis & singularibus hominibus aut Prælatis. 12 *quæst.* 2 *Can. Nulli.* & *quæst.* 3. *Can. Pontifices.* vide Cardinalem Alliacenum de Auctoritate Ecclesiæ, parte secunda. Legat qui volet omnia Concilia, nulla reperiet in quibus sanctiores aut salubriores Canones, pro optimo Ecclesiæ regimine quam in hac Synodo Antiochena conditi sint.

Ca-

CAPUT V.

I. *Historia secundi Concilii generalis Constantinopolitani, quod indictum & convocatum est à Theodosio Magno.*

II. *Patres Constantinopolitanos nominatim petere à Theodosio, ut sua auctoritate & sigillo Acta Synodalia confirmet, & roboret.*

III. *De honore quem Theodosius Patribus Constantinopolitanis & præsertim S. Meletio Antiocheno Episcopo habuit.*

IV. *Epistola Patrum Constantinopolitanorum ad Damasum PP. S. Ambrosium, cæterosque Occidentales Episcopos, qua hos accusant negligentiæ, & quod minus Orientalis Ecclesiæ afflictionibus compati videantur.*

V. *Item ab illis petunt non quidem ut acta confirment, sed rebus bene gestis congaudeant & congratulentur; eorumque supercilium non obscure reprehendunt.*

VI. *Epistola Damasi PP. ad Orientales Episcopos.*

VII *Baronii, Binii & aliorum argumenta, quibus probant Damasum omnem vim & robur Synodo Constantinopolitanæ tribuisse, propulsantur.*

VIII. *De discrimine Conclusionis & Confirmationis Synodorum: quorum illud Ecclesiasticorum, hoc autem Imperatorum proprium est.*

IX. *Patres Constantinopolitani quintum & sextum Canonem Nicænum explicant, atque sedis & honoris prærogativam Constantinopolitano Episcopo post Romanum Episcopum adscribunt.*

I. SEcundum generale Concilium centum quinquaginta Patrum Orientalium, nuncupatur Constantinopolitanum primum, quia habitum est Constantinopoli circa annum 381. adversus Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, qui negabat S. Sanctum esse consubstantialem Deo Patri. Theodosius Magnus hanc Synodum indixit & convocavit:

vocavit : Socrates lib. v. cap. 8. Theodoretus lib. quinto cap. ſeptimo & octavo. Sozomenus lib. ſeptimo, cap. ſeptimo, ac diſerte habetur Synodali epiſtola ad Theodoſium Imperatorem. Damaſus Papa nullum Epiſcopum aut Sacerdotem ex ſuo Epiſcopatu vel Patriarchatu miſit Conſtantinopolim ad hanc Synodum, quamquam literis Imperatoris fuiſſet evocatus : quare à Patribus Orientalibus non obſcure accuſatur neligentiæ ut ſtatim dicetur : hanc etiam ob cauſam iſtud Concilium vocatur Orientalium à Patribus Chalcedonenſibus. Verum finito Concilio, ſicut Patres mandato Theodoſii Magni convenerant : ita ab eodem diſerte confirmationem actorum epiſtola ſynodali poſtulant, qua quidem pariter ei res à ſe geſtas explicant. Sic autem concipitur.

II. *Religionis ac pietatis obſervantiſſimo, Deique amantiſſimo Imperatori Theodoſio, ſanctum Concilium Epiſcoporum qui ex diverſis provinciis, præfecturiſve Conſtantinopolim convenerunt. Initio quidem noſtri ad tuam pietatem ſcripti gratias agimus Deo, qui tuæ pietatis imperium conſtituit ad communem pacem Eccleſiarum, & ſanæ fidei confirmationem: agentes autem Deo debitas gratias, neceſſaria quoque ea quæ acta ſunt in ſancto Concilio ad tuam referimus pietatem: nempe quod ex quo tempore, & mandato tuæ pietatis Conſtantinopolim convenimus, primum quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus: deinde vero breves etiam*

præ-

præscripsimus ac pronunciavimus quosque quasi terminos regulasve; quibus & Patrum qui Nicææ congregati fuerunt fidem confirmavimus, comprobavimusque: & quæ adversus eam obortæ sunt perversas hæreses, ac pravas opiniones extrema cum execratione ac detestatione reprobavimus. Præterea etiam ad recte constituendum & ordinandum statum & disciplinam Ecclesiarum, certos Canones statuimus ac præscripsimus: quæ omnia huic nostro scripto subjecimus. Rogamus igitur tuam Clementiam ut per literas tuæ pietatis ratum esse jubeas, confirmesque Concilii decretum: & sicut literis quibus nos convocasti, ecclesiam honore prosequutus es, ita etiam summam eorum quæ decreta sunt conclusionem sententia atque sigillo tuo corrobores. Dominus autem Imperium tuum in pace & justitia stabiliat, &c. Quam epistolam leges in nova editione Conciliorum Romanorum statim initio Concilii Constantinopolitani ante Canones, & apud Baronium Tomo quarto Annalium anno 381; Laurentium Surium Tomo priore Conciliorum in libello Synodicarum Constitutionum, qui statim legitur post Ephesinum Concilium pag. 617 Collectionis Surianæ; Severinum Binium ad calcem Synodi Constantinopolitanæ. Verum sex notabilia continet; primo, Synodum Constantinopolitanam indictam & convocatam à Theodosio: *Ex quo tempore & mandato tuæ pietatis Constantinopolim convenimus*, &c. Deinde sub finem Epistolæ, *& sicut literis quibus nos con-*

 vocasti

vocasti Ecclesiam honore prosequutus es, &c. De indictione facta à Damaso Papa, ne verbum quidem. Alterum notabile est sigillatim éa narrare Imperatori quæ confecta sunt, & quod ante omnia mutuam inter sese concordiam & consensum inierint, ut sibi exepeditiorem viam ad agenda instruerent. Tertio confirmationem fidei Nicænæ & damnationem erroris Macedonii & Apollinaris contra illam notant. Quarto subjungunt ad regendam disciplinam ecclesiasticam se aliquot Canones condidisse. Quinto narrant, se omnia cum epistola misisse ad Imperatorem; *quæ omnia*, inquiunt, *huic nostro scripto subjecimus*. Sexto petunt à Theodosio, *ut hæc omnia suis literis, sententia atque sigillo corroboret*. Certe Socrates lib. quinto c. 8. & Sozomenus lib. septimo cap. 9. deserte scribunt *Theodosium Imperatorem suffragatum fuisse actis Synodi & legem super ea re scivisse*: quæ summa est propositi Patrum Constantinopolitanorum ab Imperatore postulantium ut acta in rem judicatam venirent. Si propugnatores absolutæ infallibilis monarchiæ, aliquam huic similem epistolam Synodalem haberent, qua Patres alicujus Synodi clare, & non ænigmatice (ut fictitia epistola Patrum Nicænorum ad Sylvestrum PP.) à Pontifice Romano peterent, *ut acta suis literis, sententia, atque sigillo corroboraret*, triumpharent quidem, & merito.

III. Hic obiter notabo, Patres Aquilegiensis Concilii, quos inter S. Ambrosius, similem

milem ſcripſiſſe Epiſtolam Gratiano, Valentiano& Theodoſio Imperatoribus pro gratiarum actione Tomo primo Conciliorum : atque Theodoretum lib. quinto cap. 6 & 7. referre, *Theodoſium per inſomnium vidiſſe divinum Meletium Epiſcopum Antiochenum ſibi Deo imperante Coronam Imperatoriam capiti imponere atque aliquanto poſt electum fuiſſe à Gratiano in Collegam Imperii : deinde poſtquam Theodoſius Epiſcopos convocavit Conſtantinopolim, atque omnes ad centum quinquaginta numero adveniſſent, illum vetuiſſe ne quiſquam ſibi magnum illum Meletium qui ei in ſomno apparuiſſet indicarent : ubi autem totus Epiſcoporum cœtus palatium ingreſſus eſt, Theodoſium cæteris omnibus Epiſcopis relictis ad Meletium, quem niſi per inſomnium nunquam viderat, accurriſſe, eumque tanquam parentem complexum, oculos, labra, pectus, caput & dexteram quæ coronam ei impoſuerat, oſculari cœpiſſe, ac viſionem quæ ei obtigerat coram omnibus quos deinde humanitus excepit expoſuiſſe.* Profecto hic Meletius Antiochenus vir fuit ſanctiſſimus & doctiſſimus, ut ex Epiſtolis D. Baſilii conſtat: nihilomnus Romani, Paulino (quem Lucifer Calaritanus Epiſcopus corrivalem in Antiocheno Epiſcopatu Meletio creaverat) gratificabantur contra Meletium, ut claret ex hiſtoria illorum temporum : Meletio objiciebant ejus æmuli quod ab Arrianis fuiſſet conſecratus, quod falſum eſt, niſi conſecrationem pro electione ad Antiochenum Epiſcopatum

patum capiant: siquidem ante erat Episcopus: diemque supremum obiit in Synodo Constantinopolitana partim cruciatibus quos in exiliis suis ab Arrianis pertulerat; partim etiam ob ætatem ingravescentem: fuerat autem cooptatus ad Antiochenum Episcopatum omnium orthodoxorum atque Arrianorum votis.

Porro Baronius, Binius, & Collectores Conciliorum editorum Romæ, ut etiam demonstrent Synodum hanc auctoritatem suam à Damaso Papa derivare, referunt epistolam Patrum Constantinopolitanorum ad Damasum & alios Synodi Romanæ, quæ extat apud Theodoretum lib. quinto cap. 9. Sed reticent, ejusmodi epistolam non ex professo, sed per occasionem scriptam à Patribus Orientalibus, anno integro post solutam, conclusam & confirmatam ab Imperatore Synodum Constantinopolitanam. *Cum enim*, ait Theodoretus capite octavo, *plurimi Episcoporum sequenti æstate convenissent Constantinopolim, quo necessaria Ecclesiæ negotia illos revocarant, Epistolam à Concilio Episcoporum in Occidente coactorum accepere, quæ illos hortabatur, ut Romam, ubi jam maximus Episcoporum cœtus congregatus erat accederent. At tam longum iter suscipere cum nihil inde lucri se facturos putarent, omnino recusarunt illi quidem: sed tamen scripserunt Epistolam qua tum tempestatem contra Ecclesias excitatam eis significabant, tum illorum* SUB NOTABANT IN EA RE NEGLIGENTIAM: *tum denique* *do-*

doctrinam Apostolicam summatim perstringebant. Verum ea ipsa epistola eorum qui ipsam scripserunt fortitudinē & sapientiam multo apertius declarabit.

IV. Hæc Theodoretus, qui doctrinam Apostolicam nuncupat summam eorum quę Patres Constantinopolitani adversus Apollinarem, Macedonium & cæteros hæreticos synodice decreverant. Deinde hanc epistolam subjicit: *Dominis honoratissimis & cum primis reverendis fratribus ac collegis Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Anemio, Basilio, & cæteris sanctis Episcopis in celebri urbe Roma convocatis, sanctum Concilium orthodoxorum Episcoporum in ampla urbe Constantinopoli coactorum in Domino salutem. Multitudinem calamitarum nobis à dementis secta Arrianæ principibus inflictarum, vestræ reverentiæ exponere narrareque erit fortasse supervacaneum. Nam neque vestram pietatem res nostras tam parvo æstimare arbitramur, ut de his docendi sitis, pro quibus deberetis nobiscum una condolescere: neque ejusmodi sunt tempestates illæ quibus undique jactamur, uti propter earum parvitatem vos latere queant. Quin etiam tempus persequutionis adeo nuper præteriit, ut non illi solum qui in eo afflictati erant, verum etiam eorum amici qui propter amorem in doloris cum illis venerant societatem, recentem ejus memoriam teneant. Nam heri prope dixerim, & nudius tertius nonnulli exilii, vinculis liberati & infinita fere afflictionum genera perpessi ad Ecclesias suas redierunt; aliorum autem exilii cruciatibus extinctorum reliquiæ duntaxat in patriam sunt reportatæ.* &c. *Pro*

&c. *Pro quibus Deo certe agendæ sunt gratiæ, qui per tot cruciatus suos servos erudivit, & secundum multitudinem miserationum suarum rursus eduxit nos in refrigerium,*&c. *Jam vero quoniam vos quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, Concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris sanctissimi literas accersivistis: nec cum nos soli jam antea res accerbas subire coacti essemus, nunc Imperatoribus de pietate consentientibus, sine nobis vos regnaretis: sed potius, uti loquitur Apostolus, ut nos vobiscum conregnaremus: est certe nobis in optatis, si posset fieri, Ecclesiis penitus relictis vestro desiderio aut necessario potius Ecclesiæ negotio inservire. Quis enim nobis dabit pennas ut columbæ & volabimus & requiescemus apud vos? Verum, quoniam hoc modo Ecclesiæ nuper renovatæ nudarentur, & res à plerisque fieri omnino non queat, propterea quod Constantinopoli mandato literarum superiore anno à vestra reverentia post Concilium Aquilegiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus: atq; de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in provinciis manserant, una vobiscum attulimus, idcirco neque longiore itinere opus esse expectabamus: neque de ullo alio omnino ante acceperamus quam Constantinopoli in unum conventum esset. Huc accedit quod temporis præstituti angustia, neque ad longius iter parandum neque ad Episcopos in singulis provinciis, qui sunt ejusdem nobiscum communionis,*

nionis, de hac re commonefaciendos neque ad eorum consensus obtinendos satis spatii dedit. Itaque, cum & hæ res & aliæ præterea complures majori parti Episcoporum impedimento sint, quo minus ad vos veniant: idcirco quod secundo in loco faciendum erat, tum ad statum rerum ecclesiasticarum rite ordinandum tum ad ostendendum quanti vestram erga nos charitatem æstimemus, illud certe fecimus: quippe oravimus reverendissimos honoratissimosque fratres & collegas nostros, Episcopos Cyriacum, Eusebium, & Priscianum, uti laborem ad vos proficiscendi suscipere non gravarentur. Qui quidem non solum vobis exponent quam nostra voluntas pacis studiosa sit, & quo pacto nihil aliud quam Ecclesiæ concordiam sibi proponat: verum etiam quam ardenti studio ad sanam fidem tuendam accensi simus, perspicue significabunt. Nam persequutionum procellas, cruciatus, minas imperatorias, crudelem Magistratuum violentiam, aliarumque rerum incommodarum tentationes, quas ab hæreticis sustinuimus pro fide euangelica à CCCXVIII *sanctis Patribus Nicææ urbis Bithyniæ confirmata sustinuimus. Etenim ista fides, tum à nobis tum à vobis tum ab omnibus qui non verbum veræ fidei pervertunt approbari debet: quippe cum antiquissima sit, & lavacro baptismatis quo tincti sumus consentanea: & nos doceat credere in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, &c. Nos autem doctrinam Dominicæ Incarnationis integram & perfectam tenemus: & neque œconomiam carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus*

&c. *Pro quibus Deo certe agendæ sunt gratiæ, qui per tot cruciatus suos servos erudivit, & secundum multitudinem miserationum suarum rursus eduxit nos in refrigerium,*&c. *Jam vero quoniam vos quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, Concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris sanctissimi literas accersivistis: nec cum nos soli jam antea res acerbas subire coacti essemus, nunc Imperatoribus de pietate consentientibus, sine nobis vos regnaretis: sed potius, uti loquitur Apostolus, ut nos vobiscum conregnaremus: est certe nobis in optatis, si posset fieri, Ecclesiis penitus relictis vestro desiderio aut necessario potius Ecclesiæ negotio inservire. Quis enim nobis dabit pennas ut columbæ & volabimus & requiescemus apud vos? Verum, quoniam hoc modo Ecclesiæ nuper renovatæ nudarentur, & res à plerisque fieri omnino non queat, propterea quod Constantinopoli mandato literarum superiore anno à vestra reverentia post Concilium Aquilegiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus: atq; de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in provinciis manserant, una vobiscum attulimus, idcirco neque longiore itinere opus esse expectabamus: neque de ullo alio omnino ante acceperamus quam Constantinopoli in unum conventum esset. Huc accedit quod temporis præstituti angustia, neque ad longius iter parandum neque ad Episcopos in singulis provinciis, qui sunt ejusdem nobiscum communionis,*

nionis, de hac re commonefaciendos neque ad eorum consensus obtinendos satis spatii dedit. Itaque, cum & hæ res & aliæ præterea complures majori parti Episcoporum impedimento sint, quo minus ad vos veniant: idcirco quod secundo in loco faciendum erat, tum ad statum rerum ecclesiasticarum rite ordinandum tum ad ostendendum quanti vestram erga nos charitatem æstimemus, illud certe fecimus: quippe oravimus reverendissimos honoratissimosque fratres & collegas nostros, Episcopos Cyriacum, Eusebium, & Priscianum, uti laborem ad vos proficiscendi suscipere non gravarentur. Qui quidem non solum vobis exponent quam nostra voluntas pacis studiosa sit, & quo pacto nihil aliud quam Ecclesiæ concordiam sibi proponat: verum etiam quam ardenti studio ad sanam fidem tuendam accensi simus, perspicue significabunt. Nam persequutionum procellas, cruciatus, minas imperatorias, crudelem Magistratuum violentiam; aliarumque rerum incommodarum tentationes, quas ab hæreticis sustinuimus pro fide euangelica à CCCXVIII *sanctis Patribus Nicææ urbis Bithyniæ confirmata sustinuimus. Etenim ista fides, tum à nobis tum à vobis tum ab omnibus qui non verbum veræ fidei pervertunt approbari debet: quippe cum antiquissima sit, & lavacro baptismatis quo tincti sumus consentanea: & nos doceat credere in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, &c. Nos autem doctrinam Dominicæ Incarnationis integram & perfectam tenemus: & neque œconomiam carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus*

Verbum Dei ante secula omnino perfectum esse, &c. *De administrationibus autem quæ sunt cujusque Ecclesiæ propriæ, cum vetus, uti nostis, lex est, tum sanctorum Patrum in Concilio Nicæno decisio: ut videlicet singularum provinciarum antistites una cum finitimis, modo ipsis ita visum fuerit Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent. Ex cujus legis & decisionis præscripto scitote, tum alias quoque Ecclesias apud nos administratas esse: tum illustrissimarum Ecclesiarum sacerdotes electos.* Unde *Ecclesiæ Constantinopolitanæ recens ut ita dicam ædificatæ, quamque ex hæreticorum blasphemia, tanquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripuimus: reverendissimum sanctissimumque Nectarium in Concilio Generali communi omnium consensu præsente Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique Cleri, totiusque civitatis suffragiis Episcopum constituimus. Ecclesiæ autem vetustissimæ & vere apostolicæ Antiochiæ urbis Syriæ in qua primo venerandum Christianorum nomen auditum est; reverendissimum & sanctissimum Flavianum Episcopi illius provinciæ & diœceseos Orientalis in unum convenientes, tota illa Ecclesia, uti Canon postulat, suffragante, & velut uno ore virum illum honorifice collaudante Episcopum ordinarunt: quæ quidem ordinatio, uti legitima, communi Concilii consensu approbata est. Porro Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ est aliarum omnium mater, reverendissimum & sanctissimum Cyrillum Episcopum vobis ostendimus, tum ab Episcopis provin-*

vinciæ, uti Canon vult, jam pridem creatum esse, tum plurima prælia adversus Arrianos variis in locis confecisse. Quibus rebus tanquam legitime & secundum Ecclesiæ Canones constitutis, obsecramus vestram reverentiam uti congratuletur: spiritali charitate nos mutuo devinciente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimet, Ecclesiarumque ædificationem amori illi & benevolentiæ qua singuli singulos complectuntur, longe anteponit. Quod si doctrina fidei ad hunc modum communi consensu stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata, posthac desinemus dicere illud quod ab Apostolis condemnatum est: nimirum, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ: atque omnes cum simus Christi, qui in nobis non est divisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratia integrum conservabimus: & ad tribunal Domini fidenti animo nosmet sistemus. Isti contra Arrii, Aetii & Eunomii insaniam, quinetiam contra Sabellii, Photini, Marcelli, Pauli Samosateni & Macedonii amentiam scripserunt: simili ratione & novæ Apollinaris doctrinæ palam anathema indixerunt: quandoquidem nos, inquiunt, doctrinam Incarnationis Dominicæ integram retinemus, & neque carnis ejus œconomiam animæ mentisve expertem aut imperfectam asserimus.

Hæc synodica epistola multa continet digna observatione quæ analysi singulorum patebunt. Primum notanda venit inscriptio epistolæ Synodi Orientalium ad Synodum Oc-

cidentalium: *Dominis honoratissimis & cum primis reverendissimis fratribus ac collegis Damaso, Ambrosio*, &c. Quæ scridendi ratio clare demonstrat Orientales non habuisse Damasum pro monarcha Ecclesiæ: idque progressu analyseos magis clarescet. Secundo, non obscure carpunt Occidentales, eo quod tribulationibus Ecclesiarum Orientis minus compatiantur: id enim hæc verba sonant, *neque vestram pietatem res nostras tam parvo æstimare arbitramur, ut de his docendi sitis pro quibus deberetis nobiscum una condolescere*, &c. Non enim dicunt quod revera condolescant, imo eos tecte reprehendunt quod nulla ducantur commiseratione tot tantarumque calamitatum. Idque clarissime docet S. Basilius Epistola decima, & septuagesima septima: ubi nominatim *supercilium carpit Occidentalium, & eum præcipue qui se Ecclesiæ caput reputat*: propria sunt verba, quæ ut Baronius leniat, vertit se in omne latus: certe epistolæ S. Basilii ejusmodi sunt, ut lacrimas legentibus facile extorqueant. Tertio referunt Episcopos Synodi Romanæ, Damasum scilicet, Ambrosium, Britonem & alios, Romæ coacto Concilio curavisse ut Episcopi Orientis velut membra propria per Imperatoris sanctissimi literas accerserentur ad Concilium Romanum, ex quo perspicue colligitur, Papam eo tempore minime solitum evocare ad Concilia Episcopos qui suo Patriarchatui non essent subditi: sed ubi necessitas haben-

habendæ Synodi occurreret, Imperatorem monere & rogare consuevisse, ut literis suis Metropolitas accerseret: sicut videmus hìc Orientales, literis Imperatoris evocari. Quarto, si adversarii hæc verba Patrum Constantinopolitanorum, *nos velut membra propria per Imperatoris literas accersivistis*: ad Papam velut ad caput referre velint: oppones illa de tota Ecclesia Catholica intelligi, in qua omnes unum sumus corpus in Christo, alter alterius membra cap. 12. ad Romanos. Et Papam in hoc corpore duntaxat primum esse membrum & ministrum nihilque aliud. Quare Patres Orientales eum vocant fratrem & collegam more aliorum. Profecto sicut una est Ecclesia sic & unus Episcopatus cujus singuli Episcopi partem in solidum possident, tanquam ex æquo participes facti sacerdotii Christi: estque Pontifex Romanus caput ministeriale hujus corporis. Quinto respondent, se non posse suas Ecclesias afflictissimas, & lupis, id est, hæreticis expositas deserere, ut se Romam ad Synodum conferant: cum jam superiore anno Constantinopolitanum Concilium habuerint, cum magnis laboribus, & diu absentes ab Ecclesiis suis fuerint: neque temporis angustias pati ut Episcopos suæ communionis possint evocare eorumque consensum super hac re obtinere. Quæ arguunt tum nihil peragi solitum monarchice in Ecclesia, sed inito consensu Patrum. Sex-

to, si quid est in hac Epistola, quod patroni absolutæ potestatis ad suam causam rapere possint, hæc potissimum occurrunt: quorum Bellarminus meminit lib. secundo de Romano Pontifice cap. 13. nimirum: *quod mandato literarum superiore anno à vestra reverentia post Concilium Aquilegiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum qui in provinciis manserant, una vobiscum attulimus*, &c. Hinc enim quispiam objiciet, mandato literarum Damasi, Theodosium evocasse Concilium Constantinopolitanum: & continuo juxta Vallii sententiam sequi solius esse Pontificis indicere Concilia. Respondebis, hæc verba plane ambigua lucem habere ab aliis clarissimis & notissimis: ut mos est ignotum per notius explicare. Cum ergo ex literis Patrum Constantinopolitanorum ad Theodosium supra explicatis, liquido cognoscatur Theodosium indixisse & confirmasse Concilium: atque his ipsis etiam clarescat, Damasum curavisse ut Imperator suis literis Orientales accerseret ad Synodum Romanam, idque acta omnium aliorum Conciliorum sequentium comprobent: concludendum hæc ambigua sic capi oportere, ut sensus sit: Damasum, ubi vidit Patres Orientalis Ecclesiæ significasse Theodosio Imperatori necessitatem habendæ Synodi adversus hæresim

Ma-

Macedonii, qui divinitatem Spiritus Sancti negabat, atque Imperatorem suis literis de ea re ad omnes Metropolitas scripsisse: tandem Damasum, inquam, suis etiam literis in ea sententia fuisse ut Concilium haberetur Constantinopoli, idque Imperatori declarasse, neque tum temporis ostendisse sibi in animo esse aliud habere Romæ Concilium ad hæresim Macedonii damnandam. Et ita patet Orientales hic non obscure queri de Damaso, quod in magnum Ecclesiarum incommodum aliud cogere velit Concilium in Italia & illuc Orientales evocare, cum potius debuisset mittere Constantinopolim, atque Ecclesiis afflictis subvenire: neque ita Synodos Synodis in gravamen Ecclesiarum præcipue Orientalium aggregare: cum ex præscripto Canonum, *negotia iis in locis ubi oriuntur terminari debant*. Septimo, ut ostendant quam sint pacis, concordiæ & charitatis Ecclesiarum studiosi, mittunt Cyriacum, Eusebium & Priscianum Episcopos, qui summam rerum à se gestarum contra Arrianos & Macedonium deferant una cum fidei suæ communione & professione. Quo ex more ea sensim invaluit consuetudo, ut omnes Patriarchæ quamprimum essent consecrati summam professionis suæ fidei ad alios Patriarchas collegas suos mitterent, ut postea observabitur. Octavo illos certiores eorum reddunt quæ pro disciplina Ecclesiastica melius ordinanda, conformiter ad

Canones Nicænos, sciverunt; maxime in ordinandis Pastoribus, de qua re infra. Nono, communi omnium Patrum & totius Constantinopolitanæ Ecclesiæ consensu Nectarium ordinatum Episcopum Constantinopolitanum: de qua re hic ea adscribam quæ narrat Socrates l. v. c. 8. postquam S. Gregorius Nazianzenus Episcopatum illum repudiavit: *Erat forte Nectarius quidam ex genere senatorio, vir moribus admodum modestus, & tota vitæ ratione conspicuus: qui quamquam Prætoris fungebatur officio, à populo tamen inde abreptus, ad Episcopatus honorem delatus fuit, & à centum quinquaginta Episcopis, qui tum aderant, ordinatus. Eodem tempore decretum fuit ut Episcopus Constantinopolitanus proxime & secundum Episcopum Romanum primas propterea obtineret, quod illa civitas esset nova Roma.* Decimo, cum sanctissimus Meletius ætate & plurimis exiliis pro fide Nicæna perpessis fractus, diem supremum in Synodo Constantinopolitana obiisset, & clerus atq; populus Antiochenus Flavianum elegissent, hic quidem à Patribus Constantinopolitanis ordinatus est Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, sicut & Cyrillus Hierosolymitanæ: quam Ecclesiam *omnium aliarum matrem* merito indigitant: quoniam omnes aliæ ex Hierosolymis velut ex quadam colonia pietatis & religionis Christianæ, ductæ atque propagatæ sunt. Undecimo pro firmamento actorum à se, demonstrant omnia gesta ex Catholico consensu & communione sanctorum juxta

tâ Canones. *Quibus rebus tanquam legitime & secundum Ecclesiæ Canones constitutis, obsecramus vestram reverentiam*, &c.

V. Duodecimo non à solo Damaso sed ab omnibus Episcopis Occidentalibus qui ad Synodum Romanam convenerant, nominatim petunt *ut pro rebus à se gestis secundum Canones eis congratulentur*: nequaquam vero ut ea confirment, sicut cavillantur adversarii, & inter alios Vallius: quasi congratulatio idem esset atque confirmatio: Nam *quarta parte, quæst. quinta sui libri de suprema potestate Papæ* textum genuinum hujus Epistolæ synodalis corrumpit: ubi enim Patres diserte habent, *obsecramus vestram reverentiam uti congratuletur & congaudeat*: καὶ τὴν ὑμετέραν συγχαίρειν παρακαλοῦμεν θεοσέβειαν: sic enim habet contextus Græcus: ille legit; *obsecramus vestram reverentiam ut consentiat*, contenditque *idem esse prorsus consensum & confirmationem petere*. Quæ pueriles argutiæ inde manant, quod homo obnoxius imaginetur Papam esse absolutum infallibilem monarcham Ecclesiæ: quodque absque illo nihil quicquam possit decerni in Ecclesia: & nihilominus Constantinopolitanum Concilium à solis Orientalibus habitum est, qui solam congratulationem rei bene à se gestæ petunt ab Occidentalibus: demonstrantque Damasum & Occidentales *non posse hanc congratulationem & consensum suum actis denegare, absque aliquo sensu schismatis, & violatæ communionis sanctorum*:

ficit. Vide epiſtolam ſeptuageſimam ſeptimam ejuſdem Baſilii. Præcipua cauſa hujus conqueſtionis legitur epiſtola quinquageſima nona: *quod Romæ ſine diſcrimine quorumvis communionem ex Oriente venientium accipiant & una ſemel electa & audita parte reliquos ex conſentientium teſtimonio admittant.* Quæ etiam fuit querela Patrum Africanorum Epiſtola ad Cœleſtinum, de qua mox dicetur: Siquidem Marcellus Ancyranus Epiſcopus & quidam alii hæreſeos damnati ab Orientalibus, admiſſi fuerant ad communionem in Eccleſia Romana. Decimo tertio declarant ſe errorem Apollinaris damnaſſe hac concepta formula quam in medio & fine epiſtolæ leges: *Nos autem doctrinam Dominicæ incarnationis integram & perfectam tenemus: & neque œconomiam carnis Chriſti vel animæ vel mentis expertem vel imperfectam eſſe aſſerimus: ſed agnoſcimus Verbum Dei ante ſecula omnino perfectum eſſe*, &c. Quandoquidem Apollinaris docebat Chriſtum ab æterno carnem humanam habuiſſe anima rationali carentem, & divinitatem ſuppleviſſe naturam animæ, aut loco ipſius animæ fuiſſe: legendus Sozomenus lib. ſexto cap. 27. Cæterum Damaſus Synodum Romæ coëgerat ut hæreſim Apollinaris jam à Patribus Conſtantinopolitanis condemnatam damnaret; conſule Theodoretum lib. quinto cap. 8.

Qui ad hæc cogitate attenderit facile dignoſcet an SS. Patres Baſilius, Gregorius Nazian-

zianzenus, Nyssenus & alii qui Synodo Constantinopolitanæ interfuerunt, habuerint Damasum pro absoluto infallibili monarcha, ita ut absque eo nihil decerni posset in Ecclesia: illorum enim gesta hoc Patrum Africanorum proloquium comprobant, Epistola ad Cœlestinum Papam: scilicet *Gratiam Spiritus Sancti unicuique provinciæ non defuturam, modo sacerdotes æquitatem servent, & prudenter agant.*

VI. Porro huic Epistolæ synodali Patrum Constantinopolitanorum apud Theodoretum l.v. c. 10. historiæ, hæc Damasi responsio subjicitur: *Quod vestra Charitas debitam sedi apostolicæ reverentiam tribuit, filii honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sane honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit quo pacto illius gubernacula quæ suscepimus, tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur: tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse. Verum ob hanc causam omnibus modis laboramus, uti ad gloriam beatitudinis ejus si qua ratione possimus tandem aliquando perveniamus. Sciatis velim fratres, nos Timotheum illum prophanum Apollinaris hæretici discipulum cum impio suo dogmate jampridem abdicasse, & ob eam causam credimus, reliquias ejus nihil in posterum momenti habituras. Quod si antiquus ille serpens semel atque iterum ictus, ad suam ipsius pœnam augendam revixerit: & extra Ecclesiam ejectus, nonnullos etiamnum fideles suis mortiferis venenis quibus eos tentare aggreditur, ad exitum trahere non cesset, vos hanc*

hanc ejus astutiam velut pestem quandam declinate: & recordamini sedulo tum fidei ab Apostolis traditæ, tum hujus vel maxime quæ est à sanctis Patribus in Concilio Nicæno scriptis prodita: inque ea gradum firme defigentes, immobiles perstate: & ne posthac sustinete ut vel clerici vestri, vel laici inanes sermones quæstionesve obscuras audiant. jam enim semel formulam edidimus, ut qui se Christianum profiteatur illud teneat quod ab Apostolis traditum est: quippe divinus Paulus sic loquitur: Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis anathema sit. Nam Christus filius Dei Dominus noster generi humano per passionem suam plenissimam salutem reddidit, ut totum hominem peccatis implicatum ab omni peccato liberaret. Hunc si quis aut imperfectam humanitatem aut imperfectam divinitatem habuisse duxerit, spiritu diaboli completus, se filium gehennæ ostendit, itaque quid est cur abdicationem Timothei à me rursum requiratis, qui etiam hic judicio sedis apostolicæ, Petro quoque Episcopo Alexandriæ præsente abdicatus est una cum magistro suo Apollinare: qui item in die judicii debitas pœnas & supplicia persolvet? Quod si ille qui veram spem in Christum una cum fidei confessione mutarit, velut spem quandam salutis retinens alios quosdam qui sunt leviores ad suam perducat sententiam, sciant illi se propterea cum eo similiter perituros, quod animum aliquando induxerint Ecclesiæ Canoni repugnare. Deus vos filii honoratissimi servet incolumes.

Hæc responsio si est Damasi, superiori Epistolæ Patrum Orientalium collata, valde serpit

pit humi, ut cuivis facile est ex utriusque lectione cognoscere: Primum non video illum multum habuisse causæ ut diceret Patres Constantinopolitanos, *sibi debitam reverentiam tribuisse*: cum ab illo invitati ad Romanam Synodum literis Imperatoris, ut dictum est, ei duntaxat per occasionem anno integro post Synodi dissolutionem & confirmationem petitam ab Imperatore respondeant atque manifestæ negligentiæ & defectus charitatis Occidentales accusent. Baronius persuadere vult, quamquam Synodus Constantinopolitana esset absoluta & Patrum subscriptionibus firmata, nihilominus quosdam eventus & casus Patres Constantinopoli retinuisse: sed hoc gratis dicitur, falsique à Theodoreto arguitur lib. quinto cap. 8. affirmante *plurimos Episcoporum sequenti æstate convenisse Constantinopolim quo necessaria negotia Ecclesiæ illos revocaverant*, &c. Secundo, quod hac responsione memoratur Patres Constantinopolitanos petere à Damaso ut Timotheum Apollinaris discipulum abdicet, *quid est*, ait, *cur abdicationem Timothei à me rursus requiratis*, &c. Profecto ne quidem verbum in Epistola Synodali de hac re: certumque est Timotheum à Patribus damnatum juxta Canones Nicænos & disciplinam illo tempore usitatam: quæ volebat Ecclesias jure communi gubernari, & controversias ubi enascerentur terminari, sicut amplius demonstrabitur in explicatione historiæ Apiarii Africani

cani presbyteri. Tertio, Damaſus novo atque inuſitato ante vocabulo utitur, dum Patres Conſtantinopolitanos *filios vocat;* cum antea & poſt de more ſemper fuerit, ut *collegæ* & *fratres* appellarentur. Ut ut ſit, hinc luce meridiana clarius evadit, ne quidem Damaſum ſe monarcham eſſe Eccleſiæ cenſuiſſe, quamquam blandiente cathedra quædam per auxeſim dixerit: quæ à me ſolius veritatis referandæ ſtudio commemorantur contra adulationem & ignorantiam permultorum qui prædicant Papam eſſe abſolutum infallibilem Eccleſiæ monarcham: quæ opinio Eccleſiam Catholicam ad eam quam videmus conturbationem redegit, atque hæreticos in ſuo errore obfirmat, viamque ad nova ſchiſmata quotidie inſtaurat.

VII. Cardinalis Baronius Tomo quarto anno 381. Binius in notis ad Synodum Conſtantinopolitanam, actor Præfationum hiſtoricarum, & Antonius Poſſevinus in Apparatu; *contendunt Damaſum omnem tribuiſſe auctoritatem huic concilio*, ſed mera eſt ſuppoſitio principii omni ratione, auctoritate, & teſtimonio deſtituta, ut liquet ex hiſtoria quam ſuperius fideliter expreſſimus. Enimvero robur actorum ſynodalium eſſentialiter à ſanctorum communione & catholico conſenſu dimanat: quare ubi ejuſmodi conſenſus intervenit Papa Synodum concludere, ſuoque aſſenſu more aliorum acta probare tenetur: quia ut docet S.Hie-

S. Hieronymus, *Dist. 93. Can. Legimus. Orbis est major urbe.* At Baronius cum eodem auctore præfationum persuadere annititur ex libello Photii de septem synodis quem leges apud Binium Tomo tertio Conciliorum, Patres Constantinopolitanos confirmationem actorum à Damaso petiisse: sed ut jam dixi, confirmationem pro consensu & congratulatione venditant, ut claret ex verbis Photii ita conceptis: *Quibus haud multo post Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit*: quo ex loco innotescit, confirmare Synodum à Papa, nihil aliud esse, quam dum accedit ad sententiam Patrum: ut Damasum accessisse refert Photius. Nam idem sentiens atque consensum præbens symbolam & contesserationem suæ fidei & voluntatis dat: ac sese Canonum observationi & exequutioni more aliorum Episcoporum obstringit: jam multoties dixi, estque sæpius iterandum, acta synodalia essentialiter plurium consensum & liberam comprobationem desiderare. Profecto nunquam satis hominum propriæ cupiditati & adulationi servientium ingenia deplorare possumus: *qui si forte in aliquod vocabulum æquivocum aut ambiguum incidant, quod suæ causæ tantillum adstipulari imaginentur, illud avidissime arripiunt ac ostentui habent, ut fucum imperitis faciant: & hinc tot ac tanta concertationes ac scriptiones sophisticæ Christianorum indignissima.*

VIII. E-

VIII. Equidem si, ut Theologos oportet, dogmatice & proprie loqui velimus, hoc conclusio à confirmatione Synodi discrepat, quod conclusio fiat à Prælato, qui Synodo præsidet, & subductis Patrum suffragiis inito majore numero concludit: confirmatio autem ab Imperatore ut acta in rem judicatam abeant, quod ut fiat externa vi & coactione opus est, qua Ecclesia jure divino caret. Itaque statim atque concilium à Patribus conclusum erat, Imperatores aut rogati à Patribus, aut etiam sua sponte leges sciscere consueverant pro exequutione Canonum: quemadmodum si hodie Rex Christianissimus edictum ferret quo Tridentinam Synodum observari in suo regno imperaret: sicque illam Synodum confirmare aut comprobare diceretur: quemadmodum olim Imperatores octo priora universalia concilia confirmasse certum est: adeo ut Patres ad concilium edictis Imperatorum evocati, ubi concilium conclusissent, priusquam ex statione pedem offerrent ab Imperatoribus & acta confirmari, & veniam abeundi peterent: dehinc etiam si eis videbatur summam rerum gestarum ad Episcopum Romanum perscribebant, ut mox demonstrabitur. Verum quod superius dixi Papam teneri ad consensum catholicum & communionem sanctorum accedere à Leone Magno confirmatur 25. *quæst.* 1. *Can. Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus igno-*

ret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus: nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam. Hæc ille, conformiter ad disciplinam apostolicam & Canonum Nicænorum: quod autem postea blandiente cathedra subjungit: *primam sedem unamquamque Synodum sua auctoritate confirmare & continuata moderatione custodire*: hoc quidem est canonice non monarchice interpretandum: ita ut sensus sit, *sedem Apostolicam confirmare Synodos assensum præbendo*: non autem *quod tota vis & robur Synodi ab illius auctoritate hauriatur*, ut ignari adulatores aut homines obnoxii fingunt. Certe auctoritates summorum Pontificum in sua causa sunt reverenter glossandæ atque interpretandæ, ut alicubi ait Gersonius & Joannes Major. Cæterum valde ridiculus est Vallius, libro de suprema potestate Papæ, parte quarta, quæst. 11. dum pervetustum Codicem Vaticanæ Bibliothecæ nobis memorat in quo hæc legantur: *Sententiam Macedonii & Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo: quæ præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est*: hæc ille; sed præstaret ea ex aliquo Patre antiquo, vel auctore probato quam ex Vaticana Bibliotheca prompsisset, quoniam Vaticanis tabulis, præsertim in causa Pontificum tantum habere debemus fidei, quantum juri divino, naturali & canonico concordat. Porro, quia Vallius futilem syllo-

logiſmum nectit, quo efficere vult Damaſum eo modo Synodum Conſtantinopolitanam indixiſſe quo Sylveſter PP. Nicænam convocavit : hic eum alio ſyllogiſmo validiſſimo & certiſſimo remunerabimur, ut aliquid habeat quod eum acriter pungat.

Quicquid in celebratione Conciliorum generalium jure peractum eſt ab Imperatoribus, inclinante majeſtate Romani Imperii : & exurgente Romanorum Pontificum auctoritate : id quoque à Conſtantino & Theodoſio Magno florente Imperio jure peragi potuiſſe certiſſimum eſt.

Sed ex actis ſex poſtremorum Conciliorum generalium quæ integra habemus, liquet, Imperatores inclinante majeſtate Imperii & exurgente in dies ſingulos auctoritate Romanorum Pontificum, jure indixiſſe & confirmaſſe generalia Concilia, eiſque etiam præſediſſe.

Igitur jure licuit Conſtantino & Theodoſio Magno florente Imperii majeſtate Nicænum & Conſtantinopolitanum Concilia indicere, convocare, confirmare, eiſque præſidere.

Quæ omnia probabuntur hiſtoria ſequentium Conciliorum generalium. Obſervabit autem lector, ſub Theodoſio Juniore tempore primi Concilii Epheſini, Gothos, Vandalos, Francos atque alias Gentes Barbaras cœpiſſe in Romanum Imperium incumbere,

ac proinde pedetentim vires & majestatem Imperii magnam inclinationem accepisse, contra vero potestatem Papæ sensim accrevisse.

IX. His autem de Concilii Constantinopolitani historia præstitutis, obiter monebo Lectorem, Patres Canone II. in hæc verba quintum & sextum Canonem Nicænum explicasse: *Episcopi ad Ecclesias quæ sunt ultra suam diœcesim suosque limites ne accedant, nec Ecclesias confundant: sed secundum Canones Alexandriæ quidem Episcopus Ægyptum solam regat; Orientis autem Episcopi Orientem solum administrent servatis privilegiis ac præeminentiis quæ sunt in Niceni Concilii Canonibus Antiochenæ Ecclesiæ tributa, & Asianæ diœcesis Episcopi quæ sunt in sola Asiana administrent: & Thraciæ Episcopi Thraciam tantum regant, & Pontanæ Pontanam. Non vocati autem Episcopi ultra diœcesim ne transeant ad ordinationem, vel aliquam aliam administrationem Ecclesiasticam. Servato autem præscripto de diœcesibus Canone, clarum est quod* UNAMQUAMQUE PROVINCIAM PROVINCIÆ SYNODUS ADMINISTRABIT, *secundum ea quæ fuerunt Nicææ definita. Quæ autem in barbaris sunt gentibus, Dei Ecclesias administrare oportet secundum Patrum quæ servata est consuetudinem.* Verum inter alia hoc notabile occurrit ad quinti Canonis Nicæni intelligentiam, quod Synodo provinciali unaquæque provincia secundum jus commune debet gubernari: quod de

de disciplina & politia præsertim debet intelligi, cujusmodi erat causa Apiarii Africani presbyteri, de quo infra : nam res fidei, ut hæreses, verbi causa error Pelagii, communione inita omnium Ecclesiarum definiri debent : *fides enim universalis est, & omnium communis est, Dist. 96. Can. Ubinam.*

Tertio Canone statuitur, *ut Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod Constantinopolis sit nova Roma* : de quo Canone magna est suborta contentio in Synodo Chalcedonensi. Itaque nos hanc controversiam evolvendam illuc rejiciemus.

Sexto Canone, forma judicandorum Episcoporum præscribitur, doceturque *in solo Concilio universali totius diœcesis, id est, plurium Provinciarum & Metropolium judicari posse* : quo ex Canone hic Canon septimus tertii Concilii Carthaginensis haustus videtur ; *ut Episcopi accusati in Concilio universali anniversario Provinciæ judicentur.* Quæ omnia spectant ad interpretationem quinti Canonis Nicæni : eisque Canones Antiocheni omnino consentiunt, quibus jus commune munitissimum contra absolutam monarchiam redditur.

CAPUT VI.

I. *Historia VI. Concilii Carthaginensis, nata ex Zosimi PP. commonitorio, qui jus monarchicum in Ecclesias Africæ quasi Canonibus Nicænis constitutum sibi assumebat : ita ut de omnibus causis & appellationibus clericorum etiam*

per legatos à latere posset cognoscere,

II. *Epistola Patrum Africanorum ad Cælestinum PP. qua Zosimi commonitorio sigillatim respondent: atque regiminis aristocratici Ecclesiæ & juris communis praxim ad omnem posteritatis memoriam consecrant.*

III. *Patres Africani spondent se lite pendente & quoad de genuinis Canonibus Nicænis constaret, obtemperaturos Zosimi commonitorio.*

IV. *Olim Romanos Pontifices nihil sibi ausos assumere nisi ex præscripto & disciplina Canonum.*

V. *Juxta Canones Nicænos non licuisse Romano Episcopo sacerdotes ab ordinariis suis excommunicatos ad Ecclesiæ suæ communionem admittere.*

VI. *Patres Nicænos voluisse clericos cujuscumque essent gradus & conditionis, Episcopos nimirum aut Metropolitanos jure communi in Synodis provinciæ regi: nec eam ob causam judicia transmarina quærere aut sectari*

VII. *Argumenta Bellarmini contra jus commune & Epistolam Patrum Carthaginensium solvuntur.*

VIII. *Ecclesiam definitione & canonibus Patrum regi oportere.*

IX. *De discrimine appellationum & perfugiorum ad Romanam Ecclesiam.*

X. *Gratiam Spiritus Sancti nunquam Ecclesiis particularibus defuturam, modo faciant quod in se est, & æquitatem servent.*

XI. *In Ecclesia primitiva, quicumque judicio cognitorum gravabatur, poterat ad Synodum provincialem & à provinciali ad generale concilium provocare.*

XII. *B. Augustinum clare docere licitum fuisse Donatistis à Papæ Melchiadis sententia ad universale concilium provocare.*

XIII. *Cajetani & Bellarmini argumenta in contrarium diluuntur.*

XIV. *Non esse credibile Deum alicui homini singulari inspirare examinis justitiam, eam vero Synodis denegare.*

XV. *Nulla Synodo constitutum reperiri, ut Romanus Episcopus aliquos mitteret legatos à Latere in alias provincias, qui de causis clericorum contra jus commune statuerent.*

XVI.

XVI. *Capita commonitorii Zosimi nequaquam reperiri in Authenticis exemplaribus Synodi Nicanæ allatis ex Oriente; nec plures quam viginti Canones conditos à Nicanis Patribus.*

XVII. *Fumosum typhum seculi non debere in Ecclesiam intromitti.*

XVIII. *Utrum Patres Africani verum Sardicum concilium sicut & pseudo-Synodum Sardicam agnoverint.*

XIX. *Epistolam Bonifacii II. PP. ad Eulalium esse suppositițiam.*

I. CIrca annum Christi 415 cum Patres Africanæ Ecclesiæ quos intererat S. Augustinus, ex præscripto Canonis quinti Nicæni, & secundi Constantinopolitani, omnes controversias provi nciarum Africæ Synodis provincialibus, ut tum ubique moris erat, deciderent: contigit quendam Siccensis Ecclesiæ Africanæ presbyterum nomine Apiarium, ab Urbano Episcopo Siccensi ob depravatissimos mores de gradu dejici, causamque in Synodo provinciali Africanæ Ecclesiæ approbari. Quocirca Appiarius, ut in integrum restitueretur, ad Zosimum Papam confugit ab eoque obtinuit ut Faustinum Potentinæ Ecclesiæ Italiæ Episcopum, cum Philippo atque Asello presbyteris Romanæ Ecclesiæ legatos à latere mitteret in Africam, ut causam Apiarii de integro tractarent, & pro exequutione sententiæ opem Præfecti Provinciæ implorarent, atque Urbanum Siccensis Ecclesiæ Episcopum Romam evocarent: aut nisi ea quæ legatis corrigenda videbantur

emendaret, excommunicatione innodarent. Zosimus vero obtendebat hoc juris tum Nicænis Canonibus, tum inveterata consuetudine sibi competere: eoque tempore Faustinus Zosimi legatus in Africam appulit, quo Patres Africanæ Ecclesiæ ducenti & septendecim numero generale concilium ex omnibus provinciis Africæ habebant, ut collectionem Canonum omnium conciliorum Africæ facerent, qualem nunc & Græce & Latine habemus conjectam in Codicem Canonum Dionysii Exigui & Nomocanonis Photii. Verum audita legati Pontificii propositione, Patres Africani rei novitate obstupefacti, cum eodem anno Zosimus viam universæ carnis ingressus fuisset, ad Bonifacium I. Zosimi successorem rescribunt, se in codicibus Latinis Synodi Nicænæ nunquam legisse quæ Zosimi commonitorio narrabantur: & eam ob rem authentica atque genuina exemplaria Nicæni concilii esse ab Orientalibus Ecclesiis mutuanda: seque hac de causa missuros ad Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam, & alias Orientis Ecclesias: & etiam atque etiam rogare Bonifacium ut ad illas Ecclesias scribere in eundem finem non gravetur. Intercadum & lite pendente quoad vera exemplaria Nicæni concilii adferrentur, commonitorio Zosimi morem gesturos, id est, Apiarium ad suam communionem admissuros. Porro cum inter altercandum Alypius Episcopus

ſcopus & legatus Numidiæ dixiſſet Canones à Zoſimo pro regulis Nicænis laudatos eſſe fidei ſubleſtæ, confeſtim Fauſtinus Epiſcopus Zoſimi legatus, nulla facta mentione vel Sardicenſis, vel Nicænæ Synodi, Patres Africanos rogavit, *ut hanc perquiſitionem Canonum fraterna charitate peragi curarent, ne contentio inter Eccleſias naſci videretur*: qua reſponſione Fauſtini liquet illum non habuiſſe Romanum Pontificem pro abſoluto monarcha Eccleſiæ, atque omnino incertum fuiſſe de iis quæ ad normam Canonum Nicænorum definiri cupiebat: quod autem petebat ut fraterna charitas ſervaretur, hoc ipſe ſibi primum imperare debebat, quippe qui novum dominatum charitati penitus aduerſum contra Canones inveheret, ut ſtatim Patres Africani docebunt: nihil enim tantopere charitati infeſtum eſt, quam dominatus & potentatus clericorum. Verum cum legati Eccleſiæ Africanæ in Orientem proficiſcerentur, permulti Epiſcopi conqueſti ſunt, ſe tamdiu à ſuis Eccleſiis abeſſe non poſſe. Quam ob cauſam delecti ſunt ex omnibus Provinciis legati, qui quam primum ex Oriente allati eſſent genuini Canones finem huic ambitioſæ controverſiæ imponerent. Intermedio autem tempore in unum codicem univerſi Canones Africanorum Conciliorum conjecti & communi Eccleſiæ Africanæ conſenſu approbati ſunt ad Africanam Eccleſiam regendam. Certe

fratre nostro & Coëpiscopo Faustino, Concilium congregavimus, & credidimus ideo illum missum, quoniam sicut per ejus operam presbyterio ante redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus à Tabracenis objectis, eo laborante purgari: cujus tanta ac tam immania flagitia decursus nostri Concilii examen invenit, ut & memorati patrocinium potius quam judicium, ac defensoris magis operam, quam disceptatoris justitiam superarent. Nam primum quantum obstiterit omni congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum à nobis in communionem suscipi, quem tua Sanctitas (credens appellasse, quod probare non potuit) communioni reddiderat, quod minime tamen licuit: quod etiam gestorum ex lectione melius cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, cum diversa eidem objecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coëpiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus judex justus, fortis, & longanimis magno impendio resecavit. Tetriore quippe ac putidiore obstinatione compressa, qua tantum lividum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro ejus conscientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde, tanquam volutabro criminum, jam damnabat, etiam hominibus publicante, repente in confessionem cunctorum objectorum flagitiorum dolosus negator erupit. Et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum & credebamus

mus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, convertit in gemitus: nisi quoniam istam nostram mæstitiam uno tantum solatio mitigavit, quod & nos labore diuturnioris quæstionis absolvit, & suis vulneribus qualemcumque medelam, & si invita ac sua conscientia reluctante, confessione providit, Domine frater.

Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facile advertet Venerabilitas tua. Nam & si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, à tua Sanctitate vel festinato, vel præpropere, vel indebite videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, sicuti dignum est, repellat Sanctitas tua: quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ: & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque providerunt, quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda: nec unicuique provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur: maxime quia unicuique concessum est, si judicio ostensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam uni-

universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium sacerdotibus denegare. Aut quo modo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus patrum Synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna à sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis: quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro à nobis transmissa sunt: in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Exequutores etiam clericos vestros quibusque potentibus nolite mittere, nolite concedere: ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quod eum (probitate ac moderatione tuæ Sanctitatis salva) fraterna charitas ulterius in Africa minime sustinere patiatur. Et alia manu.

Do-

Dominus noster sanctitatem vestram ævo longiore orantem pro nobis, custodiat Domine frater. Finis.

Hæc Patrum Africanorum Epistola formam disciplinæ apostolicæ secundum jus commune & Canonem quintum Synodi Nicænæ nobis ita consecrat, ut à nemine possit verti in ambiguum. Quo autem de controversia à Zosimo excitata omnes facilius judicare queant, analysim prædictæ Epistolæ & nonnullorum capitum sexti Concilii Carthaginensis explicabimus & ad octodecim articulos revocabimus: quorum primo sanctæ Sedis apostolicæ primatus commendatur.

III. Etsi enim Patres Africanæ Ecclesiæ moleste ferrent Zosimi commonitorium, nihilominus magna cum reverentia spondent, lite pendente & quoad genuini Canones Nicæni ex Oriente adferrentur, se, quicquid illo commonitorio continebatur, servaturos: siquidem Apiarium ad communionem admiserunt, ut Zosimus mandabat. En responsio Africanæ Ecclesiæ, Epistola ad Bonifacium successorem Zosimi, quem Dominum passim vocant: *Ea breviter insinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata sunt, non quæ prolixis gestorum voluminibus continentur: in quibus salva quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore, demorati sumus, ea gestis delibantes quæ nunc ad causam pertinent: quamquam Zosimus, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius, quod*

vi-

videret pacatius terminatum, Domine frater. Item aliquanto post: *Etiam literis nostris ad eundem venerabilis memoriæ Zosimum Episcopum datis insinuari curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus, usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni.* Et sub finem epistolæ: *Donec fiat perquisitio* (Canonum genuinorum scilicet) *hæc quæ in commonitorio supradicto nobis allegata sunt de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem: & de Clericorum causis apud suarum Provinciarum Episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus.* Verum rogatos velim adversarios, dicant ingenue, an hæc Patrum Africanorum ad Bonifacium PP. rescriptio, hominibus conveniat, Papam pro monarcha agnoscentibus? Quid dicere attinet, ut huic potentiæ gliscenti atque Afrorum assentationibus irent obviam, in Synodo Africana sub eodem Bonifacio Canone VI decrevisse: *Ne primæ sedis Episcopus appellaretur Princeps sacerdotum aut summus sacerdos, aut aliquid ejusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus?* Et hæc eo jam tempore quo Episcopi Romani sibi monarchicum principatum in alias ecclesias arrogare volebant: hunc enim Canonem de illis ac de aliis primis sedibus intelligi oportere satis patebit hac historia: nec non etiam ex praxi Ecclesiæ Catholicæ quæ hunc Canonem in Oriente atque Occidente approbavit,

bavit, ut liquet ex Nomocanone Photii & Codice Dionysii Exigui. Adde præterea Episcopos Africanos nunquam Romanum Episcopum appellasse principem aut summum sacerdotem; ut huic Canoni satisfacerent.

IV. Secundus articulus docet Romanos Pontifices nihil tum temporis sibi ausos assumere quod non esset Canonibus præscriptum: nam Zosimus non petit jus cognoscendi & statuendi de causis Ecclesiasticorum per legatos à latere, tanquam sibi divino aut monarchico jure debitum: sed velut aliquod privilegium Nicænis Canonibus Ecclesiæ Romanæ indultum. Hic adscribam suasionem Faustini legati Apostolici ad Patres Africanos: *injuncta nobis sunt à Sede Apostolica aliqua per scripturam*, inquit: *aliqua etiam in mandatis, cum vestra Beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus: hoc est de Nicænis Canonibus ut conserventur, & constitutio eorum & consuetudo: quia aliqua ordine & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo primitus si placet beatitudini vestræ, tractemus*, &c. *Ita enim dixerunt dilectissimi fratres in Concilio Nicæno, cum de Episcoporum appellatione decernerent: placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius & de gradu suo dejecerint eum, & appellasse Episcopus videatur & confugerit ad Beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen: scribere his Episcopis dignetur,*

tur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit Episcopum Romanum ut è latere suo presbyterum mittat: erit in potestate Episcopi Romani quid velit & quid existimet, &c. Quæ ex Sardicensi Concilio deprompta, superius in ejusdem Sardicensis Synodi historia integra exhibuimus, atque objectionibus adversariorum respondimus.

Tertium notabile est, Patres Africanos Congregasse Concilium statim atque Faustinus legatus apostolicus in Africam appulit: *adveniente*, inquiunt, *ad nos fratre & Coëpiscopo nostro Faustino Concilium congregavimus*, &c. quod non est intelligendum de primo adventu Faustini quamprimum Zosimi commonitorium attulit: (tum enim reperit Patres Africanos congregatos, ut superius docui) sed quando in Africam sub Cœlestino I iterum rediit, reversis ex Oriente legatis Africæ: quia, ut dixi, sexennium integrum in hac tractanda controversia lapsum est, & Patres Africanæ Ecclesiæ ubi literas Cyrilli Alexandrini & Attici Constantinopolitani Episcopi acceperunt, & Faustinus Roma advenit, Synodum habuerunt, ut præsente Faustino causa Apiarii secundum Canones Nicænos decideretur.

Quartum, causam Apiarii ejusmodi fuisse, ut potius patrocinium Faustini; quam judi-

cium; & indulgentiam, quam perquisitionem aut definitionem exposceret.

Quintum, eumdem Faustinum Patribus Africanis valde molestum atque injurium fuisse suo primo in Africam adventu scilicet: idque propter Romanæ Ecclesiæ privilegia, quæ ostentui habebat, contendens Apiarium admitti oportere ad communionem in Afcica, eo ipso quod Pontifex Romanus illum ad suam communionem recepisset: *Nam primum quantum obstiterit omni congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum à nobis in communionem suscipi, quem tua Sanctitas communioni reddiderat: quod minime tamen licuit: quod etiam gestorum lectione cognosces*. Quæ Patrum querela demonstrat, Romanam Ecclesiam sumi pro Ecclesia particulari: neque idem esse catholicæ & Romanæ Ecclesiæ communione donari aut excludi: siquidem Africana Ecclesia Apiarium, quem Ecclesia Romana communione sua donaverat, ejicit: idque similiter factum Victoris Papæ erga Asianas Ecclesias probat: & continuo Papam illis seculis minime habitum pro monarcha Ecclesiæ, ut hodie.

Sextum notabile: ideo Apiarium ad communionem Romanæ Ecclesiæ admissum, quoniam Papa sibi persuaderet illum appellasse ad Sedem apostolicam. Quotquot enim Romam perfugio habebant, Romani Pontifices Sedem Apostolicam appellasse sibi persuadebant,

bant, eoſque propterea ad ſuam communionem ſæpe incognita cauſa admittebant: & hinc illi fletus S. Baſilii in ſuis epiſtolis, ſicut & Patrum Africanorum ſeſe ſtrenue opponentium ejuſmodi uſurpationibus contra jus commune invectis: ſiquidem docent Cœleſtinum non potuiſſe probare Apiarium appellaſſe: *Quem tua Sanctitas credens appellaſſe, quod probare non potuit, communioni reddiderat: quod minime tamen licuit.* Hic monendus lector, omnibus inditum eſſe hominibus à natura, ut ſeſe nimium adament, ac ſibi plus quam ratio poſtulat ſæpe aſſumant: ex quo accidit ut populus Romanus, cum ſibi perſuaderet Romanum Epiſcopum parem habere in rebus Eccleſiaſticis auctoritatem quam Imperator Romanus in politicis obtinet, facile quoſcumque Apiarios ad communionem contra leges eccleſiaſticas reciperet: idque mirum in modum ampliandæ poteſtati Romani Pontificis conduxit. Procul dubio fiſcales judices iis potiſſimum gratificantur, qui in eorum moletrinas aquam derivant.

Septimo probant Apiarium poſt multas tergiverſationes atque effugia, tum demum maximo divinæ providentiæ beneficio in publicam confeſſionem omnium criminum ſibi objectorum erupiſſe: magno quidem illorum opprobrio qui illum Romæ innocentem pronunciarant, & quia in communionem admiſerant, volebant etiam ab aliis admitti: *Repente*

in confessionem cunctorum objectorum flagitiorum dolosus negator erupit : & tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit, &c.

V. Octavo, docent ne quidem per Canones Nicænos licuisse Romano Pontifici sacerdotes ab ordinariis suis secundum jus commune excommunicatos ad communionem admittere, etiam in suo Patriarchatu : id enim hæc sonant : *Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis : nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere : quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facile advertet Venerabilitas tua*, &c. Causa hujus rei est, quod auctore Cypriano *singuli Episcopi in solidum suas regant Ecclesias*, 24, *quæst*. 1. *Can. Loquitur* : propterea quod sacerdotium Christi ubique ejusdem est meriti & auctoritatis, *Dist*. 93. *Can. Legimus. §. ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii*. Itaque, nisi quos Episcopi Africæ, verbi causa, excommunicarunt, ubique excommunicati habeantur; neque pax, neque disciplina, neque sanctorum communio, à qua Ecclesiæ unitas dependet, ullo modo servari poterit : & hinc illæ Patrum Africanorum querimoniæ adversus Zosimi commonitorium : facileque est dubitationi, quam

Sco-

Scotus quarto ſententiarum, diſtinctione decima nona excitat, ſatisfacere: *Oportet quærere,* inquit Scotus, *unde à primo principio Eccleſiæ, habuit quilibet talis qui modo communiter excommunicat in Eccleſia auctoritatem ſuper omnes Chriſtianos, ut tenerentur ſibi obedire, cavendo iſtum excommunicatum ab eo propter ejus præceptum.* De Papa loquitur Doctor ſubtilis: porro ex Canonum diſciplina liquet illum tantopere vitandum fuiſſe, quem Epiſcopus Siccenſis Eccleſiæ Africanæ excommunicaſſet, quam à Pontifice Romano excommunicatum, ſecundum Eccleſiæ primitivæ diſciplinam: idque propter ſanctorum communionem & Eccleſiæ unitatem. Enimvero, cum omnes ſimus membra corporis myſtici, invicem compati & vitanda vitare, amplexanda vero amplecti debemus: neque unus ſibi omnia pro animi ſui arbitrio contra Canones aſſumere poteſt: æque enim Pontifex Romanus quam alii Epiſcopi canonibus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſtringebatur. At forſan aliquis contendet, quamquam Victor Papa Aſianas Eccleſias excommunicaſſet propter Paſchæ celebrationem, nihilominus cæteras eccleſias non abſtinuiſſe à communione Eccleſiarum Aſiæ: & conſequenter falſum eſſe quod hoc in loco à Patribus Africanis dicitur. Reſpondeo, Patres Carthaginenſis Concilii loqui de iis quæ fiunt ſecundum jus commune ab unoquoque Epiſcopo in ſua diœceſi: & Victorem contra

jus ordinarium processisse : ideoque ab aliis Ecclesiis merito improbatum. Sed de hac Victoris Papæ historia lege caput sextum lib. quarti Defensionis Libelli de ecclesiastica & politica potestate, numero 19.

VI. Nono ex Canonibus Nicænis urgent, omnes clericos cujuscumque sint gradus aut conditionis, sive Episcopos, sive Presbyteros, suorum Metropolitanorum regimini permitti, hocque ad jus commune pertinere: *Quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facile animadvertet venerabilitas tua. Nam & si de inferioribus Clericis vel Laicis videtur ibi pracaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari : ne in sua provincia communione suspensi à tua Sanctitate vel festinato vel præpropere, vel indebite videantur communioni restitui ? Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicuti te dignum est, repellet Sanctitas tua : quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ : & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt.* Quam Patrum Africanorum assertionem, Canonibus conformem esse docent Canon v & vi Nicæni, ix, xiv & xv Antiocheni : ii & vi Constantinopolitani, item vii tertii Concilii Carthaginensis : U*t Episcopi accusati in Concilio universali anniversario provinciæ judicentur.* Quibus attexe pariter Canonem xxii Milevitani Concilii, sub Innocentio I. *Placuit ut presbyteri,*

teri, diaconi, & cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant: adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.

VII. Porro, hinc perspicue colligimus, neque Episcopis, neque Presbyteris licuisse à jure communi desciscere, ut transmarina judicia, hoc est, curiam Romanam jamjam sensim monarchizantem sectarentur. Quem nodum Cardinalis Bellarminus non solvit sed involvit lib. II de Romano Pontifice cap. 24. Ait enim, *Canonem Milevitani Concilii non esse ad propositum: quia quæstio de Appellationibus ad Romanum Pontificem, non est de Appellationibus presbyterorum, & minorum, clericorum, sed de Appellationibus Episcoporum: siquidem Concilium Sardicense quod Episcopos voluit posse appellare ad Pontificem Canone* IV & VII, *idem voluit causas presbyterorum & minorum clericorum terminari apud vicinos Episcopos, ita ut liceat minoribus clericis appellare à suo Episcopo ad alios Episcopos ejusdem provinciæ, ut habet Canon* XVII *Sardicensis Concilii. Quos duos Canones renovari voluit Papa Zosimus & exequutioni mandari in Africa, ut patet ex Concilio sexto Carthaginensi, & ex epistola Concilii ejusdem ad Bonifacium PP. Porro Canon* XXII

Milevitani Concilii de presbyteris & minoribus clericis loquitur, non de Episcopis, ut patet tum ex Augustino qui huic concilio interfuit, & tamen scribit in Epistola 162. licere Episcopis Africæ appellare ultra mare: clericis minoribus non licere, tum ex verbis ipsius Concilii: sic enim incipit: Placuit ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, &c. Quare totum Concilium Milevitanum probavit Innocentius I in epistola ad ipsum Concilium quæ est 93. inter Epistolas B. Augustini: quod certe Innocentius non fecisset, si in eo apostolicæ sedi derogatum aliquid fuisset. Deinde aliquanto post: *Licet probibitum fuerit clericis inferioris ordinis appellare Episcopis suæ provinciæ, non tamen prohibitum fuit, nec prohiberi potuit summo Pontifici, ne si vellet eos admittere. Præterea Romani Pontifices non tam admiserunt Appellationem Apiarii quam audierunt ejus querimonias, & mandarunt Africanis ut ejus causam diligenter cognoscerent & fideliter judicarent. Apparet enim ex illis duabus Epistolis bis Apiarium venisse Romam, & utraque vice remissum in Africam, & ibi post reditum ejus ab Urbe judicatum in Concilio.*

Huc usque Bellarminus; cujus integram responsionem exscribere volui, ut singulis ejus articulis satisdarem. Primum quod asserit, Canonem XXII Milevitanum agere duntaxat de presbyterorum & minorum clericorum Appellationibus, fateor id verum esse. Nam tum temporis propositum erat Africa-

nis Patribus, suos presbyteros, quos crebro Romam confugere videbant, in gyrum apostolicæ disciplinæ redigere : hocque non impedit quo minus quæstio proposita generatim de omnibus clericis atque etiam ipsis Episcopis capiatur : quando idem Patres Africani ex præscripto Canonis VI Constantinopolitani in tertio Concilio Carthaginensi Canone VII decreverunt, *ut Episcopi accusati, in concilio universali anniversario provinciæ judicentur* : & in hac epistola, quam explicamus, clare pronunciant : *Nam si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis Nicana Synodus voluit observari?* Quæ enim ratio pro presbyteris, à fortiori quoque pro Episcopis militat : quoniam jus commune, quod lege divina naturali constitutum est, ex æquo universos perstringit : & quidem multo magis Episcopos quam clericos inferiores : propterea quod amplior ruina & scandalum gravius ex Episcoporum quam ex Presbyterorum delictis nascitur : & quo malum aliquod magis commune & vehemens est, eo & citius faciliusque debet opprimi, si ad naturæ propositum attendamus. Hæc autem medicina solo jure communi parari potest, ut Patres Africani demonstrant. Ex quo fit ut omnes canones jubeant quæcumque negotia, iis in locis, ubi nascuntur, definiri oportere : contra autem curia Romana vult Romam omnes controversias transportari cum auro pro-

vinciarum. Secundo, meror quidem Bellarminum asserere, hic tantum agi de presbyterorum & clericorum inferiorum, non de Episcoporum Appellationibus, & tamen aliquanto infra contendere, Patres Africanos non prohibuisse aut potuisse prohibere summo Pontifici quominus presbyteros appellantes admitteret si vellet. Certe si ita est, insurgit male statutum ab Africanis Patribus, ne presbyteri & clerici inferioris ordinis tansmarina judicia quærerent, aut alioqui à nullo intra Africam admitterentur ad communionem: imo etiam relinquitur perperam à Nicænis & Constantinopolitanis Patribus scitum, *ut omnia negotia provinciæ, Synodo provinciali definirentur*. Cæterum hæc Bellarmini commenta inde manant, quod imaginetur Papam esse absolutum Ecclesiæ monarcham. Tertio, quod ait Synodo Sardica decretum esse ut Episcopi ad summum pontificem appellarent, id pro comperto & probato assumit quod est in controversia positum; at supra explicavimus quo sensu Canones Sardici capi debeant. Vide caput tertium hujus libri. Quarto fallit aut fallitur, dum objicit S. Augustinum, qui Milevitano Concilio interfuit, scribere in epistola 162 ad Glorium, Eleusium & Felicem Grammaticum licere Episcopis Africæ appellare ultra mare, &c. Siquidem Augustinus eo in loco non disputat de jure appellandi Romam, sed ad Generale Concilium:

lium: & factum Donatiſtarum enarrat, quoniam *à Conſtantino Imperatore judices Epiſcopos petierant, qui de ſuis quæſtionibus arbitrio medio judicarent. Quod poſteaquam factum eſt præſente Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi & illis qui Cæcilianum accuſabant; atque Melciades Papa, cum aliis Epiſcopis quos Conſtantinus judices nominarat, ad preces Donatiſtarum Cæcilianum innocentem declaraſſent, & Donatum cum ſuis aſſeclis reum improbaſſent: nihilominus Donatiſtas in pertinacia ſceleſtiſſimi ſchiſmatis permanſiſſe, adeo ut neceſſe fuerit Conſtantino eamdem cauſam diligentius examinandam terminandamque curare*, &c. Cujus rei hiſtoriam fuſius habes infra decimo quarto notabili, ubi clare videbis, *licitum à Papæ ſententia ad Concilium generale provocare.* Quinto, petitio eſt principii, dicere, Innocentium I nunquam Synodum Milevitanam confirmaturum, ſi Appellationibus ad Romanam Sedem derogaſſet. Nam cum jus commune & regulæ ariſtocratici regiminis juris ſint divini & naturalis, tantum abeſt ut eis Papa poſſit detrahere, cum eas ipſemet ſervare teneatur. At vero Canones Patrum Africanorum de non quærendis tranſmarinis judiciis reſpectu Epiſcoprum & Presbeyterorum, juri communi & Nicænis Canonibus plane congruere hic oſtenditur à Patribus Nicænis. Sexto vel hinc claret, Bellarminum non ad veritatem ſed ad fallendum ſcribere, dum ait Romanos Pontifices non tam

ad

admiſſe Appellationem Apiarii quam audiviſſe ejus querimonias, & mandaſſe Africanis ut ejus cauſam diligenter cognoſcerent. Verum ſi Pontifex Romanus Appellationem Apiarii non admiſit, ut Bellarminus memorat, quare eum communioni & presbyterio ſuo ante cauſam examinatam coram Patribus Africanis reſtituit? Quandoquidem in hac epiſtola ad Cœleſtinum ſtatim initio nominatim Patres queruntur, Apiarium *opera Fauſtini redditum fuiſſe presbyterio Siccenſis Eccleſiæ, unde ejectus fuerat: & eundem Fauſtinum diverſas injurias ingeſſiſſe quaſi Eccleſiæ Romanæ aſſerentem privilegia, ac voluiſſe Apiarium à Patribus Africanis in communionem ſuſcipi, eo quod Romanus Pontifex illum communioni reddidiſſet, quaſi Sedem apoſtolicam appellaſſet: quod tamen probare non potuit. Tandem poſt cauſam Apiarii laborioſiſſimo judicio agitatam, illum crimina ſua confeſſum fuiſſe*, &c. Ex quo patet, prius Romæ Apiarium reſtitutum quam ejus cauſam cognitam: atque Fauſtinum jure vel injuria id exequi voluiſſe in Africa, Romanæ obtendens Eccleſiæ privilegia. Quid dicere opus, eidem Fauſtino mandatum ut Epiſcopum Siccenſem, niſi Apiarium ad communionem reciperet, anathemate feriret, aut etiam Romam evocaret? ut legitur in epiſtola Patrum Africanorum ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem. Quis igitur hoc dicat eſſe judicio legitimo contendere & non potius cer-

tare

tare ad jure vel injuria vincendum? ſic enim efficitur ut aqua in moletrinam jugiter influat & pedetentim abſoluta conſletur monarchia infallibilis. Septimo, cauſa propter quam Apiarius bis ſeſe Romam contulit eſt, quia ſexenno integro controverſia hæc continuavit: & quamquam Fauſtinus eum primo ſuo adventu presbyterio reſtituiſſet, atque Patres Africani lite pendente Zoſimi mandatis obtemperarent: nihilominus Fauſtino redeunte Romam, Apiarius inviſus populo & conſcientia ſcelerum exſtimulatus etiam rediit Romam, & ſecundo Fauſtini reditu reverſus eſt in Africam: jam enim dixi Fauſtinum bis ſe in Africam ad hanc definiendam controverſiam contuliſſe. Sed revertor ad Analyſim epiſtolæ Patrum Eccleſiæ Africanæ.

VIII. Decimo enim oſtendunt, Romanum Pontificem non poſſe uſitatæ atque receptæ conſuetudini in aliqua provincia derogare, modo illa juri communi boniſque moribus non officiat: atque ejuſmodi conſetudinem à ſolo Concilio generali aut provinciali abrogari poſſe. *Presbyterorum quoque & ſequentium clericorum improba refugia repellat Sanctitas tua: quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ*, inquiunt. Unde colligimus Patres Africanos judicare Eccleſias *Patrum definitione*, hoc eſt, canone, non abſoluta poteſtate regi oportere, atque omnia, quibus non eſt Patrum definitione derogatum, vim habere.

IX.

IX. Undecimo, magnum esse positum discrimen inter Appellationes atque perfugia clericorum. Sane Episcopi Africæ, quamquam Patriarchatui Romano subjecti juxta sextum Canonem Nicænum, attamen nunquam Appellationis sed improbi perfugii nomine hujusmodi sacerdotum suorum vitilitigationes donarunt: *Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia repellat Sanctitas tua*, &c. Et paulo ante: *Sanctitas tua credens Apiarium appellasse, quod probare non potuit; communioni reddiderat*, &c. Causa autem cur hæc titulo Appellationis non cohonestentur est, quia juri communi, quod Nicænis Canonibus consecratur & explicatur, repugnant. Accedit, in more positum esse sceleratis Apiario simillimis, neque juri divino, neque humano parcere, ut pœnas suis sceleribus debitas effugiant: & eam ob rem undequaque possunt jure vel injuria sibi factiose subsidia parare: *ac vera rerum vocabula permutare ut suæ iniquitati colorem aliquem justitia alliniant*: sic Apiarii pervicacia contra disciplinam, vocatur Appellatio. Proculdubio nullus potest inficiari Ecclesiam Romanam tutissimo perfugio extitisse BB. Athanasio, Chrysostomo, & aliis Patribus afflictis: sed dum Bellarminus ejusmodi perfugia nomine Appellationis donat lib. 11. de Romano Pontifice cap. 21. obtenditque insuper Fortunatum & Felicem presbyteros depositos à S. Cy-

priano

priano appellasse ad Cornelium, & Basilidem Episcopum ad Stephanum PP. certe perfugium pro Appellatione usurpat atque vocis æquivocatione lectorem frustratur. Quæ ut innotescant, de singulis exemplis dicemus: & primum historia Synodi Sardicensis satis explicat quid de facto S. Athanasii tenere debeamus: cum sese in Occidentem contulerit, ut ope Julii Papæ & aliorum Episcoporum Occidentis synodice & canonice restitui posset, ut, revera Synodo Sardica restitutus est. Par quoque judicium Chrysostomi, qui literis suis ad Innocentium I auxilium, sed quale tum Ecclesia suppeditare consueverat, petit, nempe ut Synodus habeatur: unde nominatim dicit, *se ad Synodum & justum judicium provocasse, & manifestas inimicitias Theophili Alexandrini, quem Eudoxia Imperatrix in Chrysostomum incendebat, fugisse.* sicque epistolam concludit: *Neque Scythas neque Sauromatas unquam judicasse, dandum judicium uni parti, absente ea quæ accusatur: & vitante, non judicium sed inimicitias & invocante multa millia judicum, & protestante coram toto orbe declaraturam se non esse ream, depulsuramque crimina & ostensuram suam innocentiam*: Quibus & Innocentius Epistola 29 ad clerum & populum Constantinopolitanum respondet, *Synodali cognitione peropus esse: quam dudum etiam cogendam esse censuimus, quia sola illa talium procellarum motus sopire potest,* inquit. Quæ pariter à Sozomeno confirmantur

tur lib. VIII. cap. 28. narrante, *Innocentium misisse quinque Episcopos Ecclesiæ Romanæ, & duos presbyteros ad Honorium & Arcadium Imperatorem, ut & Synodum & ejus definitum tempus ac locum impetrarent*: propria sunt verba quæ demonstrant Imperatorem habuisse potestatem indicendorum & convocandorum Conciliorum, ut jam sæpe docuimus. Hercle, ut curiæ Romanæ scriptores sua commenta pro absoluta Papæ monarchia facilius defigerent, illis maxime exoptandum erat, omnes antiquos Libros, Historias, & Concilia deleri, expurgari, aut nunquam edi in lucem: unde quandiu latuerunt, multa contra veritatem ignaris persuaserunt, & supposuerunt. De Fortunato & Felice res ita habet. S. Cyprianus Synodo provinciali istos propter hæresim exauctoraverat: cum autem Romam transfugissent ut à Cornelio Papa admitterentur ad communionem, Cyprianus veritus ne ibi redintegrarentur, ad Cornelium scripsit Epistolam 55. *Quales putas eos esse*, dicit, *qui sacerdotum hostes & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur: neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quic-*

quicquam moveret: nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, judicem se non Episcopi sed Dei faceret: nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsim foris hæresim conderet, &c. Deinde post medium epistolæ hæc subjicit: *Nam cum statutum sit omnibus nobis & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus: oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere: sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint: nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est: jam de eis dicta sententia est*, &c. Demum epistolam ita claudit: *Quamquam sciam fraternitatem nostram vestra scilicet providentia monitam, sed & sua vigilantia satis cautam, nec capi hæreticorum venenis posse*, &c. *tamen ex abundanti vel solicitudo nostra, vel charitas scribere ad vos ista persuasit, ut nulla cum talibus commercia copulentur: nulla cum malis convivia vel colloquia misceantur: simusque ab eis tam separati quam sunt illi de Ecclesia profugi*. Qua ex collectione Cypriani duo

dignoſcimus : Primo hæc verba : *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata,* &c. non de ſolo Papa, ut adulatores fingunt, ſed de quocumque alio Epiſcopo ſententiam dicente ex cathedra intelligi oportere. Quod diſerte confirmatur ab eodem Cypriano epiſtola 69 ad Pupianum hominem laicum, qui ſe à Cypriani communione temere & arroganter ſegregare auſus fuerat : de quo verbis conceptis eadem refert quæ leguntur epiſtola ad Cornelium: *An tu te Epiſcopum Epiſcopi, & judicem judicis ad tempus à Deo dati conſtituis?* &c. *Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, dum Epiſcopus qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur.* Cujus rei cauſam aliquanto poſt ita reddit ſub finem Epiſtolæ. *Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo: & ſi qui cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe, & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habentes obrepunt & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt : quando Eccleſia quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit neque diviſa; ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum glutino copulata.* Et ita liquet falſo illa uni Cornelio Papæ adſcribi. Secundum notabile eſt, his aliis conceptis vocibus Cyprianum oſtendere quodnam & quale ſit decretum prolatum ex cathedra : *nemo adverſum ſacerdotum collegium quicquam moveret, nemo poſt di-*

divinum judicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, judicem se non Episcopi sed Dei faceret, &c. Sensus ergo est, judicium in Faustum, Felicem atque alios presbyteros latum ex sanctorum communione & Catholico consensu totius Provinciæ : & consequenter non licitum Romano Pontifici illud retractare. Idque probat *quoniam statutum omnibus & æquum pariter ac justum sit, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum; & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta; & oportere eos quibus præsumus non circumcursare, & agere illic causam ubi accusatores, & testes criminis esse possunt*, &c. *neque oporteat Episcoporum concordiam cohærentem collidere & scindere.* Quæ omnia Nicænis & Constantinopolitanis Canonibus quadrant: quibus statuitur, omnia negotia provinciæ, Synodo provinciali esse decidenda : hercle qui hanc Cypriani epistolam considerate examinarit, statim cognoscet, illum non obscure Cornelium Papam reprehendere, quod ejusmodi perfugia admitteret, atque hominibus sceleratis ansam & accessionem præberet juris communis turbandi & concordiam cohærentem Ecclesiæ scindendi. Quæ etiam summa est conquestionis S. Basilii, & Patrum Africanorum. Sed transeo ad Basilidem Hispaniæ Episcopum, qui cum Synodali judicio provinciæ pariter damnatus fuisset ab Episcopis Hispaniæ, & Stephanum Papam habuisset perfugio ut restitueretur : Hi-

ſpaniæ Epiſcopi Cyprianum hujus cauſæ ſuæ judicem elegerunt adverſus factum Stephani Papæ : quod argumento eſt certiſſimo illos nunquam Epiſcopum Romanum habuiſſe pro monarcha Eccleſiæ. Siquidem factum Stephani diſerte improbat Cyprianus, & geſta Epiſcoporum Hiſpaniæ confirmat, epiſtola 68. *Cum in unum conveniſſemus, legimus literas veſtras fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Epiſcopos noſtros pro fidei veſtræ integritate & pro Dei timore feciſtis : ſignificantes Baſilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos Epiſcopatum gerere, & ſacerdotium Dei adminiſtrare non oportere : & deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis, & juſtam pariter ac neceſſariam ſolicitudinem veſtram vel ſolatio vel auxilio noſtræ ſententiæ ſublevari. Sed enim deſiderio huic veſtro non tam noſtra conſilia quam divina præcepta reſpondent*, &c. *Nec reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam Romam pergens, Sthephanum collegam noſtrum longe poſitum & geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit : ut exambiret reponi ſe injuſte in Epiſcopatum, de quo fuerat juſte depoſitus. Hoc eo pertinet, ut non tam Baſilidis abolita ſint quam cumulata delicta : ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen accefferit. Neque enim tam culpandus eſt ille cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus qui fraudulenter obrepſit. Obrepere*

pere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cum scriptum sit: Deus non deridetur. Hucusque Cyprianus, aperte accusans Stephanum negligentiæ quod sibi obrepi passus sit atque Basilidis factum obreptionem non Appellationem vocans: quid ergo venit in mentem Bellarmino, ut hoc inter Appellationes ad Romanum Pontificem recenseat? Cum hæc omnia exempla clare demonstrent per quos & quibus juris communis, & disciplinæ apostolicæ abrogatio introducta & cuinam quæstuosa fuerit temporaliter. Similibus improbis refugiis atque obreptionibus usi sunt Antonius Episcopus Fussalanus S. Augustini discipulus, Rhotadus Suessionensis, & Hincmarus Laudunensis Episcopus: qui omnes secundum Canones Nicænos damnati fuerant, & tamen à Pontificibus Romanis non jure sed via facti restituti sunt, ut alias docuimus: quod enim contra jus commune & Canones patratur, vis non jus est, secundum illius temporis disciplinam: aliud est de hodierna quam Ecclesia tolerat. Porro quamcumque in partem Adversarii Epistolas Cypriani & Patrum Africanorum versarint, nunquam probabunt illos nomine Appellationis usos erga Romanum Pontificem quoties contra jus commune & Canones Patrum aliquid attentavit: idque nos clare docet quid de Monarchia recentiorum sit tenendum.

Duodecimo, demonstrant Nicænos Patres

justissime & prudentissime cavisse, ut quæcumque negotia jure communi, hoc est, iis in locis ubi orta essent, finirentur ab Episcopis provinciæ: ne, si longius aut extra provinciam medicina quæreretur, morbus ingravesceret. Porro hujus constitutionis rationem sic Patres assignant: *quod transmarina judicia rata esse non possint absque plurimorum testium auditione: atque ejusmodi testes vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis Romam deduci nequeant.* Certe S. Bernardus quamquam seculo vixerit quo jus commune plane oppressum erat, hoc testatur lib. III. cap. 4. ad Eugenium & cap. 6. *Bene facis tu quod appellationem negato suffragio, imo suffugio, multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citius possint: ubi enim certior aut facilior notio, ibi decisio tutior expeditiorque esse potest.* Quod ipsum certe lumen naturale præmonstrat: & si ulla in re, præsertim in caussis ecclesiasticis & spiritualibus observandum venit. Quam ad rem faciunt superiora testimonia Cypriani ex epistola 55 ad Cornelium quæ huc impendi atque referri debent.

Cæterum Bellarminus ut se ab his nodis adamantinis exsolvat, lib. II. de Romano Pontifice cap. 23. mirum in modum æstuat: & primo quidem, ut meticulosis atque ignaris scrupulum injiciat, persuadere vult, hoc esse argumentum Lutheranorum. Secundo, respondet *Cyprianum epistola* 55 *ad Cornelium ægre tu-*

tulisse appellationes eorum qui de manifestissimis criminibus convicti & judicati fuerant : non autem omnino appellationes sustulisse : idque colligitur ex lib, 1 epistola 4 Cypriani, ubi de Basilide loquens qui damnatus in Hispania ad Stephanum Papam appellaverat, ait, non tam culpandum Stephanum cui negligenter obreptum fuerat, quam Basilidem execrandum qui fraudulenter obrepserat. At si nullo modo licuisset Stephano appellationes admittere, valde esset culpandus nec eum Cyprianus excusasset. Tertio obtendit hæc verba Cypriani, *ut illic causa audiatur ubi est crimen admissum, solummodo ostendere causam primum informari & judicari oportere, ubi est crimen admissum : sed non prohibere quo minus alibi judicetur.* Alii respondent, causas primum debere instrui apud Ordinarios, & ubi instructæ sunt ad summum Pontificem mitti oportere, ut infallibiliter judicet. Quarto, *Si hoc decreto allato à Cypriano prohiberentur Appellationes, non solum prohiberentur ad Romanum Pontificem, verum etiam ad quemlibet alium judicem. At absurdissima & ridicula lex esset, quæ omnem Appellationem prohiberet*, ait Bellarminus. Quinto contendit hæc verba Cypriani, *nisi si paucis desperatis ac perditis, minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum*, &c. *non referre comparationem ad Romanos Pontifices sed ad causam de qua agebatur : Est enim sensus, Episcopos Africæ non fuisse minoris auctoritatis quam sufficeret ad eam causam.*

Quibus Bellarmini velitationibus primum

respondeo, si hæc sunt Lutheranorum argumenta, sequi S. Cyprianum, Augustinum atque alios Africanæ Ecclesiæ, imo omnes Nicæni & Constantinopolitani Concilii Patres fuisse Lutheranos: quibuscum tamen, quam cum absolutæ monarchiæ propugnatoribus, sentire magis expedit. Ad secundum de Basilide appellante ad Stephanum Papam solutum est supra, & demonstratum, non fuisse Appellationem sed improbum perfugium aut sceleratam obreptionem, ut Cyprianus & Patres Africani loquuntur. Ad tertium respondeo, Patres Africanos non absolute interdicere Appellationes, sed transmarinas duntaxat, quia juri naturali & Canonibus derogant: Canones autem exigunt illic negotia decidi, ubi emergunt: unde etiam pernegant, ejusmodi effugia mereri nomen Appellationis cum juri communi repugnent. Hic pro Appendice subjungo, Rationi & Canonibus esse consentaneum Appellationes extra provinciam deferri, quando Episcopi provinciæ suspecti sunt: & hoc tantum in casu Canones Sardicos capi debere: meritoque S. Athanasium, & Chrysostomum ad Ecclesiam Occidentalem confugisse, ut jus obtinerent. Cæterum tota errant via qui causantur lites apud ordinarios instrui & deinde Romam deferri oportere: quasi vero Christus qui Euangelium sine sumptu & fastu esse voluit, in Ecclesia vitilitigationes atque litium anfractus, sicut in seculo, seri

ſeri & non illico ac velut de plano cuncta negotia exſcindi voluiſſet: amputari autem nullo modo poſſunt niſi iis in locis, quibus naſcuntur, confeſtim definiantur. Quarto autem reſpondeo ſicut ad tertium, non abſolute prohiberi appellationes, ſed duntaxat quæ juri naturali repugnant. Ad quintum, verba Cypriani in peregrinum ſenſum detorquet Bellarminus: illius autem mens eſt, ideo Epiſcoporum Africæ non minorem eſſe auctoritatem quam Romani Pontificis & Epiſcoporum Italiæ, quod ſacerdotium Chriſti, à quo tota Eccleſiæ auctoritas manat, ejuſdem ſit virtutis, meriti, & poteſtatis in Africa quam Romæ. *Diſt.* 93. *Can. Legimus*, *§. ubicumque fuerit Epiſcopus ſive Romæ ſive Eugubii*, &c. Item 24 *quæſt.* 1. *Can Loquitur. §. Epiſcopatus unus eſt cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Et ne extra Epiſtolam Cypriani ad Cornelium evagemur, diſerte ait, *uniuſcujuſque cauſam illic propterea audiri debere ubi eſt crimen admiſſum, quoniam ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, & oportere eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem collidere*, &c. Quæ oratio cauſam Bellarmini & curiæ Romanæ jugulat. Verum ex hoc diverticulo, ad noſtram Analyſim ſe noſter ſermo teferat.

X. Decimo tertio Patres Africani indicant, *gratiam Spiritus Sancti, nulli unquam provinciæ defutu-*

futuram, modo Sacerdotes æquitatem servent, & prudentur agant : quod illorum proloquium huic oraculo Domini innititur : *Amen dico vobis quia si duo ex vobis consenserint super terram*, &c. *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, &c. Nam, ut jam dixi, sacerdotium Christi ubique locorum atque gentium ejusdem est rationis, meriti, virtutis & potestatis.

XI. Decimo quarto, declarant, quicumque offensus fuerit judicio Cognitorum, id est, Ordinariorum, posse ad Concilia suæ provinciæ aut ad universale concilium provocare. Quæ sententia, non tantum quæstionem juris, sed etiam praxim illo seculo secundum Canones Nicænos usitatam nobis consecrat : conformiter quidem ad Epistolam 162 Augustini ad Glorium, Eleusium, & Felicem Grammaticum Donatistas : qua Epistola S. Augustinus clare ostendit, post Melchiadis Papę, id est, Sedis apostolicę judicium in Donatistas, hos potuisse provocare ad Concilium generale de Melchiadis sententia. Paucis quidem totam historiam enarrabo.

XII. Cæcilianus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis, cum totius populi & cleri suffragio, adversus Botri & Cœlesii factiosas prensationes, qui Episcopatum Carthaginensem ambiebant, electus fuisset Carthaginensis Episcopus, dehinc est à Felice Aptungitano Episcopo ordinatus. Cæciliani autem corrivales

vales statim dissеminant, Cæcilianum à Traditore ordinatum. Traditores dicebantur qui flagrantibus Diocletiani persequutionibus libros sacros comburendos dederant. Nam Diocletianus edictum de libris Christianorum abolendis sciverat. Itaque Donatus è Numidia veniens, adjunctis sibi aliquot suæ factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem Episcopum ordinavit, sicque schisma factum est, quod postea in hæresim degeneravit: quia paulo post Donatistæ alia sparserunt dogmata de rebaptizandis & reordinandis quos Cæcilianus ordinasset & baptizasset: quæ controversia ad quæstinonem juris spectat: legendus August. de Hæresibus ad Quod vult Deum. Porro cum maxima pars populi Cæcilianum tanquam legitimum Episcopum Majorino despecto sequeretur; Donatistæ rogarunt Imperatorem Constantinum *ut transmarinos Episcopos judices haberent, qui de quæstionibus quæ in Africa exortæ pacis vinculum dirimebant, arbitrio judicarent*. August. epist. 162 jam laudata. Sed primum dati in Gallia Episcopi judices, qui secundum causam Cæciliani pronunciarunt, quorum judicio cum Donatistæ non acquiescerent: dehinc datus & ab Imperatore Melchiades PP. cum octodecim Episcopis quos recenset Optatus: his autem *cum Donatus confessus esset, se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse quod ab Ecclesia alienum est*, teste Optato: atque insuper testes à Donato

nato contra Cæcilianum inducti confiterentur se nihil habere quod in Cæcilianum dicerent: hìc innocens pronunciatur à Melchiade, cujus sententiam ita refert Optatus: *Cum constiterit Cæcilianum ab iis qui cum Donato venerunt juxta professionem suam non accusari: nec à Donato convictum esse in aliqua prrte constiterit: suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum censeo.* Augustinus addit amplius statutum fuisse, *ut quibuscumque locis essent duo Episcopi, sicut Carthagine, quos dissensio geminasset, unus orthodoxus & alter Donatista, ille confirmaretur qui fuisset prior ordinatus: alteri autem illorum plebs alia regenda provideretur: O virum optimum, ô filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis*, exclamat Augustinus de Melchiade. Quæ sententia & quanti Patres antiqui pacem atque unitatem Ecclesiæ facerent, & quid pro ea vindicanda non facerent, aperte declaret. Cæterum Donatistæ judicio ecclesiastico damnati ad Constantinum provocarunt, qui eam ob rem justo percitus dolore, cum omnes vias pacis & sedandæ hujus controversiæ tentasset, tandem declamavit: *O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Siquidem optimo dolebat Principi, illos qui cœlestem & Christianam vitam profitebantur, simultates atque jurgia inter sese exercere, magisque ad vincendum & sese ulciscendum quam ad charitatem, pacem, unitatem Ecclesiæ, &

officii

officii sui rationem attendere : sicut Ruffinus narrat de controversis Episcoporum in Nicæna Synodo ad Constantinum relatis, l. 1. c. 2. Historiæ. Porro, *cum utraque parte assistente coram Constantino, Cæcilianus innocens judicatus fuisset, ac Donatistæ superati recessissent, & tamen in eadem perversitate permanerent : elegerunt, sicut dicitur, ad duas fraudes agere causam cum Cæciliano apud Ecclesias transmarinas, parati ad utrumque, ut si Cæcilianum potuissent quacumque versutia falsæ criminationis evincere, satiarent plenissime cupiditatem suam : si autem non possent in eadem quidem perversitate durarent : sed jam tamen quasi haberent quod dicerent, malos judices se esse perpessos : quæ vox est omnium malorum litigatorum : cum fuerint etiam manifestissima veritate superati. Quasi non ad hoc dici posset & justissime dici, ecce putemus illos Episcopos qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse : restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari : ut, si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint probent.* Hæc Augustinus Epistola ad Glorium & Felicem Grammaticum, liquido probans in Donatistarum manu fuisse appellare à sententia Melchiadis PP. ad generale Concilium : & propterea majorem esse Concilii quam Papæ auctoritatem, juxta praxim disciplinæ Patrum Ecclesiæ primitivæ, quam expressam legimus Canone v. Synodi Nicænæ, & epistola Synodi Carthaginensis

ginensis ad Cælestinum quam sub incudem versamus : idque insuper Cardinalis Cusanus lib. II. de Concordantia cap. 17. & Almanus cap.7.de Ecclesiæ auctoritate ex epistola Augustini ad Glorium, Eleusium & Felicem Grammaticum probant.

XIII. Hanc vero difficultatem Cajetanus capite 10 suæ Apologiæ in Almainum dum exsolvere molitur tanquam mus pice impactus hæret : eique Cardinalis Bellarminus l. II. de Conciliorum auctoritate c. 19. frustra suppetias ferre conatur, asserens : *S. Augustinum non conferre Papam sine Concilio cum Concilio sine Papa : sed conferre Concilium particulare cui præsit Papa, cum Concilio generali cui etiam præsit Papa. Potest autem sine dubio causa judicata à Pontifice in Concilio particulari iterum ab eodem judicari in Concilio generali, præsertim in quæstione facti, qua pendet ex informationibus, & in qua errare potest Ecclesia : qualis erat quæstio de qua tunc agebatur: imo etiam ordinarie indicto Concilio generali, olim fiebant Concilia particularia prius in singulis provinciis & etiam Romæ : & deinde res definita in illis conciliis particularibus iterum tractabantur in Concilio generali, & tunc dabatur ultima definitiva sententia à Pontifice Concilio assentiente.* Quæ responsio potius nodum stringit quam laxat; ut patebit responsione ad singula. Primum quod obtenditur dissidium subortum in Africa versari in quæstione facti non juris, fallit à divisis ad conjuncta : quoniam plura erant capita

capita hujus controversiæ, quorum alia ad facti, alia ad juris quæstionem spectabant. Quod enim Cæcilianum criminabantur, *quasi à Traditoribus fuisset ordinatus*, in pura quæstione facti vertebatur: contra ad quæstionem juris capita in Donatum proposita attinebant: nimirum quod baptizatos atque ordinatos à Cæciliano rebaptizaret atque reordinaret, ac si jus esset id faciendi. Quamobrem ubique damnatus est Donatus, eo quod confessus esset se rebaptizasse, ac manum Episcopis imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est, inquit Optatus. Tum ergo controvertebatur, an baptismus & ordo ab illis possent conferri, quos Donatistæ fingebant ordinatos fuisse à Traditoribus. Secundo, quod objicit, Augustinum conferre Concilium particulare cui præsit Papa cum generali Concilio, cui etiam præsit Papa; & continuo Melchiadem potuisse iterum de causa Donatistarum in generali Concilio cognoscere, quamquam de illa jam cognovisset in particulari Synodo: ludificat à suppositione principii: sibi in animum inducens, sicut in Franciæ regno, verbi causa, nulli conventus habentur legitimi absque regis auctoritate: & quibus rex non præsit si ei lubeat: ita in Ecclesia nullum posse celebrari concilium absque Pontifice; quasi esset absolutus monarcha Ecclesiæ: quod potestati pure ministeriali spirituali Ecclesiæ relictæ repugnat. Etsi enim regulariter atque ordinarie haberi

beri non possint absque Papa, ut demonstratum est: tamen multi casus possunt usu evenire, quibus id potest fieri: cum præsertim de facto Papæ agitur, ut est in causa. Unde Patres Africani Epistola ad Cœlestinum perhibent, *unicuique concessum esse, si judicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam ad universale provocare.* Et Canone XXIX quarti Concilii Carthaginensis: *Episcopus si clerico vel laico crimen impegerit, deducatur ad probationem in Synodum.* Et Canone LXVI: *Clericus qui Episcopi circa se districtionem injustam putat, recurrat ad Synodum.* Quæ omnes regulæ pro juris communis explicatione & constitutione tam in iis quæ ad quæstionem juris, quam quæ ad quæstionem facti pertinent, latæ sunt: ac proinde secundum formam ordinariam & usitatam judiciorum capi debent: in qua nunquam est auditum judicem à quo appellatur, sedere iterum judicem in eadem causa, de qua est appellatio. Sane cum Augustinus memoret Donatistas calumniose conquestos quod malos habuissent judices: si forsan in eorum judicio contigisset aliquid contra usitatum & ordinarium morem fieri, atque Melchiadem iterum sedere judicem: profecto justam nacti essent occasionem conquerendi se malos habuisse judices, quique in propria causa judicarent: quoniam sæpe innatum est hominibus ut quod semel dederunt judicium, illud tanquam propriam causam jure vel in juria pro-

propugnent. Et hinc etiam depellitur aliorum evasio, qui Augustinum putant de sola causæ revisione & recognitione loqui: ut sensus sit, Melchiadem & Patres Concilii generalis causam Donatistarum recognituros: quemadmodum Philippus Macedoniæ Rex causam viduæ quam dormitant judicaverat, vigilans recognovit, *&c.* Jam enim dixi hic de forma ordinaria judiciorum agi: & præterea dato quod hæc recognitio causæ fieret cum Melchiade judice, semper Donatistæ causam querendi habuissent, se malos judices habuisse. Verum forte contemnet aliquis Constantinum sua exclamatione: *O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium Appellationem interposuerunt*, &c. ostendisse non jus fuisse Donatistis appellandi à sententia ecclesiastica, ut solet fieri in causis secularibus. Rependo, si verba Constantini de Appellatione ad Principem politicum in causis pure ecclesiasticis & sola quæstione juris versantibus capiantur: recte quidem ab eo dictum, non licere tanquam in causis Gentilium ad Principem secularem provocare: si vero de Concilio generali, quasi non licuisset Donatistis ad Synodum universalem appellare: certe verba illa potius sunt consilii quam præcepti: quoniam, ut superius dixi, optimo Principi graviter dolebat, Ecclesiasticos, qui tanquam lumen mundi aliis debent præfulgere, lites & dissidia sectari, atque Ecclesiam scindere. Attexe, jus declarari cum à

Patribus Africanis Epiſtola ad Cœleſtinum, tum ab ipſo Auguſtino Epiſtola 162. qua docet, Donatiſtas potuiſſe à Melchiadis ſententia ad concilium generale provocare. Tertio, quod ait Bellarminus, ordinarie indicto Concilio generali olim concilia provincialia prius haberi conſuevisse in omnibus provinciis, hoc quidem nihil confert ad præſentem controverſiam. Quarto, quod narrat Pontificem in Conciliis generalibus dediſſe ultimam ſententiam definitivam aſſentiente Concilio, hoc ſequioris eſt ſeculi: quoniam ſub octo primis univerſalibus Conciliis, quorum hiſtoriam hoc libro explicamus, omnes Epiſcopi, ſicut & Romanus Epiſcopus, judices ſederunt in omnibus controverſiis, eaſque ariſtocratice definierunt, ut progreſſu hujus hiſtoriæ liquebit.

XIV. Decimo quinto, non eſſe credibile *Deum unicuilibet poſſe inſpirare examinis juſtitiam, eam vero innumerabilibus ſacerdotibus in Concilium congregatis denegare.* Quo teſtimonio claret, utrum Patres Africani cenſuerint facultatem infallibilem decernendi potius in una & ſolo Papa, quam in Concilio generali reſidere. Profecto Patres illi ob reverentiam primatus Papæ hic loquuntur per ſchematiſmum, & neque affirmant neque negant Romanum Epiſcopum pollere infallibili auctoritate: ſed à majori ad minus urgent potius examinis juſtitiam penes concilium quam penes unicum homi-

hominem, qualiſcumque ille ſit, habitare: Nam phraſi Africana *Unuſquilibet*, idem eſt ac unus quicumque, aut qualiſcumque ſit.

XV. Decimo ſexto, nulla ſynodo conſtitutum reperiri, ut Romanus Pontifex aliquos mittat legatos à latere, qui de cauſis transmarinis cognoſcant aut judicent. Quo ex effato, tria elicimus conſectaria; primum, Eccleſiam Canone, non abſoluta poteſtate regi oportere: ſecundum & tertium, Patres Africanos neque abſolutam Papæ monarchiam, neque Sardicos Canones agnoviſſe.

XVI. Decimo ſeptimo, Zoſimi commonitorium Eccleſiæ Africanæ pro Canonibus Nicænis oblatum, *nequaquam reperiri in verioribus & authenticis exemplaribus Nicæni Concilii, quæ miſſa ſunt à Cyrillo Alexandrino & Attico Conſtantinopolitano Patriachis ex authentico Codice in quo viginti Canones, illi ipſi nimirum qui hodie omnium manibus verſantur, continentur*. Quod teſtimonium indubitatum eſt, ſicut etiam Theodoreti l. 1. c. 8. hiſtoriæ Eccleſiaſt. ſub finem affirmantis, Patres Nicænos *de adminiſtratione Eccleſiaſtica leges ſeu Can.* XX *conſcripſiſſe*. Quam ad rem facit etiam *Diſt.* 16. *Can. Prima autem Synodus*, §. *qui condemnata eadem hæreſi ſtatuerunt Canones* XX. quos Canones videmus frequenter in uſu fuiſſe apud omnes antiquos Patres qui ſub octo primis Conciliis generalibus floruerunt: contra autem Canones Arabicos Turriani & Alphonſi Piſani ante ſexa-

ginta circiter annos fuisse toti orbi Christiano incognitos Hinc præterea luci meridina clarius apparet Canonem *Septuaginta. Dist.* 16. cum Epistola Athanasii & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam, unde Canon memoratus *septuaginta* est excerptus, esse plane supposititia: quemadmodum & quæ circumferuntur de Nicænis Canonibus quos Arriani combusserunt: quique hanc fabulam confixerunt, meminisse debuerant Arrianos nihil plane causæ habuisse ut canones ad disciplinam & politiam spectantes, quam ipsi accuratissime servabant, ut ex Antiochenis Canonibus liquet, sed duntaxat, ut symbolum Nicænum comburerent.. Proculdubio hoc commentum de combustis Canonibus Nicænis adeo crassum & supinum est, ut ipsum Bellarminum ejus puduerit lib. 11. de Romano Pontifice cap. 25. circa medium: ubi fatetur incensionem librorum accidisse tempore Constantii Imperatoris Marco Papa pridem vita functo, ad quem Ægyptii finguntur scripsisse de ejusmodi Canonum combustione, quæ quidem non aliunde habet testimonium quam à memorata Epistola Ægyptiorum. Hic mihi pene exciderat monere, Ruffinum non alios agnoscere Canones Nicænos quam viginti memoratos qui Tomis omnium Conciliorum etiam Romanæ editionis, atque insuper Codice Canonum Ecclesiæ universalis, & Dionysii Exigui continentur & conservantur.

XVII.

XVII. Decimo octavo, fumosum typhum seculi minime intromitti debere in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert: ac proinde clericos exequutores non esse Roma mittendos in alias provincias, qui opem potentum, *Brachium seculare* vulgo nuncupant, ad mandata Romanorum Pontificum peragenda, implorent & obtineant. Qua de jam dixi gravissimas extare querelas S. Augustini Epistola ducentesima sexagesima prima ad Cœlestinum Papam super improbo refugio & restitutione Antonii Episcopi Fussalani: *judicia civibus Fussalanis & publicas potestates, & militares impetus tanquam exequutores apostolicæ Sedis sententiæ, sive ipse Antonius, sive rumores creberrimi comminentur, ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo, quam cum essent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant.* Quæ agendi ratio curiæ Romanæ, tum demum disciplinam apostolicam & regimen aristocraticum Ecclesiæ oppressit, atque absolutam infallilem monarchiam erexit. Certe Socrates libro septimo c. 11 historiæ scribit, *jam hoc tempore Episcopatum Romanum atque Alexandrinum quasi extra sacerdotii fines egressos ad secularem principatum delapsos fuisse.* Verum mirabile est actione sexta octavi Concilii generalis versus finem referri Synodum Africanam cujus acta recensemus, *paruisse Zosimi Papæ sententiæ in*

restituendo Apiario & propriam reprobasse sententiam: cum hoc plane veritati Actorum repugnet: de qua re amplius in octava Synodo.

Cæterum quotquot pii viri studiosi veritatis & disciplinæ ecclesiasticæ animum ad hæc Acta synodalia appellent, toties divinam providentiam & mirari & prædicatione summa efferre debent: quod tam eximium, singulare indubitatum & notissimum regiminis Ecclesiæ monimentum ad omnem memoriam posteritatis extare voluerit: cujus beneficio clare dignosceremus, ecquidnam hodie tenendum sit de monarchia Curiæ Romanæ; & quo numero habere debeamus rutubam octoginta Canonum Nicænorum Turriani, & Alphonsi Pisani, nec non etiam Sardicos Canones, cum epistola Ægyptiorum ad Marcum Papam.

XVIII. Evoluta difficultate genuinorum Canonum Synodi Nicænæ & Concilii Sardicensis, hic alia non contemnenda occurrit, an Synodus Sardica in notitiam Africanæ Ecclesiæ venerit. Causa dubitandi est, quod si Patres Africani hanc Synodum perspectam habuissent, uno verbo controversiam à Zosimo solicitatam definire, & laboribus ac immensis sumptibus, necnon jacturæ temporis poterant parcere, si modo respondissent Synodum Sardicam non fuisse generalem, & Canones ibidem conditos solummodo provisorios esse, quatenus iretur obviam Arrianorum infesta-

tionibus

tionibus, quando jus commune & ordinarium ſervari non poterat in provincia aliqua. Secundo B. Auguſtinus libro III adverſus Creſconium cap. 34. & epiſtola centeſima ſexageſima tertia adverſus Eleuſium, Glorium, & Felicem Grammaticum videtur unicum duntaxat agnoviſſe conciliabulum Sardicum ab Arrianis Philippoli coactum in S. Athanaſium & fidem Nicænam. Contra autem rationes affirmandi ſunt multo certiores, validiores & mihi penitus indubitatæ. Primum in prima Synodo Carthaginenſi Canone V Gratus Epiſcopus Carthaginenſis ita refert XV Canonem Sardicum: *Nam & memini*, inquit, *in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum, ut nemo alterius plebis hominem uſurpet: ſed ſi forte erit neceſſarius, petat à collega ſuo & per conſenſum habeat.* Hic audis mentionem fieri Sardicenſis Concilii, & continuo ſequi Sardicenſe Concilium non potuiſſe magis latere Auguſtinum quam primam Synodum Carthaginenſem quam notam fuiſſe Auguſtino nemo dubitare poteſt. Secundo cum eadem ſit diſciplina contrariorum, & compertum ſit Auguſtinum cognoviſſe expulſionem S. Athanaſii cum pſeudo-Synodo Sardica: conſurgit quoque, illum notitiam habuiſſe reſtitutionis ejuſdem quæ facta eſt in Synodo Sardica legitima, indicta ab utroque Imperatore in Oriente & Occidente. Enimvero Athanaſius teſte Gregorio Nazianzeno epiſtola 74. *Orbis Chriſtiani oculus*

lus & fundamentum fidei habitus est : cujus gesta aut quæ ad eum attinebant neminem Christianorum, nedum S. Augustinum doctissimum Episcopum latere poterant. Tertio quia ipsemet Athanasius Apologia 2. narrat sex & triginta Episcopos Africæ Concilio Sardico interfuisse, quos inter Gratum Carthaginensem Episcopum enumerat: quo rogante decretum factum est contra Episcopos præsertim Africæ, qui Curiam Imperatorum sectabantur, ut seculares dignitates pro amicis & parentibus exambirent : legendus Canon VII Sardicensis, ex versione Gentiani Herveti. Quarto, à Julii I temporibus sub quo Synodus Sardica coacta est ad Zosimum Papam solummodo sexaginta anni aut circiter decurrerunt : unde certum est quosdam ex Episcopis Africæ qui Sardico Concilio interfuerant, potuisse etiam de vultu notos esse permultis Episcopis qui sextum Concilium Carthaginense celebrarunt. Quinto in Actis sexti Concilii Carthaginensis cum de Zosimi Commonitorio dissidium oriretur, Daniel Notarius Concilii hæc narravit: *De Apellationibus autem clericorum, id est, minoris loci restat ipsius Synodi certa responsio; de qua re quid acturi sitis credimus inserendum, quod taliter dictum est ex Sardicensi Concilio : Osius Episcopus dixit, quid me adhuc moneat reticere non debeo : Si Episcopus forte iracundus (quod esse non debet) cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum, sive Diaconum suum*, &c. *Cumque*

que recitaretur, Augustinus Ecclesiæ Hipponis Rhegiensis legatus provinciæ Numidiæ dixit: Et hoc nos servaturos profitemur salva diligentiore inquisitione Concilii Nicani. Hæc ibi. Non me fugit Bellarminum conjicere, hæc verba (*quod taliter dictum est ex Sardicensi Concilio, Osius Episcopus dixit*, &c.) fuisse primum ab aliquo margini Carthaginensis Concilii adscripta, deinde inserta in contextum. Sed ego contra insto videri genuina verba Danielis Notarii: quod confirmant responsiones S. Augustini & aliorum Episcoporum Africæ, quæ immediate sequuntur recitationem Danielis Notarii: *Et hoc, inquit Augustinus, nos servaturos profitemur salva diligentiore inquisitione*, &c. ubi omnes Episcopi excipiunt perquisitionem Nicænorum Canonum de quibus agebatur: minime vero de Sardicis, quamquam lecti fuissent. Sed si ultro demus Bellarmino verba illa irrepsisse in relationem sextæ Synodi Carthaginensis: nihilominus satis liquet ex argumentis præcedentibus, Synodum Sardicam non potuisse latere S. Augustinum & alios Patres Africanæ Ecclesiæ. Certe S. Augustinus non absolute scribit se non cognoscere aliud Concilium Sardicense ab eo quo Donatistæ suam causam tutabantur; sed solummodo ait, *Concilium à Donatistis prolatum Arrianorum non Catholicorum fuisse.* Aures commoda lector ad Augustini verba cap. 34. lib. III. contra Cresconium: *Disce ergo, quod nescis: Sardicense Concilium Arrianorum*

anorum fuit; quod notum jamdiu est, ut habemus in manibus contractum, maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum: qui eorum errorum ex ipsa civitate ortum præ cæteris acriter arguebat & refellebat. Non igitur mirum si illi hæretici Donatum sibi asciscere tentaverunt, quos per totum orbem Catholica damnabat Ecclesia. Vides hîc nominatim & præcise de Sardico Concilio Arrianorum agi. Item epistola 163 ad Eleusium: *Tunc protulit volumen* (de quodam loquitur Donatista) *ubi volebat ostendere, Sardicense Concilium ad Episcopos Afros, qui erant communionis Donati, dedisse literas*, &c. *Tunc accepto ipso volumine ejusdem Concilii statuta considerans legit, Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, cujus maxime adversus Arrianos acerrimarum disputationum conflictus eminuit, & Julium Ecclesiæ Romanæ Episcopum nihilominus Catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos: unde apud nos constitit Arrianorum fuisse Concilium, quibus isti Episcopi Catholici vehementissime resistebant.*

At dicet aliquis, si B. Augustinus cum aliis Patribus Africanæ Ecclesiæ Synodum Sardicam legitimam agnoverunt, quidni legatos Zosimi Papæ uno verbo absolvebant, atque rem, ut sese habebat, declarabant? Rependo, hoc ab illis consulto & summa Dei providentia factum, tum ut posteritati contra assentationes & usurpationes hominum absolutam monarchiam invehere volentium in Eccle-

siam

ſiam conſuleretur : tum ut improbis & frequentibus Eccleſiaſticorum Africæ perfugiis & vitilitigationibus obviam iretur : quod certe initio Epiſtolæ Synodalis ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem, ubi de cauſa Apiarii ſcribunt, ita declarant : *Quia vero paci & quieti Eccleſiæ non tantum ad præſens, ſed etiam in poſterum proſpiciendum fuit : quoniam talia multa præceſſerunt, ut vel ſimilia vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret*, &c. Quod Africanorum ſalutare propoſitum, non potuit tamen ſic verſutiæ & levitati ingeniorum Africæ mederi, quin protervi homines omnia juris communis & diſciplinæ Apoſtolicæ repagula effringerent : & Curia Romana undequaque poſſet, ſua jura commentitia adſtrueret. Horum autem effugiorum exempla Baronius, Bellarminus, & alii recentiores diligenter accumulant & Titulo Appellationis fruſtra cohoneſtant : cum id potius ad viam facti quam ad quæſtionem juris pertineat : nec aliud habeat fundamentum quam Petrum conſtitutum fuiſſe à Chriſto, abſolutum infallibilem monarcham Eccleſiæ, quod tam falſum quam quod falſiſſimum eſt.

Compendium hujus controverſiæ in ſexto Carthaginenſi Concilio definitæ, in quo S. Auguſtinus legatus erat provinciæ Numidiæ, ad ſex articulos revocabimus : Primus eſt, Nicænis Canonibus conſignari praxim diſciplinæ apoſtolicæ ubique gentium & locorum ob-

obſervatæ: Secundus, eoſdem Canones Nicænos manifeſto demonſtrare, Eccleſias jure communi & ariſtocratico regimine, non abſoluta poteſtate gubernari oportere: quoniam Dominus voluit hominum ſalutem quæ à Paſtorum regimine pendet, unicuique Provinciæ eſſe ad manum & ſine magnis laboribus & ſumptibus peragi, neque eam ob cauſam huc aut illuc circumcurſari: quod enim abſolute neceſſarium, hoc etiam cuique promptum atque expeditum eſſe Deus & natura voluit: Tertius, Patres Nicænos non plures quam XX Canones pro diſciplina & regimine Eccleſiæ ordinanda ſciviſſe: Quartus, Canones Sardicos nunquam habitos pro abſolutis, œcumenicis, aut pro Canonum Nicænorum Appendice. Quintus, Patres Africanæ Eccleſiæ in ſexta Synodo Carthaginenſi veram & genuinam interpretationem ac praxim Canonum Nicænorum & diſciplinæ apoſtolicæ nobis reſerare, atque oſtendere, omnia judicia, quæ contra jus commune Canonibus conſecratum quæruntur aut procedunt, eſſe vitilitigationes atque improba effugia; neque ullo modo Appellationis nomine donanda. Sexto & ultimo, ex hac hiſtoria Carthaginenſis Concilii adverſus Zoſimi Papæ, Bonifacii & Cœleſtini I. commonitorium colligimus, nobiliſſimum atque præclariſſimum tentatæ & vindicatæ libertatis Eccleſiæ monimentum contra fautores abſolutæ monarchiæ.

XIX. Cæterum monendus lector, Epistolam Bonifacii II ad Eulalium quæ Tomo secundo Conciliorum legitur, esse prorsus fictitiam: siquidem narrat Africanam Ecclesiam à tempore sexti Concilii Carthaginensis ad Bonifacium II. hoc est centum annorum lapsu cum Romana Ecclesia matrice non communicasse propter Zosimi commonitorium & alia inde sequuta. Quam falsitatem epistola octava Cœlestini Papa ad Episcopos Galliæ prodit: in qua Cœlestinus B. Augustinum adversus quosdam presbyteros Galliæ tuetur, qui dicebant Augustini doctrinam de Libero arbitrio minus sanam esse, quoniam viribus humanæ libertatis nimium detraheret. Contra autem sic rescribit Cœlestinus: *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis* IN NOSTRA COMMUNIONE SEMPER HABUIMUS: *nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ olim scientiæ fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori*, &c. Sed dato & non concesso, Epistolam memoratam Bonifacii II ad Eulalium veram, non suppositiam esse; hoc est, Romanam Ecclesiam desiisse communicare cum Africana, propterea quod hæc libertatem canonicam suarum Ecclesiarum & jus commune strenue & cum moderatione inculpatæ tutelæ propugnasset: attamen

men ejuſmodi excommunicatio nihilo magis officere potuit cauſæ & religioni Patrum Africanorum quam cenſuræ Victoris Papæ Epheſinæ; aut Joannis VIII S. Ignatio Patriarchæ Conſtantinopolitano : qui auctore Baronio Tomo x Annalium claruit miraculis quamquam à Joanne VIII excommunicatus fuiſſet. Certe Patres Africani longe æquiorum cauſam obſiſtendi Zoſimo habebant, quam Epheſina Eccleſia Victori, aut Ignatius Joanni VIII. Illi enim pro jure communi & diſciplina apoſtolica lege divina & Nicænis Canonibus conſecrata, nec non etiam moribus & conſuetudine omnium Gentium ſtabilita(hoc eſt pro Eccleſiæ libertate & ariſtocratico regimine inſtituto à Chriſto :) Epheſina autem Eccleſia tantum pro Paſchæ celebratione ſecundum morem Judaicum,& Ignatius de Provincia Bulgariæ quam Romanus Pontifex ſuo Patriarchatui adjungere volebat,decertabant: verum hinc patet, illis ſeculis Eccleſiam Romanam ſumptam fuiſſe pro particulari, non pro univerſali Eccleſia : quoniam tum temporis non idem erat Romana & Catholica communione excludi, ut hodie poſt adinventam abſolutam Papæ monarchiam : quæ innumeris ſchiſmatibus cauſam præbet, deincepſque præbebit, quia contra jus divinum & naturale regnare vult. Hinc illæ querelæ S. Bernardi ad Eugenium lib. II de Conſideratione cap. 5. ex recenſione Gerardi Voſſii : *alioqui*

non

non te exceptum illorum numero putes de quibus queritur Deus sic : Ipsi regnaverunt & non ex me : Principes extiterunt , & ego non cognovi eos , Oseæ 8. jam si regnare sine Deo juvat, habes gloriam, sed non apud Deum.

CAPUT VII.

I. *Historia primæ Synodi Ephesinæ, & de iis quæ à B. Cyrillo Alexandrino & Cælestino PP. ante generale Concilium Ephesinum gesta sunt.*

II. *Theodosius Junior & Valentinianus Imperatores literis suis Concilium omnibus Metropolitanis indicunt : atque privatim literas increpatorias mittunt ad B. Cyrillum, propterea quod literas scripsisset ad Imperatrices, quibus Imperatorem Theodosium quasi Nestorio faveret, insimulabat.*

III. *Imperatores Candidianum Comitem mittunt ad Synodum Ephesinam, ut ordini & quieti Concilii præsideat.*

IV. *Patres Ephesini Synodum exordiuntur à lectione Edicti Imperatorum super indictione Concilii, ut tanquam fax rebus agendis præluceret.*

V. *B. Cyrillum Alexandrinum præfuisse Concilio, atque ordine sedendi & subscribendi legatos Cælestini præivisse.*

VI. *S. Cyrillum & Memnonem Ephesinum vocari capita, duces & præsides Synodi.*

VII. *Patres Ephesini communi omnium sententia quæ ad religionem pertinent, statuunt, Nestoriumque damnant.*

VIII. *De recta ratione definiendi controversias ad fidem & religionem spectantes à Patribus Ephesinis præscripta & servata.*

IX. *Acta Synodi Ephesinæ à Theodoro Peltano edita minime concordare actis Romanæ editionis: & quænam illorum magis conformia sint moribus & disciplinæ illorum temporum.*

X. *Patres Ephesini petunt ab Imperatoribus ut Synodum solvant, & Episcopis veniam discendi concedant.*

XI. *Expostulatio Cyrilli Alexandrini & Memnonis Ephesini Episcopi adversus Joannis Antiocheni Conciliabulum & acta in eodem Conciliabulo.*

XII. Im-

XII. *Imperatores vetant Patres Ephesinos pedem efferre Synodo priusquam omni contentione seclusa controversias definierint: neque etiam alia lege se Synodum confirmaturos dicunt.*

XIII. *Literæ Patrum Ephesinorum quibus Imperatorem de veritate gestorum & innocentia B. Cyrilli & Memnonis reddunt certiorem, atque Joannem Antiochenum & Nestorium synodice & canonice damnatos.*

XIV. *Epistola Synodica Patrum Ephesinorum ad Cœlestinum PP. quibus ei summam Actorum enarrant: illiusque decreta adversus Pelagianos auctorant, & demum illum rogant ut memor sit Synodi in suis orationibus.*

XV. *Patres aliis literis supplices petunt ab Imperatoribus ut quæ per subreptionem facta fuerant à Joanne Antiocheno adversus Cyrillum & Memnonem, omnino antiquentur, & acta Synodi Ephesinæ confirmentur, quando testimonium rectæ fidei habent ab universa Synodo Occidentalium.*

XVI. *Canon Synodi Ephesinæ pro Ecclesiarum libertatibus.*

XVII. *Theodosius Cæsar pacis constituendæ gratia inter Ecclesiasticos, imperat Joanni Antiocheno ut cum Cyrillo Alexandrino redeat in gratiam: atque etiam omnia acta Conciliabuli in Cyrillum & Memnonem, nec non etiam Synodi Ephesinæ in Joannem Antiochenum & asseclas abrogat.*

XVIII *De summa pietate Theodosii & solicitudine ut Ecclesia pace frueretur.*

I. VEntum est ad Concilia, quorum acta integra habemus, ex quibus licet de antecedentibus ferre judicium & cognoscere vere quidem dictum à Socrate, ut jam supra notavi, *ex eo tempore quo Imperatores Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa: atque adeo maxima Concilia de eorumdem sententia & convocata fuisse, & adhuc convocari*: in procemio libri v. historiæ. Porro, tertium generale Concilium vocatur Ephesinum,

num, quia celebratum est Ephesi : quatuor exempla Actorum ejusdem habemus; primum debetur Antonio Contio doctissimo Jurisconsulto & Antecessori in Academia Bituricensi, quod Sebastianus Nivellius edidit Parisiis, anno 1574. Secundum exemplum est Theodori Peltani presbyteri Societatis Jesu, editum Ingolstadii anno 1576. quod Severinus Binius integrum in suam collectionem Conciliorum conjecit : estque distributum in sex Tomos, quorum priore referuntur quæ ante Synodum Ephesinam gesta sunt contra Nestorium : secundo Tomo acta Synodi Ephesinæ in illum : tertio fabricæ & machinationes hæreticorum atque schismaticorum contra sacram Synodum & B. Cyrillum : quarto gesta ejusdem Synodi adversum schismaticos: quinto explicantur ea quibus ventum est ad Ecclesiæ concordiam, & conciliationem Cyrilli Alexandrini cum Joanne Patriarcha Antiocheno : siquidem Theodosius Augustus utrique pacem & concordiam absolute imperavit: demum posteriore Tomo continentur quædam orationes & tractatus adversus errorem Nestorii. Tertium exemplum est Hieronymi Commelini Græce editum anno 1591. Quartum editionis Romanæ Conciliorum anno 1608. dividiturque in tres partes. Prima ea continet quæ Synodum Ephesinam antecesserunt : altera quæ in Concilio acta sunt & gesta Conciliabuli Joannis Antiocheni adversus

Cyrillum Alexandrinum: tertia nonnulla capit ad Concilium ſpectantia, & alia quæ poſt Concilium geſta ſunt. Porro hæc Synodus celebrata eſt anno 431 adverſus Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolitanum: occaſione inde nata, quod quidam presbyter Conſtantinopolitanus nomine *Anaſtaſius doceret B. Virginem Deiparam vocandam non eſſe cum homo fuerit, & ab homine Deus naſci non poſſit*. Neſtorius vero cauſam hujus presbyteri tanquam orthodoxam defendendam ſumpſerit: imo etiam multa impia de ſuo contra Chriſti divinitatem effuderit: *negans Deum natum, crucifixum, aut mortuum eſſe, aut naſci vel mori potuiſſe*: qua aſſertione fructum totius redemptionis humanæ peſſumbabat. Hujus autem rei certior factus Cyrillus Alexandrinus amice literas ſcripſit ad Neſtorium, quibus eum erroris ſui charitate ſervato commonefaciebat: contra Neſtorius Cyrillo virulenter reſpondit: cumque Cyrillus alteram epiſtolam non meliori eventu ad Neſtorium ſcripſiſſet, neque præter convitia quicquam aliud acciperet: tandem ſua Synodo provinciali indicta exhibitiſque literis Neſtorii, refertis ejuſdem aſſertionibus hæreticis, Cyrillus cum Epiſcopis ſuffraganeis hæreſim Neſtorii damnat, & ad ampliorem ſanctorum communionem aut Catholicum conſenſum provocando, Cœleſtinum Papam cæteroſque Patriachas nec non Imperatores atq; ipſas Imperatrices in Neſto-

rium

rium exciretentat. Quo accepto nuntio, Cœlestinus PP. Synodum pariter Romæ cogit, in qua Nestorii errorem damnavit: atque insuper Nestorio significat, nisi intra decem dierum spatium à sententia Synodi Romanæ ei perspecta & cognita resipisceret, fore ut communione Ecclesiæ Catholicæ atque omni auctoritate sacerdotali abdicaretur: mandatque Cælestinus Cyrillo, ut hanc suam sententiam exequutioni mandari curet. Lege epistolam Cœlestini ad clerum & populum Constantinopolitanum Tomo primo Conciliorum Romæ editorum parte prima Ephesini Concilii capite 19. Severinum Binium, Tomo primo Ephesini Concilii cap. 19. Verum his motibus perciti Imperatores, Valentinianus qui Occidenti, & Theodosius Junior qui Orienti imperabat, suis literis Concilium generale indicunt Ephesi: in eumque finem literas ad omnes Patriarchas & Metropolitanos mittunt: quarum literarum hic adscribam exempla.

II. *Imperatores Cæsares Theodosius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, semper Augusti, Cyrillo Episcopo. Pietate quidem nihil nobis est antiquius propter quam si qui forte incautius deliquerunt, venia dignos censemus. At parum interim laudabile est, illos ea indigere, qui propter summam religionem plurimum à nobis commendari, maximisque honoribus cumulari debuerant. Oportet autem sacerdotes cum morum suavitate, fidei-*

que

que integritate inprimis ornatos esse: tum maxime animi candorem ac sinceritatem per omnem vitæ cursum præ se ferre: ac certo denique secum statuere uniuscujusque rei naturam, potissimum vero incorruptæ pietatis doctrinam sedulo investigandi studio facilius, quam pertinaci animorum contentione inveniri. Etenim jam inde à primis usque temporibus, non imperantis cujuspiam, aut certe Imperium usurpantis interminationes, aut protervia, sed Sanctorum Patrum sacrarumque Synodorum decreta eam nobis constituerunt. Nam religionem prudentia, & consilio, magis quam cujuspiam imperio firmari, nulli opinor dubium esse potest. Nunc igitur tua pietas exponat, quid ita nobis, quibus religionem tantopere curæ esse non ignorabas, contemptis, sacerdotibusque, quotquot circumquaque degunt (quos utique in unum locum congregatos, natam de religione controversiam discutere dirimereq; par erat) despectis, hosce turbas discordiasque inter Ecclesias concitaris. Quasi vero impietas temerarii, pietatis doctrinam magis quam sedula diligensque veritatis inquisitio decere videatur: plusque apud nos valeat versutia & audacia quam cura aut industria: aut aliud quidpiam hujusmodi, magis nos quam animi candor ac simplicitas oblectet. Quamvis ergo honorem non usque adeo magnum inde ad nos accessurum existimemus, si à tua pietate observemur, nec omnia rursum turbatum iri, si quod hic indignationis exemplum in te velimus edere: attamen hoc tempore magis nobis curæ est, ut sancta pax, exoptataque tranquillitas Ecclesiis restituatur. Scito in-

interim, magnam abs te rerum perturbationem excitatam esse: neque mirum est sane, eum qui modum excessit, iis conatus suos non definiisse, quæ ad Ecclesias & sacerdotes spectant: sed ultra progressum de nobis ipsis quoque quiddam pietate nostra prorsus indignum credidisse. Nam nisi aliquod inter nos de religione dissidium ortum esse persuasum habuisses, aut certe aliquid ejusmodi ex literis tuis oriturum sperasses: cur obsecro alia privatim ad nos, alia rursum ad Eudoxiam religiosissimam conjugem meam: alia tandem ad Pulcheriam sororem meam Augustam, eandemq; pietatis studiosissimam præscripsisses? Quod profecto dissidium si inter nos forte natum fuisset, nosq; ad eum modum affectos esse contigisset: omnino tamen vituperationem effugere non poterat, eum, qui tanto locorum intervallo à nobis disjungitur, curiosius in res nostras inquirere: si id autem inter nos non existit, conari ut existat, cujusvis potius quam sacerdotis fuerit. Quid enim indignius quam uno impetu unoque animi conatu Ecclesiastica & Regia omnia velle confundere, ac à se invicem divellere? quasi vero alia omnis desit occasio ex qua laudem & gloriam aucuperis.

Ne igitur clam te sit, quonam in statu res nostræ versentur, noris Ecclesias, & Regnum nostrũ conjuncta esse: nostraque accedente auctoritate & imperio, & Christi salvatoris nostri aspirante providentia, magis subinde inter se coitura esse: tum tibi quoque à nobis condonatum esse, ne hinc capta occasione jure conqueri ac dicere queas, te ob pietatis doctrinam in reprehensionem incidere. Quam quidem pietatis

doctrinam IN SACRA SYNODO IN UTRAMQUE PARTEM VENTILATAM, *eatenus obtinere volumus, quatenus æquitati & rationi consentaneum esse judicabitur. At vero sive illi qui victi discedent, veniam impetraturi sint à Patribus, sive non: nos sane civitates simul & Ecclesias conturbari nequaquam sinemus: sed nec eam quoque doctrinam indiscussam manere patiemur: cui dijudicandæ eos præfici oportet, qui sacerdotiis ubique præsident: per quos & nos quoque in veritatis sententia stabilimur, magis magisque identidem stabiliemur. Omnino autem nemo qui vel aliqua ex parte ad rempublicam pertinet, qualicumque fiducia fretus, inconsultius quidpiam in hoc negotio tentet aut impedire studeat: aliqui enim certam condemnationis sententiam non evadet. Quandoquidem nostra majestate eos qui prompte alacriterque ad hujusmodi inquisitionem advolare non cunctabuntur, merita laude prosequente;* CÆTEROSQUE QUI IMPERARE FORTE MALLENT QUAM IN MEDIUM CONSULERE, *aut aliorum de ejusmodi rebus consilium audire coercente, nulli omnino, ut maxime velit, integrum istud erit. Quamobrem & tuam quoque reverentiam ad tempus quod aliis literis ad universos Metropolitanos missis ediximus, præsto adesse oportebit: neque prius nostram amicitiam te recuperaturum confidas, quam omni turbatione & animorum ægritudine sedata, ad propositarum quæstionum discussionem ultro accurreris. Hac enim ratione quæ pro tuenda opinione acerbe inconsulte-*

sulteque abs te jam gesta sunt, neque privato dolore perculsus, neque alicui præter decorum infestus admisisse, & quæ adhuc reliqua sunt, legitime transigere velle censeberis. Si quid autem secus visum fuerit, id nequaquam sustinebimus.

Hæ literæ increpatoriæ Theodosii Imperatoris privatim scriptæ & missæ sunt ad B. Cyrillum Alexandrinum: sequentes vero eidem Cyrillo cum omnibus aliis Patriarchis & Metropolitis communes sunt, ne quidem Romano excepto: quamquam tamen inscriptio sit ad Cyrillum Alexandrinum, hoc modo:

Sacra Imperatoria missa Alexandriam ad Cyrillum Episcopos Metropolitanos ejus Regionis.

Imperatores, Cæsares Theodosius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, semper Augusti, Cyrillo Episcopo. Reipublicæ nostræ constitutio ea quæ in Deum est pietate præcipue nititur: multaque inter hanc & illam cognatio ac familiaritas intercedere solet. Nam & ex se invicem pendent: & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit: quandoquidem & vera religio justa actione perficitur: ita Respublica utriusque ope nixa florescit. Cum itaque Deus imperii habenas nobis tradiderit, iisque qui imperio nostro parent, pietatis & securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit: harum inter se societatem, partim quidem privata nostra providentia freti, partim quoque humano præsidio usi, indivulsam perpetuo conservare enixe contendimus: ad eumque modum promovendæ pietati propter Reipublicæ salutem incumbimus,

bimus, ut in omnibus fere subditorum nostrorum commodo intenti, unum hoc perpetuo urgeamus, contendamusq; sedulo, ut pie religioseq; privatim vivant omnes, & ut pios decet in Republica versentur universi. Denique utrique quam par est curam impendere non desistimus, fieri enim vix potest, ut qui alteri serio invigilant, alterius curam negligant. Ante omnia autem id operam damus, ut Ecclesiasticus status ejusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quammaxime congruat: idemque ex omnium consensione suam tranquillitatem obtineat, tum per Ecclesiasticarum Controversiarum pacem à turbis & seditionibus liber existat: tum demum ut pia religio ab omni omnino nota & reprehensione immunis perseveret: eorumque vita qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsus nævo & culpa vacet. Quia vero intelligebamus, cum per eos qui Deum diligunt, pietatique addicti sunt, tum per animos rursum pietatis studiosos hæc obtineri posse: sæpenumero jam ante ob ea quæ accidunt religiosam sanctissimorum Episcoporum undequaque in unum coactorum Synodum necessariam judicavimus: hactenus tamen ne eorum pietati molestiam exhiberemus, cunctatiores hac in re fuimus. At nunc vero tam Ecclesiasticarum, quam, quæ hisce cohærent, publicarum rerum controversia eam usque adeo utilem ac necessariam declarat, ut refutari nullo modo queat. Quamobrem ne illa quæ ad præsentem rerum tantopere utilium inquisitionem spectant, si negligentius curentur, in pejus incrementa sumant

(id

(idquod à temporum nostrorum pietate alienum esse decet) tua pietas Deo bene propitio operam dabit, ut sacrosancto proximo Paschate elapso, sub sacræ Pentecostes diem, ad Ephesiorum Asiæ civitatem accurrat: nonnullosque, quos nimirum idoneos judicabit sanctissimos provinciæ suæ Episcopos simul eodem secum adducat: ita ut neque necessarii sanctissimis ejusdem provinciæ Ecclesiis desint, neque ii rursum qui ad eam rem apti censebuntur in sacra Synodo desiderentur. De indicta autem sanctissima Synodo, nostra Serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit: quo nimirum hac tandem ratione turbæ, quæ ex multis dissidiis & concertationibus hinc inde enatæ sunt, rite secundum Ecclesiast. Canones consopiantur: & illa præterea quæ parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur: & pietatis denique quæ in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur. Cæterum ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejusdem quæ de omnibus dabitur sententiam, nihil quidquam in ulla prorsus re privatim à quoquam innovetur. Omnino autem persuasum habemus, neminem ex piissimis Deoque devotissimis Episcopis fore, qui simulatque rerum Ecclasiastic. causa, atque adeo controversiarum totius orbis gratia nostra hac sanctione, sanctissimam Synodum cogi intellexerit, non propere studioseque occursurus, rebusque tantopere necessariis ac Deo usque adeo gratis pro virili consulturus sit. Nos quoque harum curæ sedulo incumbentes, nullum impune abesse sinemus: nec ullam ille vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus est

excusationem, qui statim impigre secundum præfinitum tempus ad destinatum locum præsto non fuerit. Enimvero quicumque ad sacerdotalem Synodum accitus alacriter non accurrit, is sane conscientiæ parum sincera se esse ostendit. Deus in multa tempora incolumem te conservet, sanctissime piissimeque Pater. Datæ Constantinopoli 13 Kal. Decembris consulatu Dominorum nostrorum semper Augustorum Theodosii quidem XIII *Valentiniani vero* III.

Has geminas literas Imperatorum leges in Collectione Severini Binii Tomo priore Actorum Ephesinæ Synodi cap. 7. & 25. At in editione Romana, prima parte Ephesini Concilii cap. 31 & 33. Quod ad priorem increpatoriam ad B. Cyrillum, hæc notabilia capit: Primum quod missa & scripta videatur cum posteriore, ita ut uno & eodem die datæ credantur. Hoc enim non obscure colligitur, eo ipso, quod Imperatores Cyrillo injungunt ut præsto adsit ad Synodum habendam tempore præscripto in literis secundis ad universos Metropolitas missis. Secundum notabile est; Cæsares ideo reprehendere Cyrillum quasi Cœlestinum Papam exstimulasset ad citissime damnandum Nestorium antequam auditus fuisset: nam Cœlestinus Nestorio decem dierũ spatium præfixerat, quo nisi resipisceret, confestim abdicaretur, ut supra monui. Hoc igitur Imperatores directe in Cyrillo reprehendunt, atque etiam per ejusdem latus Cœlestinum,

ſtinum, acſi potius monarchice quam ſynodice Neſtorium condemnaſſent, feriunt his verbis: *Etenim jam inde à primis uſque temporibus non imperantis cujuſpiam, aut certe imperium uſurpantis interminationes aut protervia, ſed ſanctorum Patrum, ſacrarumque Synodorum decreta pietatis doctrinam nobis conſtituerunt. Nam religionem prudentia & conſilio magis quam cujuſquam imperio firmari nulli opinor dubium eſſe poteſt Nunc igitur tua pietas exponat, quid ita nobis quibus religionem tantopere curæ eſſe non ignorabas contemptis: ſacerdotibuſque, quotque circumquaque degunt (quos utique in unum locum coactos natam de religione controverſiam diſcutere dirimereque par erat) deſpectis, haſce turbas diſcordiaſque inter Eccleſias concitaris?* &c. Quibus verbis oſtenditur ſententiam de Neſtorii abdicatione à Cœleſtino PP. contra morem à Patribus ſervatum in erroribus Arrii atque Macedonii damnandis latam eſſe? Siquidem optimi & prudentiſſimi Imperatores apprime cernebant, ſi error Neſtorii illo inaudito extra Synodum generalem *quaſi præjudicio quodam*, ut alibi loquuntur, damnaretur, non ſublatum ſed exacerbatum iri: tum quia veritas permultis nondum innotuiſſet: tum etiam quia Neſtorius multos haberet ſequaces: adeo ut poſtea in quinta Synodo generali opus fuerit fibras hujus erroris exſtirpare: ſic enim ad hominum ſuperbiam domandam & erudiendos homines ad humilitatem Deo Eccle-
ſiam

ſiam ſuam exercere placuit, *ne in conſpectu ejus glorietur omnis caro*. Quocirca, Principes optimi jure morem majorum ſervari imperant : idque niſi feciſſent jam ab illis temporibus Eccleſia continuis ſchiſmatibus laniata ad paucos redacta fuiſſet ut hodie : neque ullas Synodos ſaltem generales habuiſſemus : quibus ſublatis, provinciales quoque celebrari deſierunt, & jus commune omnino ceſſavit. Itaque non fuit ſatis hæreſim Neſtorii damnare, niſi caveretur ne Eccleſia ex ejus damnatione plus mali quam utilitatis emeteret : quod certe contigiſſet ſi extra Synodum generalem liberam damnata fuiſſet. Hæc igitur prima eſt cauſa cur Imperatores Cyrillum increpent. Altera quod ſcripſiſſe videretur ad Imperatrices de Imperatoribus quaſi cauſæ Neſtorii faverent : id enim hæc ſubindicant : *Nam niſi aliquod inter nos de religione diſſidium ortum eſſe perſuaſum habuiſſes, aut certe aliquid ejuſmodi ex literis tuis oriturum ſperaſſes, cur obſecro alia privatim ad nos, alia rurſum ad Eudoxiam*, &c. Quæ etiam confirmantur apologetico quem poſt Synodum Epheſinam ſcripſit Cyrillus & miſit ad Theodoſium Imperatorem ei veniam deprecans, Tertia parte Conciliorum Romanorum cap. 13. & apud Binium Tomo...... capite...... Et hoc erit tertium notabile. Quartum autem, quod cura Eccleſiæ ſpectet ad Principem politicum *quoniam Eccleſia in republica tanquam in thala-*

thalamo & domicilio habitat : quod ipſum amplius tractat altera epiſtola ad omnes Metropolitas. Quinto clare docent, *pietatis doctrinam debere in utramque partem in ſacra Synodo diſcuti, eique dejudicandæ illos præfici oportere, qui ubivis gentium Sacerdotiis præſident* : *per quos*, inquiunt, *& nos quoque in veritatis ſententia ſtabilimur, magiſque identidem ſtabiliemur.* Quæ oratio demonſtrat illo tempore infallibilem Papæ monarchiam fuiſſe incognitam. Et hæc de epiſtola increpatoria ad S. Cyrillum, cui ferme idem adverſus Neſtorianos quod olim B. Athanaſio contra Arrianos contigit : nempe ut in invidiam traheretur apud Cæſares : ſed demum veritas, quæ à tempore laborare ſolet, cum magna Cyrilli laude & gloria evicit.

Venio ad analyſim alterius epiſtolæ, quæ primum docet, *Cæſares tum curam Eccleſiaſticæ diſciplinæ habuiſſe, ut ſtatus eccleſiaſticus ejuſmodi eſſet, qui & Deum deceret, & temporibus principum quam maxime congrueret, atque ex omnium concordia & conſenſione ſuam tranquillitatem obtineret*, &c. Hercle Imperatores tanquam juris Divini, Naturalis, & Canonici vindices atque Eccleſiarum Protectores hac fruuntur poteſtate : idque *Magnus Conſtantinus vocabat eſſe communem Epiſcopum rerum exteriorum*, ut alias docuimus. Secundo hinc diſcimus moris fuiſſe in primitiva Eccleſia, ſtatim atque Imperatores reſcirent ab Eccleſiaſticis opus eſſe

Con-

Concilio generali, illud suis literis indicere, convocare, congregare, aut cogere consuevisse: quæ omnia accumulare cogor propter Vallii nugamenta, de quibus supra cap. 2. in historia Synodi Nicænæ. Nam eo spectant hæc concepta vocabula: *De indicta autem sanctissima Synodo, nostra Serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit* Quæ literæ quamquam legantur cum inscriptione ad Cyrillum Alexandrinum actione prima hujus Concilii, nihilominus id factum est quia Cyrillus præsidebat Synodo: unde literis ejus perlectis, omnium quoque aliorum Metropolitanorum literæ una pro recitatis habebantur: quia omnes ejusdem erant, non modo argumenti, verum etiam & exempli. Hercle Cœlestinus Papa epistola ad Theodosium Imperatorem de Synodi indictione & convocatione sic Imperatorem alloquitur: *Sed huic cœlesti curæ vel gloriæ unusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram, in quantum valemus, impendimus: & huic Synodo* QUAM ESSE JUSSISTIS, *nostram præsentiam in his quos misimus exhibemus: pietatemque vestram sub divini obsecrantes obtestatione judicii ne quid turbidæ novitati licere vestra mansuetudo permittat.* Audis Cœlestinum fateri *Imperatorem jussisse Synodum haberi*, cujus epistolam leges parte secunda actione secunda Ephesini Concilii Romanæ editionis, sub finem. His & accedit epistola Capreoli Episcopi Carthaginensis ad Synodum

dum Ephesinam qua declarat Theodosium misisse literas in Africam ad sanctum Augustinum pro Concilii Ephesini indictione, atque inter alia flagitasse præsentiam. S. Augustini, qui nuper vita functus erat. Qua in epistola nulla fit mentio Cœlestinum PP. indixisse Synodum Ephesinam Episcopis Africæ: quamquam tamen Africa subdita esset Patriarchatui Romano. Equidem quando in secunda Synodo Ephesina, in Chalcedonensi sexto, septimo, & octavo Concilio Generalibus literas Imperatorum ad Romanum Pontificem pro illorum conciliorum indictione legimus, ut propriis locis ostendetur; non ambigendum est, quin etiam Cœlestinus literas pro ea re acceperit ab Imperatoribus, ejusdem exempli : cum literæ Cæsarum pro Synodi Ephesinæ convocatione nominatim perhibeant, *ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas missas fuisse*. Euagrius lib. I. capite 3. *Literæ Imperatoris erant ad Cyrillum & ad alios omnes ubique sanctarum Ecclesiarum præsides missæ, quæ diem pentecostes conventui præstituerunt.* Tertio, ubi Imperatores sic Metropolitanos evocarant, hi consueverant habere delectu Episcopos sibi suffraganeos cum sacerdotibus atque aliis personis ad Synodum idoneis, quibusdam relictis qui divina officia peragerent in Provinciis & sacramenta populo administrarent; verum paulo ante observavi, Theodosium nominatim scripsisse

psisse ad S. Augustinum, & petiisse ut Synodo Ephesinæ interesset: idque ostendit quanta ubique terrarum de vita & doctrina S. Augustini fama percrebuisset Quarto dignoscimus, Imperatores tempus certum, puta diem sacrum Pentecostes habendo Concilio præfixisse: idque proprie est Synodum indicere, ut cap. 2. observavimus. Quinto edicitur ut turbæ quæ ex multis dissidiis & concertationibus hinc inde natæ sunt, rite secundum Ecclesiasticos Canones definiantur & sopiantur, atque pietatis publicæque utilitatis firmitati consulatur: & ita patet nihil loci relictum absolutæ monarchiæ, aut iis *qui imperare mallent, quam in medium consulere, aut aliorum de ejusmodi rebus consilium audire*: ut loquitur Cæsar epistola increpatoria ad Cyrillum. Sexto prohibent ne ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejusdem sententiam super enatis controversiis, aliquid à quopiam ulla in re privatim à quoquam innovetur. Undecimo Imperatores sic parere detrectantibus interminantur *Nos quoque harum rerum curæ sedulo incumbentes nullum impune à Synodo abesse sinemus: nec ullam ille vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus est excusationem: qui statim impigre secundum præfinitum tempus ad destinatum locum præsto non fuerit.* Quare initio primæ actionis, ego hic perpetuo sequar editionem Romanam. Episcopi petunt, quot dies elapsi sint à die sacro Pentecostes, quem Imperatores

res præſcripſerant: ac Memnon Epheſinus Epiſcopus reſpondet, ſexdecim decurriſſe. Et hinc claret quantum olim Imperatores poteſtatem haberent in negotiis Eccleſiaſticis & Conciliis ordinandis : adeo ut omnia ab illorum nutu, quoad ordinem agendi, penderent: contra autem hic exiguam partem Epiſcopi Romani obtinebant. Verum hæc Theodoſii interminatio non abſimilis eſt ei quam Conſtantinus Magnus miſit Patribus Concilii Tyrenſis apud Euſebium lib. IV. Vitæ Conſtantini, cap. 42. ubi enim optimus Princeps reſcivit magnas tempeſtates ſubortas in Ægypto, ſtatim Synodum haberi imperavit: atque Epiſcopis Tyri congregatis hanc epiſtolam, tanquam communis Epiſcopus exteriorum negotiorum, hoc eſt Juris Divini, Naturalis & Canonici vindex ſcripſit : *Erat fortaſſe conſentaneum & ad præſentis temporis opportunitatem maxime accommodatum, carere omni contentione Eccleſiam Catholicam, & Chriſti ſervos ab omnibus rixis ſolutos ac liberos eſſe. Sed quoniam nonnulli ſcelerata cujuſdam contentionis furore incicati, ac (ne quid gravius dicam) vitam ſua profeſſione indignam agentes, omnia turbare ac miſcere conati ſunt : quod ſcelus ſupra omnem calamitatem mihi ſane poſitum eſſe videtur; propterea vos veſtra, ut eſt in proverbio, ſponte currentes, hortor, ut nulla interpoſita mora, ſed omni qua poſſitis celeritate in unum locum confluentes Synodum inſtituatis, & egentibus opem feratis, in periculo poſitis fratribus*

medicinam adhibeatis : divulsa membra ad consensionem revocetis : errata omnia interea emendetis, dum ipsum tempus ferat : ut hisce tantis provinciis quæ maxime decet, concordiam restituatis, quam, ô futiles ineptias! paucorum hominum delevit arrogantia. Nam hoc & Deo totius hujus universitatis Domino gratum, & nobis quavis re vel optatissima magis jucundum, & vobis ipsis, si concordiam & pacem revocaveritis, magnæ gloriæ, vel omnium mortalium judicio consensuque futurum plane arbitror. Nolite igitur cunctari, sed acerrimo studio his quibus decet terminis præsentes controversias definite : utpote qui cum omni puritate & fide coivistis : quam in omni cœtu prope clarissima voce Servator noster, cui servimus, in primis flagitat. Nihil vero, quod est nostrarum partium nostræque prudentiæ, deerit. Nam quæ literis mihi vestris significastis, omnia curavi : scripsi ad quos volebatis Episcopos, ut vestras curas & solicitudines præsentia & laboribus suis adjuvarent. Misi etiam Dionysium consularem, ut omnium rerum gerendarum eos admoneat, qui vestræ Synodo adesse debent : maxime vero ut idem animadversor sit & custos conservandæ æquabilitatis & ordinis. Quod si quis, quod equidem non futurum arbitror, rejecto & spreto mandato nostro adesse noluerit; delegabimus aliquem qui regia illum auctoritate in exilium ejectum, docebit, hominem minime decere summi Imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem editis repugnare. De cætero vestræ sanctitatis partes sunt, non odio, non gratia ulla, sed consentientibus

stu-

studiis secundum ecclesiasticam & apostolicam regulam omnibus erratis errore aliquo admissis propriam curationem adhibere: ut & omni aliena contumelia Ecclesiam liberetis, & meas curas allevetis, & rebus turbatis per vos constitutis, maximam vobis ipsis gloriam comparetis. Deus vos conservet fratres dilecti. Hæc Constantinus Magnus piissimusque Imperator, clare ostendens quanta Principes præditi sint potestate ad disciplinæ & pacis ecclesiasticæ vindicias. Sed forsan aliquis opponet S. Athanasium multa de hac Synode Tyrensi quam Constantinus indixit conqueri apologia secunda: verum rependam hæc ad quæstionem facti spectare: & quæ in hac Synodo adversus Athanasium patrata sunt, nihilo magis Constantino aut ejus sancto proposito adscribi posse quam Theodosio & Valentiniano Imperatoribus quæ Joannes Antiochenus adversus S Cyrillum in hac Synodo Ephesina gessit : maxime vero, quod Constantinus nominatim petat ab Episcopis *ut egentibus opem ferant, fratribus positis in periculo medicinam adhibeant, divulsa membra ad consensionem revocent; errata omnia emendent, concordiam restituant: non gratia ulla sed consentientibus studiis secundum ecclesiasticam & apostolicam regulam omnibus erratis errore aliquo admissis propriam curationem adhibeant, & omni aliena contumelia Ecclesiam liberent*, &c. Quid obsecro amplius ab optimo Principe & communi Episcopo Christianorum desiderari poterat?

rat? Quanto enim cum ſtomacho hæc pertulerit, atque Euſebianorum factionibus adverſus S.Athanaſium quam ſtudioſe mederi voluerit, liquet ex ejuſdem Conſtantini Magni epiſtola quæ legitur in fine Apologiæ ſecundæ Athanaſii his concepta verbis: *Victor Conſtantinus Magnus, Auguſtus. Ego ignoro quid ſibi velint iſta quæ à veſtra Synodo Tyrenſi per tumultum & tempeſtatem judicata ſunt. Mihi ſane videtur neſcio quo pacto veritas per immodeſtiam opprimi: dum per veſtram contentionem, quam invictam cupitis, ea quæ Deo placent non conſideratis. Sed erit divinæ providentiæ officium & explorare ſcelera iſtius contentioſitatis, & explorata diſſipare, vobiſque clare oſtendere quantum in veſtro congreſſu veritatis curam habueritis, & an veſtra judicia citra gratiam & odium calculum ſuum prompſerint. Quocirca feſtinanter ad meam pietatem accurrite & rerum iſtarum excuſſam exactamque fidem coram me in præſentia ipſi præſentes doceatis. Quare autem iſta ſcribere voluerim, & quapropter vos literis meis accerſendos putaverim ex ſequentibus cognoſcetis. Ingredienti mihi cognominem & felicem patriam meam Conſtantinopolim (eram autem in equo) ſubito Athanaſius Epiſcopus in media via cum nonnullis aliis quos circum ſe habebat, ita inexpectatus occurrit, ut non levem mihi cauſam admirationis præberet. Teſtis mihi Deus omnium ſpeculator, me quiſquis eſſet primo aſpectu agnoſcere nequiviſſe, niſi noſtrorum quidā quiſnam ille, & quamnam injuriam paſſus eſſet jam antea*

Au-

auditam ut fieri solet, mihi indicassent, Ego igitur per illud temporis verba cum illo non habui, neque colloquium miscui. Quum autem ipse se audiri postularet & hoc recusarem, magna libertate nihil aliud postulavit quam ut vos huc evocari juberem quo vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset: quod cum mihi æquum & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione ad prætorium nostræ clementiæ conveniatis, re ipsa quantum sinceritatis integritatisque sit in vestris sententiis coram me ipso sincero famulo Dei (quod nec ipsi quidem abnegaveritis) declaraturi. Certe per meum erga Deum cultum observantiamque ubique jam terrarum pax est, & Barbaris ipsis nomen Dei sinceriter benedicitur, qui hactenus veritatem ignorabant. Nihil dubii autem est, eum qui veritatem ignorabant, etiam Deum ignorare. Sed tamen, ut antea dixi Barbari per me sincerum Dei famulum Deum agnoverunt, & jam metuere didicerunt, ideo quod illum mihi protectorem esse, meique curam gerere reipsa experti sunt, atque ita in nostris rebus Deum agnitum nostri formidine Barbari reverentur. Nos contra qui mysteria Clementiæ ejus ostentare & præferre videmur, (non enim dixerim tueri) nos, inquam nihil facimus, nisi ea quæ ad discordiam & odium pertinent, & ut semel dicam quæ ad humani generis perniciem referuntur. Quapropter vos meo prætorio sistite, quemadmodum dixi, & festinate huc quam celerrime: certique sitis me omni ope studio-

que annisurum, ut ea quæ sunt legis Dei quam maxime inoffensa illabefactataque serventur: quibus nullum nec probrum, nec infamia allini possit: profligatis scilicet & contritis semel inimicis legis, qui sub specie sancti nominis, multiplices & diversas blasphemias adferunt. Hæc Constantinus, inquit Athanasius: quem lector observabit injurias sibi illatas ab Episcopis Synodi Tyrensis deferre ad Cæsarem: & ab illo petere æquabile judicium: ut coram eo & Episcopis memoratis de iis conqueri posset quæ per vim passius erat. Idque amplius confirmat Imperatorum potestatem in regenda & constituenda externa disciplina & pace Ecclesiæ. Hocque Appellationibus quas hodie Galli vocant *ab abusu*, quodammodo æquipollet: utque finem debitum nanciscatur, Constantinus Episcopos ad suum tribunal & prætorium accersit. Quæ forma judicii debet Baronii, Bellarmini, imo omnium Cornicum oculos configere quando meridie lucere dubitant? Sed ut ad institutum revertamur indictione Synodi Ephesinæ prætermissa in actionum singularum adyta sensim penetremus.

III. Postquam autem Patres Ephesum convenerunt, Imperatores Candidianum Comitem cum literis sequentibus illuc miserant, *ad ordinem, æquabilitatem & libertatem constituendam* in Synodo. *Cum magnam omnium quæ è republica sunt curam habeamus: tum vero maximam illorum quæ ad pietatem religionemque conservandam*

dam pertinere arbitramur : Per ea namque cætera quoque bona hominibus suppeditantur, scripsimus proinde non ita multo ante de pietatis vestræ Synodo apud Ephesinorum metropolim congreganda : Sacræ autem nostræ jussioni ea inseruimus quæcumque institutæ rei quam maxime convenire censebamus. QUIA VERO ORDINIS QUIETISQUE QUAM SACRÆ *vestræ Synodi consultationes jure deposcunt, decentem quoque curam adhibere oportuit: hanc quoque partem, quo undique tranquillitas adesset. non prætermittendam existimavimus. Non arbitramur autem pietatem vestram ut aliis pacem conciliet, alterius cujuspiam extrinsecæ opis egere : nihilominus ad nostrum erga religionem studium singularemque providentiam pertinebat & hanc quoque non negligere. Igitur Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus : sed ea lege & conditione, ut, cum quæstionibus & controversiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat: nefas est enim qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere. Verum ut monachos, & seculares, ac cæteros deniq; omnes qui hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forte confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus submoveat : quandoquidem non licet illos, qui omnino necessarii non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire : & iis quæ cum tranquillitate à vestra Sanctitate constitui definirique debent, ob-*

ſtaculum aliquod adſerre : tum rurſum ut diligenter proſpiciat, ne qua gravior diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, & ſævæ tempeſtatis inſtar debacchata, ſanctiſſimæ Synodi veſtræ conſultationem exactioremque veritatis indagationem quovis modo obturbet : tum denique quo operam det ſedulam, ut omnibus & ſingulis quæ dicuntur rite perceptis, ſinguli inoffensè, quod viſum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propoſitum, ſi opus id fuerit, refutare queant : ut ea tandem ratione, ubi per ſingulas propoſitiones exceptioneſque inquiſitio citra ullam omnino turbam contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum probatumque erit, communi veſtræ Sanctitatis ſententia conſtituatur, decernaturque. Ante omnia autem ſevere eidem magnificentiſſimo Candidiano mandatum eſt, ut quam ſtudioſiſſime obſervet, ne quem ex ſanctiſſima veſtra Synodo aut reditum molientem, aut iter ad exercitum noſtrum affectantem, aut ad alium quemcumque locum abſcedere cupientem, prius inde abire permittat, quam diligenti adhibita diſcuſſione, ea omnia decreta definitaque fuerint, quæ in diſquiſitionem venerant. Hinc ne ullam omnino aut Eccleſiaſticam aut aliam quamcumque controverſiam undecumque natam vel motam, quæ ad propoſitam ſancti dogmatis conſiderationem non pertineat, ante moveri ſinat, quam eorum omnium quæ nunc in quæſtionem vocata ſunt, ambiguitate ſoluta, ea, quæ ad veritatis inveſtigationem faciunt, exactiſſimo judicio diſcutiantur, finemque orthodoxæ religioni congruum ſortiantur. Quin & hujus quoque admoni-

monita sit vestra pietas, nempe Serenitati nostræ visum esse, ut nulla omnino in sacra vestra Synodo aut etiam in publico Ephesiorum judicio, pecuniaria, aut criminalis causa adversus aliquem agitetur. Quod si quid ejusmodi extiterit, cuipiamve usu venerit, hujus integram cognitionem magnæ huic nostræ civitati reservatam volumus. Denique nec id quoque vobis clam sit, videlicet magnificentissimum Comitem Irenæum, neque sanctissimæ vestræ Synodi consiliis, neque his quæ eximio legato nostro Candidiano à nobis demandata sunt, ullatenus communicare debere: ut qui solius amicitiæ causa cum piissimo celeberrimæ civitatis hujus Episcopo Nestorio Ephesum profectus sit. Hanc epistolam leges parte prima Ephesini Concilii editionis Romanæ cap. 35. & apud Binium Tomo 1. cap. ultimo. Inter alia autem nos docet quo discrimine Princeps Ecclesiasticus Synodis præsit à Principe politico: hic enim ordini, æquabilitati, & libertati constituendæ, ne quid per vim fiat, præsidet: unde cum Theodosius Synodo interesse non posset, eo Candidianum comitem ablegat, qui partes suas obeat: Princeps autem Ecclesiasticus præest actioni qua omnes controversiæ sententiis Patrum canonice definiuntur: de qua re amplius in Synodo Chalcedonensi ex Patrum ipsorum declaratione. Secundo, valde notabile est, Imperatorem præcipere Patribus, ne pedem ex Synodo efferant, priusquam res controversæ canonicè definitæ fuerint: hoc enim etiam

 ad

ad Principis politici præsidentiam spectat; de quo iterum agetur in hac Synodo. Tertio, vetat aliquam causam pecuniariam aut criminalem contra aliquem eorum qui intererunt Concilio exciri aut tractari vel in sacra Synodo vel in publico judicio & tribunali Ephesiorum; prudenter quidem, quoniam hoc cursum rerum agendarum interturbare potuisset.

Explicata forma externa constituendi ac regendi Concilii quæ politicis Principibus competit: de interna dicendum, quæ solis Ecclasiasticis propria est, atque ipsis actionibus Concilii explicatur: quæ septem sunt numero, eodemque exordio utuntur quoad rem & substantiam, quamquam modus aliquando varietur. Itaque qui primæ actionis exordium quod hic adscribam viderit, omnia alia viderit.

IV. *Post consulatum Dominorum nostrorum Flavii quidem, Theodosii* XIII. *Valentiani vero* III. *semper Augustorum* 10 *Kal. Juli Synodo congregata in Ephesiorum metropoli, ex decerto religiosissimorum & Christianissimorum Imperatorum, & considentibus in sanctissima Ecclesia quæ appellatur Maria, religiosissimis & sanctissimis Episcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & Cælestini quoque sanctissimi speratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Juvenali Hierosolymorum, & Memnone Ephesiorum, Flaviano Philippensium,* &c. *Petrus presbyter Alexandriæ & Primicerius Notariorum causam indictionis Concilii explicavit,*
ob

ob controversiam primum natam inter Cyrillum Alexandrium & Nestorium Constantinopolitanum Episcopum, dixitque. Cum igitur Imperiali & religioso nutu sacra vestra Synodus concordi consensu in hunc locum convenit, non potuimus non indicare nos epistolas Cyrilli, Nestorii, & Cœlestini, præ manibus habere, paratosque, si vestræ pietati ita visum fuerit, easdem recitare. Juvenalis Hierosolymorum Episcopus dixit: legatur pium piissimorum Christianissimorumque Imperatorum nostrorum edictum ad omnes Metropolitanos destinatum, rebusque quas nunc tractare incipimus, veluti fax quædam præluceat. Quod mox per Petrum reverendissimum Alexandrinæ Ecclesiæ presbyterum prolatum, & in hunc modum lectum est: Imperatores Cæsares, Theodosius & Valentinianus victores, triumphatoresque maximi, &c. *Reipublicæ nostræ constitutio, ea quæ in Deum est pietate præcipue nititur,* &c. Quas literas Imperatorum de indictione Concilii supra habes integras, cum eorum Analysi numero 2.

En procemium actionis primæ desumptum ex editione Romana parte 11. Act. 1. extatque in Collectione Binii Tomo 11 Ephesini Concilii cap. 1. nosque præsertim tria edocet. Principio Concilium congregatum fuisse Ephesi decreto Imperatorum: ut jam superius ostensum est; idque in omnibus actionibus iteratur. Secundo, Cœlestinum Papam vocari Archiepiscopum. Tertio, Cyrillum præfuisse Concilio, & locum Cœlestini PP. obtinuisse.

V.

V. Bellarminus quidem & cæteri ſcriptores Curiæ Romanæ cauſantur præſidentiam Cyrillo delatam, propterea quod Cœleſtinus Cyrillum vicarium ſuum conſtituiſſet: ut conſtat ex epiſtola Cœleſtini ad clerum & populum Conſtantinopolitanum ſub finem, ubi hæc leguntur: *Et quia noſtra in tanto negotio præſentia neceſſaria videbatur, vicem noſtram propter marina & terrena ſpatia ipſi ſancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iſte longitudinis occaſione graſſetur*: vide primam partem Epheſini Concilii Conciliorum Romanorum cap. 19. Nicephorus lib. XIV. cap. 34. notat, *famam eſſe ab eo tempore Patriarchas Alexandrinos vocatos Papas œcumenicos & judices orbis quo Cœleſtinus Cyrillum in vicarium ſuum cooptarat*: Sed recte notat Nicephorus hoc fama tantum niti: quandoquidem ſunt Græculorum figmenta; quoniam ex Eccleſiæ primitivæ diſciplina Canonibus Nicænis conſecrata, ſicut Præſides Actionibus Parlamenti moderantur, ac primo abſente ſecundus ſedis prærogativam occupat: ſic antiquitus in Conciliis omnes Patriarchæ erant præſides, atque duces, & capita Synodi neque Romanus quicquam ſuper alios præter ſedis prærogativam obtinebat: quare ſi abeſſet à Synodo, cæteri Patriarchæ ſuo quiſque ordine præſidebant: qua de cauſa ſupra in hiſtoria Nicæni Concilii docui Patriarcham Alexandrinum & Antio-

che-

chenum *vocari præsides Concilii*, cum in epiſtola Synodali ad Alexandrinos,tum in epiſtola Felicis Papæ.Item certum eſt inConſtantinopolitano Concilio Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum præſediſſe, cum nulli adeſſent ex parteDamaſiPP.unde ſimiliter cum Epheſina Synodus haberetur adverſus Neſtorium Conſtantinopolitanum Patriarcham, abſente RomanoPontifice,jus præſidendi adCyrillum Alexandrinum pertinebat : itaque tametſi ei delatum non fuiſſet à Cœleſtino, illud in vim ſuæ ſedis ex Nicænis Canonibus jure habuiſſet. Hercle conſtat ex actione ſecunda Concilii Epheſini, Cœleſtinum miſiſſe Arcadium & Projectum Epiſcopos atque Philippum Presbyterum, qui vicem ſuam capeſſerent in Synodo Epheſina, idque nominatim acta perſonant & tamen Cyrillus Actione ſexta illos anteit in ſubſcriptionibus editionis Romanæ quam perpetuo ſequar ad majorem fidem faciendam Adverſariis. Neque hic ſilentio obruendum, epiſtolam qua Cœleſtinus *vicem* ſuam *Cyrillo demandat*, ſcriptam fuiſſe antequã Cœleſtinus putaretConcilium generale habitum iri adverſus Neſtorium : & duntaxat reſtringi ad exequutionem ſententiæ Cœleſtini adverſus Neſtorium, quem mandabat ſacris & ſacerdotio interdici, niſi intra decimum diem ſibi prolatæ ſententiæ reſipiſceret.Ex quo inſurgit,fruſtra hinc colligi Cyrillum præſediſſe Concilio Epheſino tanquam Cæ-

Cœlestini vicarium : cum id ei ex sedis suæ prærogativa deberetur. Quod autem passim in actis legitur illum obtinuisse locum Cœlestini, id eo consilio effectum est à Patribus, ut obviam iretur factionibus Nestorii & Joannis Antiocheni, qui cum multos haberent Episcopos suæ factionis, efficere volebant ne à Concilio in quo duo tantum sederent Patriarchæ Nestorius damnari posset: quasi pares nullum haberent in pares imperium. Quocirca omnia acta clamant etiam Cœlestinum adhæsisse Concilio atque Cyrillum ejus vicem gessisse, continuoque tres sedisse Patriarchas in Synodo Ephesina contra Nestorium, scilicet Cœlestinum, Cyrillum & Juvenalem Hierosolymitanum.

VI. Hic obiter informandus lector Parte II. Concilii Ephesini post acta conciliabuli Joannis Antiocheni varias exhiberi epistolas Catholicorum, & in nonnullis quas Synodus Ephesina scribit ad Imperatores, *Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Ephesinum Episcopos, vocari Præsides, Duces & capita Concilii:* ubi τὸ *caput*, moraliter, pro primo, duce & principe actionis sumi debet, minime vero quod aliquid naturaliter influat in alios, absque quo influxu Synodus existere non possit; sicut videmus corpus humanum absque capitis influxu illico emori : quæ notanda putavi contra sophisticas nugas adulatorum & maxime Vallii persuadere volentis Papam id esse Ecclesiæ

Ca-

Catholicæ quod eſt caput corpori humano: eſſentiale non miniſteriale exiſtere. Adi illius librum de Suprema poteſtate Papæ parte 1. quæſt. VI. Cæterum Baronius Tomo V. Annal. anno Chriſti 430. ſcribit, Philippum presbyterum Eccleſiæ Romanæ, quem Cœleſtinus una cum Arcadio atque Projecto Epiſcopis miſeret ad Synodum Epheſinam, ideo vocis & ſedis prærogativam ſuper alios Epiſcopos conſequutum, quia presbyter eſſet Cardinalis: ſed fabulæ: Tum enim nondum Cardinales nati aut noti erant mundo, ut alias probabitur. Quod autem in ſubſcriptionibus Epiſcoporum Philippus Epiſcopis plurimis præponitur: hoc quidem Baronius debebat potius tribuere perſonæ Papæ Cœleſtini quam Philippus repræſentabat, quam Titulo & qualitati Cardinalitiæ, de qua ambigitur. Sed ad quartum notabile exordii primæ Actionis Synodi Epheſinæ me confero: quo edocemur Patres ſedentes in Synodo conſueviſſe principium agendi ducere ab Edicto Imperatorum, de Synodi indictione omnibus Metropolitis; quod *tanquam fax quædam agendis prælucebat.*

VII. Quare Firmus Cæſareæ Epiſcopus perlectis literis Imperatorum hæc pronunciat: *Reverendiſſimus Epheſinæ civitatis Epiſcopus Memnon nobis exponat, quot jam ſint elapſi dies poſt noſtrum in hanc civitatem adventum: Memnon dixit: à præfinita die in piis & religioſis literis præteriere ſexdecim dies*, &c. *Tum Cyrillus Alexan-*

xandrinus petit, ut chartulæ & literæ, quæ ad præsens facerent institutum, legerentur. Theodorus vero Ancyræ Episcopus dixit, prius curandum ut Nestorius Synodicis actis præsto sit, ut ea quæ ad religionem pertinent COMMUNI OMNIUM SENTENTIA ET CONSENSU CONSTITUANTUR. Quamobrem ter evocatur canonice ad Synodum: cumque pervicaciter venire recusasset, ejus causa discutitur, ac primum Symbolo Nicæno velut basi agendorum præfixo, scripta Cyrillli ad Nestorium ideo examinantur: quia Cyrillus omnium primus classicum personuerat adversus Nestorium: examinatis autem illis scriptis consensione omnium patrum orthodoxa acclamantur. Secundo Nestorii Epistola ad Cyrillum vicissim perlegitur & examinatur, omnesque Patres concorditer exclamant: *Quicumque Nestorium non anathematizat, Anathema sit: Quicumque Nestorio communicat, Anathema sit: totus terrarum orbis impiam Nestorii religionem anathematizat*, &c. Tertio, perlegitur & examinatur epistola Cœlestini ad Nestorium, cum secunda scriptione Cyrilli adversus Nestorium. Quarto subjiciuntur diversorum Patrum pridem defunctorum sententiæ, iis concordes quæ à Cyrillo & Cœlestino scripta fuerant.

VIII. Quinto his opponuntur aliquot quaterniones ex scriptis Nestorii collecti. Sexto epistola Synodica Capreoli Archiepiscopi Carthaginensis subjicitur, quam Cyrillus actis inscribi

inſcribi merito quidem flagitat, quoniam hanc memorabilem ſententiam contra abſolutam infallibilem monarchiam Curialium ad omnem poſteritatis memoriam conſecrat : *ut quæ pro Catholica fide definita ſunt perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportere ea omnia inconcuſſa immotaque conſervare quæ ſuperioribus temporibus à ſanctis Patribus conſtituta ſunt. Nam qui illa perpetuam ſtabilitatem retinere voluerit, quæ de Catholicæ fidei ratione ſtatuerit, is non propria auctoritate, ſed antiquorum Patrum judicio ſententiam ſuam corroborare debet : ita ut ea ratione partim veterum, partim recentiorum decretis & ſententiis placita ſua comprobans, unicam Eccleſiæ veritatem jam inde ab initio ad præſens uſque tempus ſimplici puritate invictaque conſtantia & auctoritate decurrentem ſe aſſerere docere & tenere oſtendat.* Huc uſque Capreolus; cui pariter Vincentius Lirinenſis contemporaneus aſſentitur initio commonitorii adverſus prophanas hæreſium novitates : *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt enim vere proprieque Catholicum: quod ipſa vis nominis, ratioque declarat : quæ omnia vere univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem vero ita, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos*

majores nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Præterea sub finem ejusdem commonitorii: *Deinde ait, si qua nova exurgeret quæstio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum Patrum sententias, eorum duntaxat, qui suis quique temporibus & locis in unitate communionis & fidei permanentes, magistri probabiles extitissent. Et quicquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesiæ verum & catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. Quod ne præsumptione magis nostra quam auctoritate ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti Concilii, quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est. Ubi cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, universis sacerdotibus qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse & permansisse constaret: ut scilicet rite atque solenniter ex eorum consensu atque decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur & prophanæ novitatis blasphemia condemnaretur*, &c. Quibus & concordat Sisinnii presbyteri consilium datum Nectario Constantinopolitano apud Socratem lib. v. cap. 10. *Scilicet*

licet disputationes non reconciliare, sed hæreticos ad contentionem multo magis accendere: ac proinde testes adhibendas formulas fidei à veteribus editas, qui ante divisionem vixissent in Ecclesia, eamque probe rexissent. Quæ Capreoli & aliorum Patrum regula tanto illustrior est, quod modum præscribat à majoribus servatum, in dirimendis controversiis, & à posteris necessario servandum, si modo velint nascentibus hæresibus atq; schismatibus mederi. Idque si initio Lutheranismi servatum esset, Ecclesiam non ita scissam & deformatam haberemus. *Qui enim doctrinam suam perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quæ de catholicæ fidei ratione statuerit, is non propria auctoritate, sed antiquorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet*, inquit Capreolus. Hercle ipse Nestorius non alia de causa in hæresim incidit, quam quod superbia & facundia quadam elatus, omnium antiquorum scriptis, more sectariorum hujus seculi nihil tribueret: cum tamen antiqui communionem sanctorum, & consensum catholicum sui temporis (qui, ut cap. 1. hujus libri diximus, vera est ratio Ecclesiæ regendæ,) nobis certissime demonstrent. Sed ut ad Patres Ephesinos redeamus, perlecta epistola Capreoli; sententiam depositionis in Nestorium ita pronunciant: *Sancta Synodus dixit, cum præter cætera impiissimus Nestorius neque nostræ citationi parere, neque sanctissimos religiosissimosque Episcopos à nobis destinatos admittere voluerit: non potu-*

tuimus ad eorum quæ impie docuit examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex literis commentariisque ipsius hic publice lectis: partim ex sermonibus quos nuperrime in hac Ephesiorum metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impie sentire & prædicare: coacti per sacros Canones & epistolam SS. Patris nostri & Comministri, Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit. Cyrillus Episcopus Alexandriæ una cum sancta Synodo decernens subscripsi. Iuvenalis Hierosolymorum Episcopus una cum sancta Synodo decernens subscripsi. Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus una cum sancta Synodo decernens subscripsi. Memnon Ephesiorum Episcopus una cum sancta Synodo decernens subscripsi, & ita de aliis. Ubi dignum animadversione, cunctos Episcopos in ferenda & subscribenda sententia nullam facere mentionem Cœlestini Papæ: sed conceptis verbis dicere, *se cum sancta Synodo decernere*: idq; ante alios S. Cyrillum, quem tamen adversarii volunt præfuisse Concilio nomine atque auctoritate Cœlestini. Hercle quidem acta Synodica sua natura necessario plurimorum consensum & sententiam non unius monarchæ auctoritatem involvunt.

Et

Et hæc, antequam legati Pontificis Romani Ephesum appulissent, confecta sunt: quorum summam Patres ad clerum & œconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ; nec non etiam ad Imperatores miserunt: hoc autem in literis Synodi ad Imperatores notabile occurrit, *quod sanctum Euangelium, quod ipsum Christum præsentem monstrabat, in throno, qui medium locum totius consessus & Synodi obtinebat, propositum fuisse dicatur*: quæ consuetudo in omnibus aliis sequentibus Conciliis semper servata. Idque initio actionum conceptis verbis expressum est, ut suis dicetur locis.

Dum hæc ab Ephesinis Patribus gererentur, Joannes Archiepiscopus Antiochenus fautor Nestorii cum triginta Episcopis suæ factionis formam habuit Conciliabuli, fretus studiis Candidiani, qui occulte Nestorio favebat: quo in Conciliabulo S. Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Episcopum duces & capita Concilii, ut à Patribus nuncupantur, exauctorant, atque omnes qui ad sanctam Synodum convenerant ecclesiastica communione privant, idque sancto Concilio significant, nec non etiam ad Imperatores & Imperatrices literas mittunt, priusque sanctæ Synodi literæ deferrentur ad Theodosium: sicque, ut ait Cyprianus epistola ad Cornelium PP *semper scelera festinant & quasi festinatione contra innocentiam prævalent: quoniam filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis*, ut Christus dicebat Lucæ 16.

IX. Actione II. Arcadius & Projectus Episcopi, cum Philippo presbytero Sedis apostolicæ legati appellant ad Synodum, atque literas Cœlestini sacro Concilio offerunt quas legi postulant: iisque perlectis omnium patrum consensu referuntur in acta. Sed monendus lector, memoratas literas, aliter atque aliter in editione Romana & Theodori Peltani concipi; hic enim in fine memoratæ epistolæ Cœlestini ita legit: *Misimus ad vos Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum presbyterum sanctos fratres inanimesque ac probatos, nostros comministros: qui nostra in se cura suscepta actis vestris intererunt: quæque à vobis sunt constituta suo calculo denuo confirmabunt. Non dubitamus autem quin Sanctitas Vestra illos ad communem consensum sententiæque dictionem sit admissura. Quæ vero decreveritis, ea pro omnium Ecclesiarum tranquillitate habeantur definita decretaque*: vide Tomum II Ephesinæ Synodi cap. 14. Collectionis Binii: & nota Antionium Contium in actis Synodi Ephisinæ eadem prorsus referre sub alia versione fol. 88. verso. Attamen editio Romana parte II. Actione III. statim initio ad hunc modum legit: *Direximus pro nostra solicitudine sanctos fratres & Consacerdotes nostros unanimes nobis & probatissimos viros Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui iis quæ aguntur intersint: & quæ antea a nobis sunt statuta, exequantur. Quibus præstandum a vestra Sancti-*

tate

tate non dubitamus assensum : quando id quod agitur videtur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum. Hæc ibi ; quibus etiam non discordat Græca editio Hieronymi Commelini anni 1591 fol. 193. Nihilominus varietas hujus lectionis magnam suspicionem corruptæ & suppositæ sententiæ ingenerat & certa ratio dignoscendæ genuinæ lectionis à corrupta est, ut perpendamus utra magis conveniat disciplinæ & regimini Ecclesiæ, quod tempore Synodi Ephesinæ florebat secundum Canones Nicænos. Unde cum lectio Antonii Contii & Peltani petat, ut legati Papæ admittantur ad communem consensum & sententiæ dictionem ut suo calculo ea quæ à Synodo decreta fuerant, comprobent, *&c.* proculdubio praxi tum usitatæ in Ecclesia omnino convenit : Contra autem quæ habentur in editione Romana, quoniam nominatim cavent *ut legati Pontificis Romani ea exequantur quæ sunt à Cœlestino decreta : adeo ut sancta Synodus eis indubie sit assensum præbitura*, &c. nullo modo disciplinæ illorum temporum consentiunt. Patres enim Ephesinos solummodo Papæ Consiliarios atque exequutores sententiæ Cœlestini non judices controversiarum faciunt, quod est absurdum, & sequioribus seculis adinventum : hoc enim plane absolutam redolet Monarchiam : quæ nihilo magis temporibus illis convenit quam si quispiam Faramundum primum Francorum

regem liliis aureisperſperſum eo modo depingeret quo S. Ludovicum veſtire conſuevimus: ſiquidem compertum eſt liliorum uſum in armis regum Fran-ciæ multis annis inventum poſt Faramundum. Certe in omnibus generalibusSynodisPatres de more habent canonice explorare Epiſcopi Romani ſententiam.

Cæterum perlectis Cœleſtini literis, omnes reverendiſſimi Epiſcopi ſimul acclamaverunt, juſtum eſſe judicium Cœleſtini, ac novo Paulo Cœleſtino, novo Paulo Cyrillo fidei cuſtodi gratias egerunt, &c. *Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus dixit: Apoſtolica & ſancta Sedes Cœleſtini ſanctiſſimi Epiſcopi per literas quas ad religioſiſſimos Epiſcopos ad Cyrillum*, inquam, *Alexandrinum & Juvenalem Hieroſolymitanum*, &c. *miſit, etiam ante de præſenti negotio ſententiam regulamque præſcripſit, quam nos quoque ſequuti, cum terminus Neſtorio ad emendationem datus dudum iam præteriiſſet, multumque præterea temporis poſt noſtrum juxta religioſiſſimi Imperatoris decretum in Epheſiorum civitatem adventum fluxiſſet: atque hic non parum temporis commorati eſſemus, ut dies ab Imperatore præfinitus elapſus jam eſſet: quoniam Neſtorius à nobis citatus non paruit, formam illam exequutioni mandavimus, Canonicum Apoſtolicumque judicium in illum proferentes*. Quo ex loco Baronius, Binius in notis ad Synodum Epheſinam & Auctor Præfationum Hiſtoricarum Romanæ editionis conciliorum colligunt, *quæcumque de recta*

fide

fide adversus Nestorium sancita sunt, antea fuisse à Cœlestino præscripta, Firmo Cæsareæ Episcopo tota Synodo audiente id ipsum affirmante : hæc illi, ut Papæ infallibilitatem adstruant. Sed facilis ad hæc responsio : Primum Antonius Contius, & Theodorus Peltanus aliter legunt : hic enim Tomo 11 cap. 15. Actorum Synodi Ephesinæ sic refert sententiam Firmi Cæsareæ Episcopi : *Cœlestinus certam de præsenti negotio sententiam regulamque præscripsit, quam nos proinde sequuti (eo quod terminus Nestorio ad emendationem præstitutus dudum jam præteriisset) forma Canonum diligenter ubique observata, Canonicum Apostolicumque judicium in illum exercuimus.* Quæ sententia disciplinæ illorum temporum : altera vero absolutæ monarchiæ hujus seculi congruit. Parcant ergo nobis adversarii, si quando in actis quæ postremis temporibus evulgantur aliquid minus consonum antiquæ disciplinæ, & regimini Ecclesiæ primitivæ reperimus, illud ingenue & animo vere Christiano, suspectæ fidei pronunciemus : maxime autem, quod in quinque posterioribus Conciliis generalibus, quorum historiam fideliter describemus, nuspiam reperiatur Patres dixisse *se regulam à Romano Pontifice præscriptam exequutioni mandare* : Porro hæc verba *Apostolicum judicium proferre*, sunt æquivoca : quoniam in Synodis hoc non intelligitur privatim de iis quæ sedes Romana, sed generatim quæ tota Synodus sanxit, ut

probabitur : unde ſupra in epiſtola Synodali Patrum Nicænorum ad Alexandrinam Eccleſiam docuimus, hanc *vocari Apoſtolicam* : Et Theodoretum de iis loquentem quæ adverſus Appollinarem atque Macedonium ſtatuta ſunt in Conſtantinopolitano Concilio, ea *titulo Apoſtolicæ doctrinæ donare*, lib. v. cap. 8. hiſtoriæ. Secundo, quæcumque Cœleſtinus ſtatuit in Neſtorium Synodice decreta ſunt juxta quintum Canonem Nicænum. Tertio acta primæ actionis Synodi Epheſinæ iſtam Firmi Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ opinionem diruunt : quoniam cuncti Patres ibidem ſigillatim ſuffragantur adverſus Neſtorium, quem inſuper exauctorant prius examinatis omnibus quæ à Cyrillo & Cœleſtino in illum ſcripta fuerant : unde ibidem Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus more aliorum Patrum his conceptis vocibus dicit ſententiam : *Ego una cum ſancta Synodo decernens ſubſcripſi*. Quæ loquendi formula non eſt hominis alterius ſententiam exequutioni demandantis. Quarto, tametſi Cappadociæ Epiſcopus in ſecunda Actione hæc ipſa enunciaſſet quæ in Romana & Commeliniana editione leguntur, nihilominus uſui eſſe non poſſunt firmandæ abſolutæ monarchiæ : quando in actis Synodalibus *vox unius vox nullius* : quia, ut dixi, acta Synodalia plurimorum conſenſum eſſentialiter includunt. Accedit demum, ut recte Juſtinianus Cæſar in edicto ſuo contra tria capitula obſer-

obſervat: *Eos qui veritatem perſcrutantur attendere oportere quod forſitan in Conciliis quædam à certis ibi convenientibus dicuntur aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: & neminem attendere ea quæ per partem à quibuſdam dicuntur; ſed ſolum illa quæ ab omnibus communi conſenſu definiuntur.* Videndum ergo quænam fuerit Synodalis nonunius Epiſcopi Cæſareæ ſententia.

Porro ad calcem ſecundæ actionis, reſponſio legatorum Cœleſtini ad ſanctam Synodum aliquid jam abſoluti & monarchici parturire videtur, ſibi enim ita blandiuntur: *Gratias agimus ſanctæ Synodo, quod literis ſancti beatique Papæ noſtri vobis recitatis, ſanctos cantus, ſanctis veſtris vocibus, ſancto capiti veſtro, ſanctis etiam veſtris acclamationibus exhibueritis. Non enim ignorat veſtra beatitudo totius fidei, vel etiam Apoſtolorum caput eſſe beatum Apoſtolum Petrum. Proinde cum noſtra mediocritas ſerius acceſſerit, rogamus, ut ea nobis patefieri mandetis quæ ante adventum noſtrum in ſancta Synodo acta ſunt: quo juxta beati Papæ noſtri præſentiſque hujus ſancti Cœtus ſententiam, nos quoque confirmemus conformiter eorum depoſitioni.* Quæ oratio duo capit notabilia; alterum eſt, S. Petrum ideo vocari caput totius fidei & Apoſtolorum, quia omnium primus, tanquam os & princeps collegii Apoſtolici hanc Eccleſiæ confeſſionem omnium nomine edidit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, &c. Alterum denique hæc verba *quo*

juxta

juxta B. Papæ nostri præsentisque hujus sancti Cœtus sententiam nos quoque confirmemus, &c. destruere verba Epistolæ Cœlestini, quæ in editione Romana leguntur: contra vero illa auctorare quæ ab Antonio Contio & Peltano narrantur, scilicet: *Non dubitamus autem quin Sanctitas vestra legatos nostros ad communem consensum sententiæque dictionem sit admissura. Quæ vero decreveritis ea pro omnium Ecclesiarum tranquillitate habeantur definita decretaque.* Enimvero his verbis legati Cœlestini ad dictionem sententiæ & ea comprobanda quæ ante suum adventum decreta fuerant, solummodo admitti cupiunt quod Canonicum non monarchicum est. Hoc ergo perpendant ut necesse est adversarii, & sophisticas argutias nobis venditare cessent. Dehinc occurrit Cœlestini Papæ epistola ad Cæsarem Theodosium qua declarat, Synodum Ephesinam Cæsaris jussu indictam aut coactam. *Sed huic cœlesti curæ, vel gloriæ unusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram in quantum valemus, impendimus: & huic Synodo* QUAM ESSE JUSSITIS, *nostram præsentiam in his quos misimus exhibemus, pietatemque vestram sub divini obsecrantes obtestatione judicii, ne quid turbidæ novitati licere vestra mansuetudo permittat.*

Actione III in vestibulo secundum Romanam editionem & Tomo II Ephesini Concilii apud Binium cap. 16. legati Cœlestini privatim dicunt sententiam super acta adver-

sus

ſus Neſtorium in prima actione Concilii Epheſini, ſicut paulo ante hoc ſibi concedi flagitaverant : quare omnia ſuis ſuffragiis ſigillatim comprobant.

X. Quibus peractis Patres Synodalem epiſtolam mittunt ad Imperatores : qua ſeriem Actorum declarant : nimirum, *Arcadium & Projectum Epiſcopos cum Philippo Presbytero Cœleſtini Epiſcopi præſentiam ſuppleviſſe* : AC TOTIUS OCCIDENTALIS SANCTÆ SYNODI SENTENTIAM *Patribus Epheſinæ Synodi per literas expoſuiſſe, & eadem omnino, quæ Patres Epheſini, decreviſſe; propterea de communi illorum conſenſu, hanc relationem fieri majeſtati Imperatoriæ, ut ei conſtaret judicium, quod Actione prima factum fuerat adverſus Neſtorium, eſſe unam communemque totius terrarum orbis ſententiam. Quocirca rogant Imperatores, ut Synodum ſolvant, & Patres ad proprias ſedes redire jubeant: cum præſertim alii paupertate, alii morbo detineantur, alii ſenectute ita graventur, ut diutius in externa regione hærere nequeant. Totum terrarum orbem Concilii Epheſini fidem & ſententiam amplecti, paucis exceptis qui Neſtorii amicitiam pietate potiorem ducunt; petunt inſuper, ut ſibi liceat ordinationi Epiſcopi in locum Neſtorii incumbere.* En ſumma totius epiſtolæ Synodalis, quæ tria demonſtrat; Primum, Eccleſiæ regimen pure ariſtocraticum fuiſſe illo tempore, cum ea ipſa quæ Celeſtinus miſit ad Patres Epheſinos *ſtatuta fuerint in Synodo totius Occidentis*, deinde in

Con-

Concilio generali Ephesino canonice examinata, ut prima Actione docuimus. Alterum est, Patres Ecclesiæ primitivæ agnovisse totum Occidentem subditum patriarchatui Episcopi Romani, illumque solitum cogere in Synodum juxta ea quæ cap. 2. in explicatione Canonis VI Nicæni exhuibuimus. Verum, qua ratione Pontifex communionem & consensum Catholicum Occidentis iniret, dictum est capite I hujus libri. Tertium est, sententiam Synodi totius Occidentis datam legatis Cœlestini pro sufficienti instructione, minime vero aliquem privatum motum Papæ. Post literas Synodicas ad Imperatores occurrunt & aliæ etiam Synodicæ ad clerum populumque Constantinopolitanum, quibus gesta Synodi adversus Nestorium declarantur.

XI. Actione IV. Cyrillus Alexandrinus & Memnon Ephesinus Episcopi, expostulationem habent adversus Joannem Antiochenum, quod illos inauditos indictaque causa, & nullam habens potestatem excommunicasset, omnesque Canones & leges Ecclesiasticas conculcasset. Itaque petunt ut à sancta Synodo accersatur, reique à se temere gestæ rationem reddat. Quocirca bis canonice evocatus respondere & venire recusavit ad Synodum: in hac actione Juvenalis Hierosolymorum Episcopi oratio digna est observatione: *Oportebat quidem Joannem Antiochenum hac sancta & magna & œcumenica Synodo considerata confestim accur-*

accurrere, ut de iis quæ illi objiciuntur se purgaret, & ad Apostolicam sedem magnæ Romæ nobiscum considentem, & obedientiam ac honorem deferre Apostolico sanctæ Dei Ecclesiæ Hierosolymorum, apud quem maxime mos est ex Apostolico ordine & traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur & apud eum judicetur, &c. Quæ pariter leguntur in collectione Binii Tomo IV. cap.4. Et si forsan à patronis absolutæ monarchiæ ad suam opinionem fulciendam ostentui habeantur: Oppones, Nestorium & Joannem Antiochenum cum multos secum haberent Episcopos, hoc in votis habuisse, ne scilicet à Concilio in quo duo tantum sederent Patriarchæ Alexandrinus & Hierosolymitanus, judicari possent: quasi paris in parem nulla sit potestas, ut jam dixi. Quod propositum ut Juvenalis Hierosolymitanus effringeret, ostendit Romanum Patriarcham una secum sedere, & consentire: ac morem esse ut aliæ sedes Patriarchales Romanæ tanquam principi in rebus Synodice & Canonice constitutis deferant, ut supra docuimus in historia Concilii Sardici. Nam hæc verba *apud quem maxime mos est ex Apostolico ordine & traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur & judicetur*, capi debent de sede Romana aliarum principe: non de Hierosolymitana quæ omnium postrema erat & antequam erecta esset in patriarchatum Antiochenæ sedi & Cæsareæ Palæstinæ suberat, ut cap. 2. ostendimus. Hinc vero liquet

quet, jam tempore Ephesini Concilii, sedem Hierosolymitanam erectam fuisse in Patriarchatum ex consuetudine : quoniam nullus Canon in eam rem extat conscriptus.

Actione v. Cyrillus Alexandrinus & Memnon Ephesinus suadent sacræ Synodo Joannem Antiochenum libellis publice affixis per compita Ephesi, eos accusasse tanquam fautores hæresis Apollinaris, ideoque rogant Patres ut tertio evocetur, quatenus coram sacra Synodo doceat illos esse Apollinarii sectatores, vel si venire detrectet, nec probationes suas edat, ipse condemnationi subjaceat. Cum autem tertio vocatus respondere & venire contempsisset, Patres in illum ejusque asseclas sententiam excommunicationis pronunciant : Notabitque lector, S. Cyrillum & Memnonem in his duabus actionibus, quibus de Joanne Hierosolymitano conquerebantur, apud Patres Ephesinos, ut eis jus fieret, non sedisse cum aliis patribus, sed tanquam accusatos jus sibi reddi postulasse: atque hac Actione quinta innocentes declaratos. Quamobrem literis Synodicis missis ad Imperatores enarrant summam actorum erga Joannem Antiochenum : ejusque gesta irrita fieri postulant tanquam mera convicia, & calumnias hominum criminibus obnoxiorum. Postea in editione Romana quam hic sequor, habetur relatio Synodica ad Cœlestinum, sed hic non est proprius ejus locus, quoniam missa est post-

poſtquam turbæ quas Joannes Antiochenus in Cyrillum exciverat, ſedatæ ſunt.

XII. Actione VI quædam proponuntur geſta in nonnullos Quartadecimanos, qui ad ſanctam Synodum & unitatem Eccleſiæ accedunt. Dehinc eadem Actione VI exhibentur acta Conciliabuli Joannis Antiocheni cum ſacris literis Imperatorum, qui quidem per Candidianum Comitem anticipati, has literas miſerunt per Palladium Magiſtrianum, quibus oſtenditur quanta tum auctoritate Cæſares in diſciplina Eccleſiaſtica bene conſtituenda pollerent: *Magnificentiſſimi Candidiani devotárum domeſticorum Comitis relatu pietas noſtra accepit, quædam in Epheſiorum Metropoli per tumultum ac ſecus quam conveniat tranſacta fuiſſe. Nam neque omnes, ut decretum erat, piiſſimi Epiſcopi convenerunt: cum tamen magnæ Antiochenæ civitatis Epiſcopus cum aliis Metropolitanis jam appropinquaret: neque illi qui jam venerant, ſimul conſultaverunt, nec inter ſe conſenſerunt: neque ea quæ de fide ſunt modo quo oportebat, vel prout continebatur ſacris literis noſtris, quas ſubinde miſimus, examinaverunt: ſed res ita geſta eſt, ut manifeſtum evaderet, alios aliis eſſe infenſos ob vehemens ſtudium erga illa quæ quomodocumque placita ſunt, nec velamen prætendere valentes. Quare quæ geſta ſunt, ſtudio acta eſſe quilibet exiſtimaverit. Proinde ſacræ Majeſtati noſtræ placuit, talem procedendi modum nullum habere locum aut momentum. His verò quæ inepte ac citra*

ordinem gesta sunt cessantibus, doctrinam de pietate prius, sicuti decretum fuit, discuti: eamque juxta communem totius Synodi sententiam inposterum obtinere. Neq; pietas nostra æquo fert animo PRÆJUDICIA DE INDUSTRIA PRÆSUMPTA: *quin imo quæ gesta sunt, usq; adeo ægre tulit & fert, ut donec pietatis dogmata ab universa Synodo fuerint examinata, & quispiam sacro nostro palatio una cum magnificentissimo Candidiano Comite destinetur, qui nostro jussu quæ acta sunt cognoscat: quiq; quæ legitimo ordini dissentanea sunt prohibeat:* NEMINEM EPISCOPORUM QUI CONVENERUNT AB EPHESIORUM CIVITATE ABSCEDERE, *vel ad sacrum nostrum comitatum venire, vel in suam patriam reverti ullatenus sit passura: quatenus nulli hoc liceat, nullusve speret id tuto sibi successurum. Hæ itaque literæ sufficiant ad denunciandum pietati vestræ, ne quid aliud præter nostram jussionem jam ante perpetratis in posterum adjiciat. Quin & hoc quoq; Sanctitatem vestram non lateat, nempe nos illustrissimis provinciarum præfectis scripsisse, ne ullum prorsus in patriam vel civitatem suam nostro injussu redeuntem admittant. Oportet enim omnia juxta Dei beneplacitum, contentione seclusa, veritatisque studio adhibito discuti:* AC TUM DEMUM À NOSTRA PIETATE CONFIRMATIONEM OBTINERE. *Quandoquidem sacra nostra Majestas non tanquam pro hominibus nunc, aut etiam pro sanctissimo piissimoque Nestorio, vel pro alio quopiam sollicita est*: SED IPSIUS VERIVATIS ET DOGMATIS CURAM GERIT. *Datum tertio Kal. Iulias*, &c. Ex his literis exsplendescit,

descit, Patres Ecclesiæ solitos confirmationem Synodorum petere ab Imperatoribus. Editio Romana ad hunc locum in margine hoc apposuit glossema: *Quo modo hæc confirmatio accipi debeat, ex aliis Imperatorum literis constat*: Recte quidem, nam literæ atque edicta Constantini, & Theodosii Magni supra exhibita: item Martiani, Justiniani, Constantini Pogonati, imo ipsiusmet Theodosii, & Valentiniani quos infra proponemus, omnem etiam cæcis dubitandi occasionem tollunt. Cæterum aliis quoque literis Imperatores scripserunt ad Synodum, se approbasse & acceptam habere Nestorii, Cyrilli atque Memnonis exauctorationem: siquidem male de rebus gestis informati acceperant S. Cyrillum omnia ex eorum gessisse præjudicio & actis quæ ante Synodum generalem adversus Nestorium in Synodo sua provinciali sciverat, atque etiam ut Cœlestini PP. sententiam exequutioni mandaret: idque virum sanctissimum odio atque invidia pene oppressit, & sanctissimam Synodum valde conturbavit: à quibus malis & ipse Cyrillus & Concilium Ephesinum liberum fuisset, si B. Cyrillus à judicio abstinuisset, sic enim ei objectum minime fuisset, quod vehementi studio & præjudicio vincendi certaret.

XIII. Veruntamen tum demum evicit veritas; quoniam Catholici Episcopi sedentes in Concilio, literis suis per Palladium Magistrianum certiorem fecerunt Theodosium de

omnibus gestis : atque Comitem Candidianum Nestorii amicitiam pietati anteposuisse : aliis quoque literis Cæsarem ita pecantur: *Universi ad pietatis vestræ Majestatem confugimus: supplicantes, ut, quæ contra Nestorium ejusque sectatores gesta sunt, robur suum obtinere; cætera vero quæ ab illis, qui Nestorium vindicant, eo quod ejusdem cum illo sententiæ existunt, contra Synodi nostræ Duces illegitime facta sunt, inefficacia & irrita manere jubeat: ut quæ neque canonice contra eos qui de nullo crimine convicti sunt, sed sola vindictæ libidine per temeritatem adversus sanctam Synodum perpetrata sunt ab illis qui cum Nestorio sentiunt. Etenim si sanctæ Synodi sententia in Nestorium apertæ impietatis præconem lata, est justa, ut Dominatio vestra justam esse declaravit: intelligit utique vestra Majestas, quæ contra sanctam Synodum ab illis qui cum Nestorio sentiunt facta sunt, inefficacia penitus, & irrita manere: cum ex nulla prorsus bona & consentanea causa nata sint, sed ex solo vindictæ studio, ob ea quæ sancta & magna Synodus contra Nestorium gessit. Obtestamur proinde vestram Majestatem, ut tandem nos ab hac tribulatione liberet, Cyrillumque & Memnonem Deo devotissimos Episcopos, sanctaque hujus Synodi Principes restitui nobis jubeat. Consentaneum est enim, ut vindicata jam pietate illisque refrænatis, qui eam labefactabant, hi qui una nobiscum pro fide decertarunt, honore perfruantur: neque cum illis qui de nefandis in Christum blasphemiis convicti sunt, condemnentur.* Iuvena-
lis

Pentecostes terminum: quamvis multi Episcopi & lis Hierosolymorum Episcopus supplici huic libello suscripsi: subscripserunt itidem & omnes Episcopi in commentariorum serie recensiti. Hanc relationem leges Actione sexta editionis Romanæ inter epistolas Catholicorum, & apud Binium Tomo IV. cap. 14. Ephesini Concilii: qua quidem Patres confirmationem Actorum, Synodi dissolutionem, & facultatem discedendi clarissime petunt ab Imperatoribus, non à Papa: hoc enim tanquam necessarium, valde Patres urgebat: ideoque prius petendum erat: at vero Pontifici Romano duntaxat Synodalem epistolam mittunt, quæ est tanquam breviarium rerum in Synodo Ephesina eo quidem ordine gestarum quo sunt à me superius enarrata: quam epistolam leges parte secunda Actione quinta Ephesinæ Synodi editionis Romanæ, & apud Binium Tomo IV. cap. 17. sequiturque literas Synodicas quibus Patres petunt ab Imperatoribus confirmationem Actorum: recte quidem, quoniam hic ordo servatur etiam in editione Græca Commelini: quem editio Romana interpolavit, ut niteretur demonstrare Papam, velut Ecclesiæ monarcham, jus habere solvendorum Conciliorum & dandi facultatem abeundi Patribus, postquam ab illo confirmationem actorum petiissent. Verum hæc sunt commenta hominum obnoxiorum, ut lectione ipsius epistolæ patebit, quam hic integram exhibebo:

XIV. *Sancta Synodus quæ per Dei gratiam in Ephesiorum metropoli convenit, Cœlestino Episcopo in Domino salutem. Sanctitatis tuæ circa pietatem zelus, & circa fidei sinceritatem cura, nostri omnium salvatori Deo grata & placita, omni admiratione digna existit. Est enim hoc vobis adeo magnis in more positum, ut in omnibus celebres sitis, studiaque vestra Ecclesiarum firmamenta constituatis. Quia vero necesse est, ut omnia quæ consecuta sunt, Sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere, secundum omnium nostrum salvatoris Christi voluntatem, piissimorumq; ac Christi amantium Imperatorum nostrorum sanctionem ex multis variisque provinciis Episcopos supra ducentos in Ephesiorum metropolim nos convenisse. Postea cum pia Christi amantium Imperatorum edicta, per quæ fuimus evocati tempus sanctæ Synodi consessui præscriberent diem sanctæ Pentecostes, omnesque concurrissent, ideo maxime quod Imperatorum literis expressum erat, si quis ad præstitutum terminum non veniret, cum mala conscientia deesse, & apud Deum & homines esse inexcusabilem: desideratus est reverendissimus Joannes Antiochenorum Episcopus: idque non tanquam animo simplici & candido, neque quod locorum intervallum quod transeundum erat, impedimento fuerit occultaret: sed quod consilium cogitationemque Deo displicentem mente occultaret: quam cogitationem non longo post tempore, posteaquam nimirum Ephesum venisset, palam fecit. Distulimus itaque confessum totos sexdecim dies post præfinitum sanctæ Pentecostes terminum: quamvis multi Episcopi & cle-*

clerici & morbis premerentur & sumptibus affligerentur, nonnulli quoque è vita migrassent. Erat autem id quod agebatur, ut etiam Sanctitas tua intelligit, nihil aliud quam adversus sanctam Synodum contumelia. Tanta enim dilatione malitiose usus est: ipsum quippe anteverterunt qui longe majori viarum intercapedine distabant. Veruntamen post exactum sextum decimum diem, è suorum Episcoporum numero advenerunt Metropolitani duo, Alexander Apameæ, & alter Alexander Hierapolitanus. Cum autem de cunctatione reverendissimi Episcopi Joannis quereremur, dixerunt illi non semel sed sæpius: mandavit nobis ut pietati vestræ indicemus, ne Synodum prorogetis, si ipsum amplius tardare contigerit, sed potius quod opus est facto, id fiat. Cum hæc illi renunciassent, certoq; constaret tam ex mora quam iis quæ nunciata fuerant ipsius nomine, eum detrectare consessum: vel quod amicitiæ, quæ ipsi cum Nestorio intercedebat, indulgeret: vel quod is Ecclesiæ suæ fuit Clericus: vel etiam quod quorumdam pro illo deprecationibus morem gereret: sancta Synodus in magna Ephesi Ecclesia, quæ appellatur Maria, sessionem celebravit. Quoniam vero cum universi prompto alacrique animo venissent, solus Nestorius in eo consessu desiderabatur, sancta Synodus eum admonuit canonice per Episcopos prima, secunda, similiter & tertia citatione: ipse vero ædibus in quibus diversabatur frequenti milite undique circumvallatis, Ecclesiasticisque sanctionibus superbe contemptis, neque comparere, neque de impiis suis blasphemiis rationem voluit reddere.

Lecta deinde sunt literæ, quas sanctissimus Deoque dilectissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Cyrillus ad eum scripserat: quas sancta Synodus approbavit, ut recte inculpateque exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis scripturis: traditæ videlicet fidei, & expositæ in magna illa Synodo à Sanctis Patribus qui Nicææ Bithyniæ olim convenerunt: sicut tua quoque sanctitas id recte probans testificata est. Postmodum lecta etiam Nestorii epistola ad eundem Sanctissimum Deoque dilectissimum fratrem & comministrum nostrum Cyrillum scripta: censuit sancta Synodus dogmata quæ in ea continebantur ab Euangelica & Apostolica fide omnio aliena esse: plurimaque ac peregrinæ blasphemiæ morbo laborare. Lectis item impiissimis ejusdem expositionibus, & epistola præterea quam tua Sanctitas ad illum dederat: per quam damnabatur, tamquam qui blasphema scripsisset, impiasque voces expositionibus suis inseruisset: justa sententia depositionis in ipsum prolata est: maxime vero, cum tantum abesset ut resipiceret, vel de blasphemiis, quas, cum Constantinopolitanam Ecclesiam adhuc obtineret, profuderat, pœnitentiam ageret, ut Ephesi quoque cum quibusdam sanctis Metropolitanis Episcopis, viris sane illustribus maximaque pietate & eruditione præditis differens, ausus sit dicere: Equidem bimestrem aut trimestrem Deum non confiteor, aliaque his multo deteriora dixit. Hæresim igitur, ut impiam ac scelestissimam, quæque sanctissimam nostram religionem everteret, universamque mysterii dispensationem vel ab ipsis fundamentis dirueret, ad eum,
quem

quem jam diximus, modum demoliti sumus. Caeterum fieri non potuit, ut par erat, quin illi qui Christum ex animo diligebant, & pro domino zelabantur, multas experirentur difficultates. Etenim fore sperabamus, ut reverendissimus Joannes Episcopus Antiochenus Synodi diligentiam & pietatem laudaret, tardamque Nestorii depositionem vitio fortasse nobis verteret. Verum hæc spes longe nos & omnino fefellit, secus enim evenit. Compertus est namque adversarius & infensissimus tum sanctæ Synodo, tum rectæ Ecclesiarum fidei, sicuti res ipsæ declarant. Nam simulatque Ephesum ingressus est, antequam pulverem ex itinere contractum excussisset, pallio nondum exutus, congregatis quibusdam qui cum Nestorio simul recesserant, & blasphema verba in suum caput loquebantur, & gloria Christi tantum non illudebant, ac veluti collecto collegio hominum circiter triginta numero, qui nomen habebant Episcoporum (ex quibus alii erant extorres, otiosi, Ecclesiisque carentes, alii quoque ante multos annos ob graves culpas à suis Metropolitanis depositi: cum ipsis etiam Pelagiani & Cœlestiani, ac nonnulli de iis qui ex Thessalia ejecti fuerunt) rem ausus est impiam, qualem nemo ante illum ausus est unquam. Etenim, privatim scriptum quoddam confecit, depositionisque nomen & contumeliam impegit sanctissimo ac religiosissimo Cyrillo Alexandrinorum Episcopo, & pientissimo fratri nostro & comministro Memnoni Ephesiorum Episcopo: idque nobis omnibus inscíis, imo nec ipsis quidem qui injuriam hanc perpessi sunt, quid

 ageretur,

ageretur, aut quam ob causam hoc ausi essent, intelligentibus. Sed perinde ac si Deus non indignetur ob ista, NEQUE SINT ECCLESIATICI CANONES, *neque futurum sit, ut propter hanc audaciam periculum subeant, excommunicationis nomine etiam universæ Synodo contumeliam faciunt. Neque his contenti, hæc scripto publico mandata proposuerunt legenda quibuslibet, theatri parietibus affigentes, ut suæ impietatis spectaculum exhiberent. Sed nondum his finibus constitit ipsorum audacia, sed præterea quasi canonicum quiddam gessissent, ad piissimorum Christique amantium Imperatorum aures talia deferre non dubitarunt. His ita transactis sanctissimus Deoque dilectissimus Cyrillus Alexandrinus Episcopus, & piissimus Memnon Ephesiorum civitatis Episcopus libellos composuerunt, compositisque Concilio obtulerunt: quibus reverendissimum Antiochenorum Episcopum Joannem ejusque adjutores ac in ea re gerenda socios accusabant, adjurantes sanctam nostram Synodum, ut ipsum Ioannem ejusque administros canonice in judicium vocaret: ut rationem de illis redderent quæ temere ausi fuerant: necnon si quam accusationem haberent, si possent, illam in medium afferrent, accusatosque convincerent. Quandoquidem in depositionis aut verius contumeliæ charta ab ipsis exarata, causam inseruerant: quoniam Apollinaristæ sunt, & Arriani, & Eunomiani: ac propterea à nobis depositi sunt. Cum itaque ii qui hanc ab illis contumeliam acceperant instarent necessitate adducti, in magna rursum*

Ecclesia,

Ecclesia, Episcoporum, quorum numerus erat plusquam ducentorum, consessu instituto, intra biduum, semel iterum ac tertia quoque citatione ipsum Ioannem, & qui cum eo erant ad Concilium vocavimus, ut illos quos contumelia affecerant, revincerent, & causas, ob quas depositionis chartam composuissent, in medium adferrent: verum illi venire non sunt ausi. Oportebat autem, siquidem prædictos sanctos viros, ut hæresis reos vere potuisset convincere, ipsum venire, nec non crimen, quod assumens tanquam validum & certum, temerariam contra illos sententiam tulerat, verum esse palam ostendere. At prava conscientia præpeditus minime comparuit. Quod autem moliebatur, hoc erat: putabat, si absurda illa ac inprimis illegitima contumelia judicium effugeret, fore ut simul justa quoque sanctæ Synodi sententia contra Hæreticum Nestorium lata everteretur. Indignitate itaque rei merito commoti, ejusmodi in illum & in alios sententiam legitime proferre deliberavimus: cujusmodi ipse tulerat illegitime contra eos qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verum, quo illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam justissime legitimeque subivisset, pietatis tuæ judicio hoc reservavimus: interim illos excommunicationi subjicientes, omnique Sacerdotali potestate exuentes, ita ut nullum suis sententiis lædere queant. Quomodo enim necessarium non erat, ut illos qui tanta insolentia & feritate Canonumque contemptu res adeo absurdas & atrocissimas aggredi consueverunt, vel invitos nocendi potestate privaremus? Fratribus itaque

que nostris & comministris Cyrillo Episcopo, & Memnoni, quos illi contumelia affecerunt, communicamus omnes, & post temerariam illorum sententiam una cum ipsis sacris operati sumus, & operamur, communiter universi synaxes celebrantes ludicris illorum scripto abrogatis invalidisque ac prorsus infirmis pronunciatis : nihil enim aliud erant quam mera contumelia. Etenim viri numero triginta, quorum alii hæreseos macula erant notati, alii extorres & ejecti, qualem faciem Synodi aut qualem vim haberent contra Synodum ex universo qui sub cœlo est orbe collectam ? fuerunt enim in consessu nostro & illi quoque qui à Sanctitate tua missi sunt piissimi Episcopi Arcadius & Projectus, & cum ipsis reverendissimus presbyter Philippus, qui sua præsentia tuam nobis exhibuerunt, apostolicæque sedis locum suppleverunt. Convenientem proinde Sanctitas tua, propter ea quæ acta sunt indignationem concipiat. Nam si quibuslibet potestas fiat majoribus sedibus contumeliam inferendi, & in illos, in quos nihil juris habent, sententias pronunciandi, usque adeo iniquas & à Canonibus discrepantes vel potius contumelias, etiam in eos, qui tanta pro pietate certamina sustinuerunt : & per quos nunc quoque adjumento precum Sanctitatis tuæ pietas splendorem recepit; in extremam confusionem res Ecclesiasticæ dilabentur. Si vero qui talia sunt ausi, competenti modo in ordinem redacti fuerint, sedabitur è vestigio omnis tumultus, debitaque Canonum reverentia ab omnibus conservabitur. Porro autem perlectis in sancta Synodo commenta-

mentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Cælestianorum, Cælestii. Pelagii, Iuliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentientium, quæ à pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes. Ut *autem omnia quæ gesta sunt clare cognoscas, etiam commentarios misimus, & Synodi subscriptiones. Valere te & nostri memorem esse oramus Dominum, dilecte & desideratissime.*

Hac epistola Synodali multa quidem observatu digna continentur; & primo quidem, seriem rerum in Synodo gestarum accuratissime explicat ad informandam Occidentalem Ecclesiam, ex qua demptis legatis Cœlestini nulli Ephesino Concilio interfuerunt: eamque ob causam hâc epistola, quam Cœlestinus omnibũ communicaret, omnia diligenter recensent. Secundo, docet Synodum ab Imperatoribus indictam diemque Pentecostes rebus agendis præfixum. Quodsi agnovissent monarchiam Romani Pontificis, aut Cœlestinum hoc indixisse Concilium, ut prætexunt homines obnoxii, nunquam certe id hac epistola, aut ipsemet Cœlestinus vel ejus legati in literis & actis silentio involvissent. Ad hoc directe & explicate non per ambages aut argutias scholæ respondeant adversarii: in rebus enim ad historiam spectantibus potius oculis ad legendum & intuendum, quam animo ad ratiocinan-

cinandum opus est. Quid dicere attinet ex epistolis Cœlestini ad Cyrillum & clerum Constantinopolinanum, liquere Cœlestinum potius in animo habuisse sua privata Synodo absque Synodi generalis convocatione Nestorium damnare, quam id judicio Concilii generalis permittere aut reservare. Et hinc illæ Imperatorum querimoniæ in priore epistola ad S. Cyrillum contra illos *qui forte imperare mallent quam in medium consulere, aut de ejusmodi rebus consilium audire*. Et hæc est causa ob quam nonnulli Pontifices Romani raro sponte sua & ultro assensum præbuerint convocationi & celebrationi Conciliorum generalium: quippe qui viderent se in Synodis generalibus, quam extra illas, non posse tam facile compotes fieri absolutæ potestatis & monarchiæ quam animo jamjam meditabantur. Quamobrem statim atque rumor aliquis de habenda Synodo generali vulgabatur, judicium generalis Concilii sæpe antevertere & dicere consueverant, nihil opus esse Synodo generali, ac se jam de re controversa sententiam pronunciasse : Neque propterea tamen Patres Concilii generalis à sua dicenda sententia in rem controversam, & ab examinando decreto Romani Pontificis sibi temperarunt, ut propriis locis ostendetur. At vero tempore Cœlestini pruritum absolutæ monarchiæ jam Romanos invasisse, liquet ex historia sexti Concilii Carthaginensis adversus

ſus Commonitorium Zoſimi, & progreſſu hujus hiſtoriæ amplius illuceſcet. Tertio oſtendunt, Joannem Antiochenum ſibi hæreticos & profligatæ vitæ Epiſcopos aſſeclas adſciviſſe, ut quondam in Synodo Sardica Arriani ſibi Donatiſtas ſocios contra Orthodoxos conciliarant. Quarto, Neſtorium trina citatione vocatum ad Synodum parere detrectaſſe, ac ſeſe militibus armatis obvallaſſe, quos milites ab Irenæo comite acceperat. Nam Imperatores Irenæum propter amicitiam quæ ei cum Neſtorio interceſſerat, ut eidem comitatum præberent paſſi fuerant. Quinto ſcripta Cyrilli in Neſtorium, deinde Neſtorii in Cyrillum cum epiſtola Cœleſtini primum examinata fuiſſe: tumque demum univerſorum Patrum conſenſu anathema dictum Neſtorio,&c. Quæ agendi ratio demonſtrat, Patres non fuiſſe exequutores ſententiæ Cœleſtini, ut editio Romana perſuadere vult: quandoquidem hæc Synodalis epiſtola declarat *communibus Patrum ſuffragiis hæreſim Neſtorii demolitam*: propria ſunt verba. Sexto, narratur ſcelus inauditum Joannis Antiocheni & ſuorum aſſeclarum, qui contra Canones in ſuperioris ſedis Epiſcopum ſententiam dicere auſus eſt: fingens Cyrillum errore Arriani & Apollinaris contaminatum, imo etiam totam Synodum excommunicavit: cum tamen certum ſit integra collegia excommunicari non poſſe. Verum Theodoretus Cyri Epiſcopus

ſcopus doctiſſimus & eloquentiſſimus, unus erat ex Epiſcopis qui Joanni Antiocheno tanquam ſuo Patriarchæ adhærebant: cumque minus bene doctrinam S. Cyrilli intelligeret, eumque erroribus Apollinaris ſordidari putaret, reprehenſiones ſcripſit in Anathematiſmos Cyrilli: & viciſſim Cyrillus in illum; eamque ob cauſam Theodoretus una cum Joanne Antiocheno ſua ſede privatus eſt à Patribus Epheſinis: neque perfecte reſtitui quivit ante Synodum Chalcedonenſem, ut dehinc probabitur. Septimo, docent Cyrillum & Memnonem tanquam reos ſtetiſſe coram tota Synodo, ac petiiſſe à Patribus, Joannem Antiochenum canonice trina citatione evocari, ut capita accuſationis quæ in illos habebat, ederet, & probaret coram Synodo: ſed Joannem Antiochenum parere noluiſſe, eamque ob rem Cyrillum & Memnonem declaratos innocentes & ſynaxes cum illis peractas, &c. Octavo, Joannes Antiochenus cum ſuis ſodalibus excommunicatur & dignitate ſacerdotali exuitur. Nono, hæc verba non parum habent ambiguitatis, in omnibus editionibus etiam Græcis: *Verum quo Ioannis temeritatem longanimitate vinceremus, etiamſi illam juſtiſſime, legitimeque ſubiviſſet, pietatis tuæ judicio hoc reſervavimus, interim illos excommunicatione ſubjicientes.* Ne quis forte ex hac formula loquendi æquivoca Papæ monarchiam adſtruat, quaſi Joannes Antiochenus ampliori judicio Cœle-

ſtini

ſtini reſervaretur poſt Synodale judicium: tum enim Patres nunquam à jure communi recedebant, ut liquet ex Concilii ſexti Africani Canonibus. Scio quidem in ſexta Synodo generali Imperatorem Conſtantinum Pogonatum epiſtola ad Leonem II ſcribere, rogatu Patrum ſe Macarium Antiochenum Epiſcopum, quem monotheletiſmi damnarant, mittere Romam, atque illius cauſam ampliori judicio Leonis permittere ob ſingularem hominis pervicaciam: Sed teſte Baronio hæc epiſtola adulterina eſt, ut alias oſtendetur. At vero, tantum abeſt ut Theodoſius Joannem Antiochenum Romam mitti voluerit, cum ſtudio ineundæ pacis inter Epiſcopos omnia acta contra Antiochenum Epiſcopum antiquarit, quia hic pervicax non fuit, ſed paulo poſt fidem Patrum Epheſinorum amplexus eſt, & cum Cyrillo Alexandrino in gratiam rediit. Utut ſit, dato quod Patres Epheſini hoc judicium Cœleſtino reſervari voluerint, ut Bellarminus pro certo aſſerit lib. ſecundo de Romano Pontifice, capite 13. inde colligimus primatum ſedis Apoſtolicæ quoad uſum & praxim multa habere ab Eccleſia quæ jure divino ei nullo modo competunt. Nunquam enim Epiſcopus Romanus tum auſus fuiſſet id ſibi aſſumere & reſervare quod ſacra Synodus ei ultro indulget: idemque eſt judicium de permultis aliis quæ demonſtrant non abſolute verum eſſe quod Nicolaus Papa

ſcribit, epiſtola ad Michaelem Imperatorem, ut arbitror; ſcilicet, *Nulla unquam Synodo conceſſum fuiſſe aliquod privilegium Eccleſiæ Romanæ.* Siquidem Nicolaus id pro certo ſtatuit quod eſt controverſum, nimirum Papam inſtitutum fuiſſe monarcham Eccleſiæ à Domino: quod omnes Patres qui octo primis univerſalibus Conciliis interfuerunt, pernegant, ut patebit. Decimo, Patres Epheſini narrant Arcadium & Projectum Epiſcopos atque Philippum presbyterum ſuppleviſſe locum ſedis apoſtolicæ atque Cœleſtini præſentiam exhibuiſſe. Undecimo, invitant Cœleſtinum ad ἀγανάκτησιν ſive *indignationem*, ob facinus inauditum Joannis Antiocheni adverſus S. Cyrillum, Memnonem, totamque Synodum. Duodecimo, acta ipſa cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum mittuntur ad Cœleſtinum nulla facta mentione quod Patres ejus conſenſum, approbationem aut confirmationem deſiderent, aut facultatem abeundi ab illo, ut ab Imperatoribus flagitent. Certe, ut ſæpe dixi, robur actorum Synodalium, totum à communione ſanctorum & catholico cenſenſu proficiſcitur, & legati Cœleſtini pro ipſo Cœleſtino aſſenſum præbuerant, ut demonſtratum eſt; Ideoque Patres hic nominatim dicunt Arcadium, Projectum & Philippum Cœleſtini præſentiam Synodo exhibuiſſe. Decimo tertio, perlectis commentariis eorum quæ Cœleſtinus contra Pelagianos Synodice

geſſe-

gesserat, ut tum moris erat, Patres suo assensu catholico omnia comprobant atque confirmant. Et ita patet ejusmodi hæreses solo Concilio generali sufficienter damnatas esse. Decimo quarto, petunt à Cœlestino ut in suis orationibus Patrum Ephesinorum recordetur.

XV. Porro Ephesini Patres, cum viderent Imperatorem Theodosium nihil respondere ad literas quibus petierant Cyrillum atque Memnonem in integrum restitui, omnibusque potestatem discedendi fieri : tertio alias literas ejusdem argumenti rescribunt quæ extant Actione VI Romanæ editionis inter Epistolas Catholicorum cum hoc principio : *Omnia quidem Christianissimi Imperatores* : & in Collectione Binii Tomo IV cap. 22. Quarum hæc est Conclusio, *sacram Synodum per legatos suos piissimos Episcopos porrectis manibus pietatis Imperatorum genua attingere, supplicare, ut ea quæ per subreptionem contra Cyrillum & Memnonem acta sunt, cum nullam ex sacris Canonibus vim obtineant, omnino nulla & irrita declarare : ne sancta Synodus suo destituatur capite & universi terrarum orbis sacerdotes intolerabili continuoque luctu Præsidum suorum causa conterantur*, &c. *Nam*, inquiunt, ET UNIVERSA OCCIDENTALIUM SYNODUS, *rectæ inculpatæque illorum fidei testimonium dat : & nos ipsi quoque plene hac de re edocti etiam scripto in commentariis pronunciavimus eos esse Orthodoxos, sanctorumque Patrum nostro-*

rum sententiam sectari circa apostolica catholicæque Ecclesiæ dogmata. Rogamus proinde Majestatem vestram, ut & nos quoque (omnes enim vinctis utpote fratribus sanctæque Synodi Præsidibus colligati sumus) à vinculis absolvat. Has autem literas septem Episcopi detulerunt Constantinopolim ad Imperatorem.

XVI. Actione VII editionis Romanæ, parte II Concilii Ephesini & Tomo II Collectionis Binianæ cap. 4. in Appendice, nec non Canone VIII Ephesinæ Synodi apud Photium legitur expostulatio Episcoporum Cypri, querentium de Joanne Antiocheno, quod contra Canones & consuetudinem antiquam sibi potestatem ordinandorum Episcorum arrogaret in Cypro: hanc autem controversiam Patres juxta Canones Nicænum VI. Antiochenos IX, XIII, & XXII. definiunt: itaque Synodus Ephesina ad hunc modum pronunciat: *Sancta Synodus dixit: Memor sit sancta Synodus Canonis sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum, qui conservat unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem: hic etiam memor sit Antiochiæ: Docete igitur, annon jus ordinandi ex more veteri apud vos habeat Antiochenus Episcopus.* Cumque Episcopi Cypri docuissent non habere, tandem Patres ita sanciunt: *Sancta Synodus dixit, Rem hanc quæ præter Ecclesiasticas constitutiones & sanctorum Patrum Canones innovatur, & omnium libertatem attingit, annunciavit piissimus Episcopus Rheginus, & qui cum eo piissimi Episcopi pro-*

provinciæ Cypri Zenon & Euagrius. Unde quoniam communes morbi majore egent remedio, eo quod majus damnum afferant, si non est vetus mos quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro sicut libellis & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri qui ad sanctam Synodum accesserunt: habebunt jus suum intactum & inviolatum qui sanctis in Cypro Ecclesiis præsunt secundum Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, per seipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes. Istud autem etiam in aliis diœcesibus & in omnibus provinciis servetur, ut nullus piissimorum Episcoporum aliam provinciam occupet quæ antea ab initio sub sua vel antecessorum suorum potestate non fuerit; sed & si quis occupaverit, vel per vim sibi subegerit, ipsam restituat: ne Patrum Canones prætereantur, neve sub sacerdotii prætextu, mundanæ potestatis fastus irrepat: ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus omnium hominum liberator. Placuit igitur sanctæ & œcumenicæ Synodo ut unicuique Provinciæ pura & inviolata, quæ jam inde ab initio habuit, sua jura serventur juxta veterem consuetudinem: & liberum sit cuique Metropolitano actorum exempla ad suam securitatem excipere. Si quis autem veterem typum contempserit, pœnam non effugiet: & si quis his quæ nunc decreta sunt, pugnantes literas attulerit, irritas esse decrevit sancta & universalis Synodus.

Hucusque Canon Ephesinus, qui consuetudine, atque Nicænis & Antiochenis

Canonibus fulcitur, clarissimeque demonstrat, Ecclesiam Canone & Aristocratico regimine gubernari oportere.

Demum septem illi Episcopi qui Synodicas literas detulerant ad Imperatorem Theodosium tandem humanitus accepti sunt ab illo: qui Nestorium exilio damnavit, atque memoratis septem Episcopis injunxit, ut se ad Ecclesiam Constantinopolitanam conferrent, aliumque à Nestorio Episcopum crearent; itaque Maximianum ordinarunt: imperatumque singulis Episcopis qui Ephesi erant, ut ad proprias quisque sedes redirent: vide tertiam partem Concilii Ephesini editionis Romanæ cap. 14. & 24.

XVII. Theodosius vero imperavit Joanni Antiocheno (hic enim pervicax non fuit) ut cum Cyrillo in gratiam rediret, eumque in finem utrisque literas per Aristolaum tribunum & Notarium mittit atque omnia quæ Synodus in Joannem decreverat, antiquari voluit: partem Epistolæ hic adscribam: *Interea vero*, ait Cæsar Theodosius Antiocheno, *dum exoptata pacis concordiaque & mutuæ inter vos amicitiæ conventio confirmatur, & per illa iter ad nostrum colloquium vobis patefactum fuerit, nulla prorsus quorumcumq; Episcoporum aut creatio, aut depositio aut quæcumque ordinatio tentabitur: sed si quid interim hujusmodi factum esse contigerit, id immotum & imperturbatum Ecclesiæ Catholicæ compositionem expectet: præsertim cum religiosissimi*

fissimi clerici ad divina ministeria exequenda sufficere queant, donec perfecta unio consequatur. Habes hæc à nobis, nec dubitamus si sinceram immotamque & Christiana sedulitate dignam animi nostri sententiam inspexeris, quin totis viribus, totaque mentis virtute in hoc incumbas, ut ea omnia quæ à nostra pietate orthodoxæ fidei sanctarumque Ecclesiarum uniendarum causa sancita, & ordinata sunt, tempestive conficiantur: nullum ejus rei gratia laborem aut fatigationem aut ignominiæ contemptum, aut injuriarum condonationem recusans. Si vero, quod non credimus, nostram hanc sententiam rectumq; propositum privato consilio humanaeque alicujus perturbationis impulsu contemnere ausus fueris, nostraque alia decreta parvi feceris, tibi imputabis, si Sanctitas tua obedientiæ & promptitudinis, quæ sanctæ Dei Ecclesiæ componendæ debentur, neglectæ; meritas pœnas dederit. Ambobus autem Cyrillo & Joanni Antiocheno præcepit, ut sese Nicomediam hujus reconciliationis ineundæ gratia conferrent, ut revera contulerunt, & dehinc literas sibi amicissimas invicem miserunt. Cyrilli ad Joannem hoc illustrissimo principio exornantur: *Lætentur cœli & exultet terra; solutus est enim medius paries maceriæ*, &c. tertia parte Concilii Ephesini cap. 34. & Collectionis Binii Tomo v. Ephesini Concilii cap. 6.

XVIII. Hercle sicut acta Concilii Ephesini clarissime docent, quantum Principes politici in dirigenda & constituenda externa

Ecclesiæ pace atque disciplina juris obtineant, ita & demonstrant Theodosium juniorem optimum, prudentissimum, & pissimum fuisse Imperatorem: de cujus immensis virtutibus lege Socratem lib. VII historiæ, cap. 22. Satis autem mirari non possum Baronium Tomo V. Annalium anno Christi 430. scribere Theodosium egisse cum Cœlestino, ut quasi ab illo facultatem convocandi Concilii Ephesini impetraret, eamque ob causam Binium in notis suis audacter asserere, Synodum Ephesinam auctoritate Cœlestini indictam, consilio, opera & auxilio Theodosii. Idem quoque Vallius refert lib. de Suprema potestate Papæ parte quarta quæstione secunda, sicut & Auctor præfationum historicarum. Sed uno verbo *cæci sunt & duces cæcorum*: neque hæc eorum assertio ullo probati auctoris testimonio firmari potest: & de illis quæ in Ecclesia primitiva fiebant ex hodierno Curiæ Romanæ dominatu à posteriori statuunt. Verumtamen ne quidem Pontifex hodie tantam habet potestatem in Concilia quantam jure exercuit Theodosius; ratio est, quoniam non potest absolute & per vim externam cogere quod imperat: obtendant licet illum monarcham esse infallibilem. Quod autem Curiales Cæsarem *Advocatum esse Ecclesiæ* & absque ulla cognitione causæ Papæ Imperia exequi debere imaginantur, meræ sunt fabulæ. Verum in præfatione historica Synodi Ephesinæ, ubi dici-

dicitur *Cœlestini auctoritate coactum fuisse concilium*, ad oram libri tertia actio Synodi ante medium, & quinta in epistola Synodali ad Cœlestinum citatur : sed falso, quoniam de hac re ibi ne ullum quidem verbum : ut hinc discant studiosi historiæ ecclesiasticæ, non facile ejusmodi auctoribus fidem adhibere, & fontes non rivulos sectari oportere.

CAPUT VIII.

I. *Historia pseudo-synodi Ephesinæ & Chalcedonensis Concilii.*

II. *Eutyches primum damnatus in provinciali Synodo à Flaviano Episcopo Constantinopolitano, ad ampliorem Synodum provocat & contestatorios libellos suæ Appellationis palam edit.*

III. *Literæ Imperatorum pro indictione secundæ Synodi Ephesinæ, ut causa Eutychis iterum recognosceretur : quæ initio leguntur, ut rebus agendis præfulgerent ; & nominatim edicunt Patriarchis, ut decem Metropolitanos ac totidem Episcopos mittant ad Synodum.*

IV. *Leo magnus PP. literas ab Imperatore accipit ejusdem tenoris cum literis missis ad alios Metropolitas.*

V. *Dioscorum secundæ Synodo Ephesinæ præsedisse juxta Canones, quorum Imperator vindex est.*

VI. *Singulos Episcopos Notarium suum habuisse in Synodis.*

VII. *Leo magnus supplicat Imperatori, velit jubeatque Concilium celebrari in Italia.*

VIII. *Flavianus damnatus à Dioscoro in secunda Synodo Ephesina quæ generalis erat, ad aliud Concilium appellat.*

IX. *S. Leo PP. Theodosii pietatem valde laudat quod secundam Synodum Ephesinam indixerit : & tamen Vallius illum peccasse dicit eo quod EphesinumConcilium convocarit.*

X. *Idem Leo Magnus supplicat Imperatori cum gemitibus & lacrymis nomine totius Occidentalis Ecclesiæ, ut velit jubeatque aliam Synodum generalem haberi in Italia, ubi cau-*

causa Flaviani atque Eutychis de integro tractetur : Imperatores autem Synodum Chalcedone indixerunt.

XI. *Vallius acta adulterat, ut probet S. Leonem omnibus Episcopis totius orbis Concilium indixisse.*

XII. *B. Leo diserte docet Synodum Chalcedonensem auctoritate & pracepto Imperatorum indictam.*

XIII. *Vallius impudenter asserit, Imperatores esse exequutores volantatis Romanorum Pontificum.*

XIV. *Patres Chalcedonenses explicate & nominatim docent, Imperatores cum senatu suo prasedisse, S. vero Leonem prafuisse Concilio : ac de utriusque vocis notione & differentia.*

XV. *Cur legati B. Leonis in hac Synodo sederint ante omnes alios Patriarchas contra quam factum est in antecedentibus Conciliis : Senatus autem ab Imperatore constitutus locum eminentiorem tenebat.*

XVI. *In omnibus actionibus Synodi Chalcedonensis Anatolius Episcopus Constantinopolitanus sedis atque suffragii prarogativam obtinet post legatos Papa, idque non modo legatis ipsis videntibus, & approbantibus, sed & Dioscorum reprehendentibus quod in secunda Synodo Ephesina secundum locum Flaviano minime dedisset*

XVII. *Ratio cur prima Concilia generalia tam exiguo temporis spatio confecta & terminata sint, ita ut unicuique Actioni unus tantum dies nec amplius quicquam impenderetur.*

XVIII *Eusebius Dorylensis Episcopus rationem injuriarum sibi factarum à Dioscoro petit ab Imperatoribus, non à Romano Episcopo.*

XIX. *Explicatio hujus vocis Synodus Episcoporum non clericorum est.*

XX. *Sententia Flaviani adversus Eutychem orthodoxa declaratur, quamquam lata fuisset priusquam Leoni Magno aliquid de facto Eutychis innotuisset.*

XXI. *Nomen Patriarcha primo usurpatum in hac Synodo, & Metropolitanis attributum fuisse.*

XXII. *Quid sit regularia tractare, & quare dum tractantur Laici ejusmodi judiciis interesse non debeant.*

XXIII. *De causis propter quas Dioscorus damnatur : & legatos Leonis PP. nominatim petere à sancta Synodo quid-*

nam

nam & qua forma sententiam in illum edi jubeat; Patres autem respondere, ut quæ placent Canonibus & regulis decernantur: quod est argumento certissimo, Ecclesiam Canone, non absoluta potestate gubernari.

XXIV. *Dum Patres in Synodis narrant se cum Papa sentire, non tam illius sententiam sequuntur, quam communione sanctorum illam declarant Scripturæ & Canonibus conformem; hacque de causa eam auctorant atque roborant.*

XXV. *Bellarminum Lege Cornelia Falsi teneri quoniam Acta ipsa vitiat.*

XXVI. *Patres Chalcedonenses nunquam Leonem Episcopum universalem aut caput universalis Ecclesiæ vocarunt, sed hoc adinventum est partim à legatis Leonis, partim à quibusdam clericis Alexandrinis inferioris ordinis, sibi justitiam contra Dioscori gravamina fieri postulantibus.*

XXVII. *Epistola Leonis Magni contra errorem Eutychis ad normam Symboli Nicæni, Constantinopolitani & definitionis Patrum Ephesinorum expenditur.*

XXVIII. *Mos Episcoporum ut in Actorum subscriptione suos Metropolitas præeuntes sequerentur, eamque ob causam Ægyptii damnato Dioscoro subscribere actis recusant quoad creatus fuisset alius Episcopus Alexandrinus.*

XXIX. *Martianus Imperator cum Pulcheria uxore die sanctæ Euphemiæ sese ad Synodum conferunt: ubi definitio Orthodoxæ fidei legitur conformis Symbolo Athanasii, & ab universis patribus obsignatur.*

XXX, *Idem Matianus, ubi omnes Patres suis subscriptionibus & propria voce se fidei difinitioni assensum præbere testati sunt, edicto suo Acta Synodalia confirmat: ita ut non modo Laicis, verum etiam clericis pœnas temporales irroget cum exauctoratione gradus clericalis.*

XXXI. *Synodus Chalcedonensis causam Theodoreti Cyrensis Episcopi de integro tractat: quamquam Leo Magnus illum ad suæ Ecclesiæ communionem admisisset, atque Imperator jussisset illum ad suam sedem admitti.*

XXXII. *Analysis Epistolæ Theodoreti ad Leonem Magnum, qua ostenditur Bellarminum frustra & perperam docere. Theodoretum appellavisse ad Leonem PP.*

XXXIII. *Legati Leonis deprecantur Imperatorem, quatenus pia lege sanciat, neque secundam Synodum Ephesinam nominari*

minari, neque quicquam tenere eorum quæ ibidem gesta sunt: quod est argumento, confirmationem & antiquationem Synodorum ab auctoritate Imperatoris pendere.

XXXIV. *De Codice Canonum quo Ecclesia Catholica tempore Synodi Chalcedonensis utebatur.*

XXXV. *Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus, ubi de eligendo Episcopo Ephesino agitur, ideo sedis & suffragii prærogativam habet ante sedis Romanæ vicarios, quod Ephesus subdita esset Constantinopolitano Episcopo iuxta tertium Canonem Constantinopolitani Concilii.*

XXXVI. *Episcopos gravatos solitos ad Imperatorem tanquam vindicem & propugnatorem Canonum confugere.*

XXXVII. *Patres Chalcedonenses, decretum Constantinopolitani Concilii de sedis Constantinopolitanæ prærogativa post Romanum Episcopum comprobant, atque eidem sedi Thraciam adjudicant.*

XXXVIII. *Expostulatio legatorum Papæ contra hunc Canonem & definitio Synodi super ea re.*

XXXIX. *Cur Romani Pontifices diligenter caverint ne sui legati Actionibus Conciliorum interessent, quibus Canones pro disciplina Ecclesiastica statuerentur.*

XL. *Patres Chalcedonenses à judicibus quos Martianus dirigendo Concilio præfecerat, veniam discedendi flagitant.*

XLI. *Edictum Martiani pro confirmatione gestorum Synodalium.*

XLII. *Synodalis Epistola Patrum ad Leonem Magnum, quæ illum tanquam caput præfuisse; Imperatorem vero præsedisse Concilio narrant.*

XLIII. *Oppositio & argumenta Leonis PP. contra vigesimum octavum Canonem Chalcedonensem, de prærogativa sedis Constantinopolitanæ dogmatice examinantur.*

XLIV. *Baronii & Binii rationes, contra 28 Chalcedonensem & tertium Canonem Constantinopolitanum depelluntur.*

XLV. *De motibus qui in toto Oriente post Cæsaris Martiani excessum propter definitionem fidei Synodi Chalcedonensis emerserunt.*

I. Quar-

I. QUartum Concilium generale vocatur Chalcedonenſe, quod eſt indictum & convocatum ab Imperatoribus Valentiniano & Martiano circa annum 451. in eoque ſexcenti & triginta Patres ſediſſe dicuntur. Summam totius hiſtoriæ breviter reſerabo. Eutyches Archimandrita ſeu abbas monaſterii Conſtantinopolitani, neſcio quo vanitatis & gloriæ ſtudio cum ab hereſi Neſtorii ſupra modum videri vellet abhorrere, cenſeretque idem eſſe duas in Chriſto naturas poſt unionem verbi cum humanitate, ac duas perſonas agnoſcere: pertinaciter aſſeruit Chriſtum poſt unionem naturæ divinæ cum humana, unicam tantum habuiſſe naturam. *Confiteor*, ait, *ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem: poſt vero adunationem unam naturam confiteor:* actione prima Synodi Chalcedonenſis: qua confeſſione Apollinaris hæreſim tuebatur & propagabat: Idque poſtea extitit ſeminarium hæreſis Monothelitarum, qui unam duntaxat in Chriſto voluntatem, divinam ſcilicet, agnoſcebant, ut in ſexto Concilio dicetur. Verum Euſebius Dorylenſis Epiſcopus, erroris Eutychis certior factus, cum ei valde amicus eſſet, eum ſæpe privatim monuit, ut reſipiſceret, ſervatis quidem gradibus à Chriſto præſcriptis in fratris peccato denunciando Eccleſiæ, Matthæi 18. tandemque illum accuſavit apud Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopoli: qui eam ob cauſam

ſam Synodum provincialem indixit Conſtantinopoli: ubi Eutyches poſt multas atque varias tergiverſationes Flaviano ſententiam pronunciante, & quoad errorem & quoad perſonam ſic damnatur.

II. *Per omnia Eutyches quondam Presbyter & Archimandrita, & ex his quæ antea acta ſunt, & propriis ejus confeſſionibus Valentini & Apollinaris perverſitate repertus eſt ægrotare & eorum blaſphemias incommutabiliter ſequi: quia nec noſtram reverens perſuaſionem atque doctrinam, rectis noluit conſentire dogmatibus: unde lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem, decrevimus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab eo blaſphematum, extraneum eſſe ab omni officio ſacerdotali, & à noſtra communione, & primatu monaſterii: ſcientibus hoc omnibus qui poſtea colloquentur ei, & ad eum convenerint: quoniam rei erunt & ipſi pœnæ excommunicationis, ſicut qui non declinaverunt confabulationes ejus.* Lege primam actionem Synodi Chalcedonenſis. Porro juxta diſciplinam illorum temporum, quam habes explicatam in Analyſi epiſtolæ Patrum Africanorum ad Cœleſtinum Papam (ex qua diſerte conſtat *illos qui judicio Cognitorum offenſi fuerint, poſſe ad Concilia ſuæ provinciæ vel etiam ad univerſale appellare*) Eutyches de hac ſynodali ſententia Flaviani ad ampliorem ſanctorum communionem, hoc eſt, ad generalem Synodum appellavit. Certe eventus & diſciplina tum uſitata declarant, Eutychis appel-

appellationem de ampliori aut generali Concilio intelligi : idque actione prima Synodi Chalcedonensis folio sexagesimo sexto Surianæ, trigesimo septimo Binianæ & centesimo quadragesimo nono editionis Romanæ comprobatur : ubi quidam Episcopi referunt Eutychem, cum damnaretur, *appellasse sanctum Concilium Episcopi Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, & Thessalonicensis :* alii vero illum dixisse duntaxat: *Si præceperint mihi Patres Romanus & Alexandrinus dico hoc ipsum*, &c. Qua ex oratione homines obnoxii sophistice inferunt jus appellandi ad Romanum Pontificem : cum tamen nihilo magis usui sit Romano quam Alexandrino, & aliis Patriarchis, ex quibus Synodus universalis necessario coalescit : in qua Romanus Episcopus præter prærogativam primatus nihil habet super alios. Et hinc refellitur Auctor Præfationum Historicarum, qui in historia Synodi Chalcedonensis persuadere tentat, Eutychem provocasse ad sedem apostolicam : idque ut roboret, falso laudat octavam, nonam & decimam epistolam Leonis magni, quia nihil tale tinniunt : quamquam Leo omnibus suis Epistolis quantum potest, etiam sæpe contra Canones suam & sedis apostolicæ potestatem venditet : in octavo quidem epistola memorat *Eutychem libellum Appellationis in ipso judicio obtulisse, & contestatorios libellos Constantinopoli proposuisse.* At vero sedem apostolicom appellasse

lasse ne quidem verbum: hoc autem Leonem omittere voluisse nemo in animum inducet, qui sciverit illum permaximum fuisse auctoritatis Papalis amplificatorem. Cæterum per contestatorios libellos Leo intelligit *Commentarios pravocatorios ad Concilium, & querimoniam doloris sui continentes*, ut ipse Leo appellat epistola septima ad Theodosium Augustum parte prima Chalcedonensis Concilii cap. 3. Romanæ editionis; Galli vocant *Griefs*. Hercle cum Eutyches gratiâ valeret apud Theodosium propter Chrysaphium Eunuchum qui Flaviano erat infensus, facile impetravit à Cæsare, ut ejus causa de integro tractaretur Synodo universali. Et hinc proclive est vanitatem Baronii confutare, qui cum observaret Flavianum epistola ad Leonem Magnum, quæ legitur apud Binium post sextam Leonis Epistolam, ita scribere: *causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere: sic enim hæresis quæ surrexit & turbæ quæ per eam factæ sunt facile destruentur Deo cooperante per vestras sanctissimas literas: removebitur autem & Concilium quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Cum, inquam, Baronius hæc observaret scribi à Flaviano, inde pesuadere vult *tantam vim inesse literis apostolicis, ut nihil opus sit œcumenico Concilio, postquam Papa literis suis controversiam definivit:*

To-

Tomo VI. Annalium anno 449. circa initium: ſed cauſam metus Flaviani ſubticet: cum enim ſciret Chryſophium valde amicum eſſe Eutychi, & ſibi infenſiſſimum, ac eundem Chryſaphium multum gratia valere apud Theodoſium Cæſarem, quaſi ſpiritu prophetico necem ſibi impendentem præſagiens, propter turbas Eutychis & aſſeclarum, Leonem magnum rogat, ut ejuſmodi turbis quantum fieri poſſet iret obviam, atque periculum quod ex Synodi alterius celebratione imminebat, avertere conaretur confirmando Flaviani ſententiam. Verum Theodoſius Synodum congregari voluit Epheſi anno Chriſti 448. cumque in finem literas miſit ad omnes Motropolitanos, necnon pariter ad B. Leonem juxta diſplinam obſervatam in prima Synodo Epheſina: quæ literæ Imperatorum extant in fronte primæ actionis Synodi Chalcedonenſis, quas adſcribam, ubi obſervavero in ſecunda Synodo Epheſina, eundem plane ordinem ſervatum ac in primo EpheſinoConcilio.

III. Enimvero prima actione ante omnia leguntur literæ Imperatorum ad omnes Metropolitanos pro indictione & celebratione Concilii: atque Julianus Epiſcopus, legatus Leonis Magni fatetur Leonem ejuſdem plane argumenti & formæ literas accepiſſe ab Imperatoribus folio 21 Surianæ, 9. Binianæ, & editionis Romanæ, fol. 66. Quandoqui-

dem, *ubi Ioannes presbyter primicerius Notariorum dixit: Placuit & nunc piissimis & Christianissimis Imperatoribus nostris sancire sanctam & magnam vestram Synodum huc concurrere, quatenus quæ nuper emerserunt de Catholica fide quærantur, & radicitus evellantur*, &c. *Dioscorus Archiepiscopus Alexandrinus* (qui huic Synodo præerat) *petiit ut legerentur literæ redditæ unicuique Metropolitano, ut præfulgerent in Actorum serie: Ioannes autem presbyter & Primicerius Notariorum sic recitavit:*

Imperatores, Cæsares Theodosius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, maximi, semper venerabiles, Augusti, Dioscoro. Omnibus constat manifestum, quia nostræ reipublicæ dispositio, & universa humana per pietatem circa Deum continentur, & confirmantur. Deo enim propitio constituto, prospere & secundum vota nostra gubernari res & perficere solent. Imperium ergo divino nutu sortiti, subditis pro pietate & mansuetudine similiter necessario plurimam solicitudinem impartimus, quatenus & vera religio, & nostra respublica cultu Dei purissimo & pietate firma præfulgeat. Quoniam igitur in præsenti subita emergente dubitatione ad Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ ac nostræ fidei custodiam, quæ, ut fit, diversis sententiis impugnata conturbat & confundit hominum sensus & animas: intolerabile duximus hujusmodi delictum contemnere, ne per talem negligentiam ipsi Deo inferre contumelias videremur: ideoque sancimus in unum Sanctissimos & Deo placitos convenire

venire viros, quibus pro pietate Catholica atque vera fide plurimus sermo est, ut universa quidem talis vana dubitatio subtili proposita inquisitione solvatur: vera autem & Deo amica Catholica fides firmetur. Igitur & tua Sanctitas sumptis secum decem reverendissimis Metropolitanis Episcopis qui sub tua degunt diœcesi, & aliis similiter decem sanctis Episcopis sermone & vita ornatis, qui in doctrina & scientia rectæ & immaculatæ fidei præ cunctis apud cunctos eminent, proximis Kalendis Augusti Ephesum Metropolim Asiæ convenire absque ulla dilatione festinet, nullo scilicet alio præter prædictos viros sanctam Synodum molestante: quatenus universis Sanctissimis & beatissimis Episcopis, quos convenire per sacras nostras epistolas sancimus, ad prædictam concurrentibus civitatem, & subtilissime investigantibus & quærentibus, omnis de medio error contrarius auferatur: Catholica autem doctrina & orthodoxæ fidei salvatoris nostri Jesu Christi amicissima solidetur & consuete effulgeat: quod universi in posterum inconcussum Deo propitio & intemeratum custodiant. Si quis vero tam necessariam & vere Deo amicam Synodum prætermiserit, & non omni virtute secundum prædictum tempus adpræfinitum locum pervenerit, nullam excusationem neque apud Deum neque apud nostram inveniet pietatem. Sacerdotalem enim conventum non nisi quis mala propria conscientia sauciatus evitat. Theodoretum sane Episcopum Cyri civitatis, quem pridem jussimus suæ soli vacare ecclesiæ, sancimus, non prius ad sanctam Synodum convenire,

 nisi

nisi universo sancto placuerit convenienti Concilio, & ipsum concurrere & pariter interesse. Si vero aliqua discordia de eo emerserit, absque illo sanctam Synodum convenire, & quæ jussa sunt ordinare præcipimus. Datum 3 Kal. Aprilis Constantinopoli, &c.

IV. His perlectis literis *Iulianus Episcopus agens vices Sanctissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Leonis & interpretante eum Florentio Episcopo Lydiæ dixit* : EODEM TENORE *à piissimis & Christianissimis Imperatoribus Sanctissimus noster Papa Romanæ Ecclesiæ præpositus Leo vocatus est. Hilarius diaconus Romanus, interpretante eum Florentio Episcopo, dixit : Gloriosissimi & Christianissimi Imperatores charitatem circa catholicam fidem & affectum tenentes, beatissimum Episcopum nostrum Leonem apostolicæ sedis Præsulem, ut huic venerabili & sancto Concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas supplicarunt, cujus pietati placere potuit, si in hac re aliqua teneretur similitudo. Nam melius vestra potest cognoscere sanctitas, quia neque in Nicæa, neque in Ephesina sancta Synodo, neque in alio tali sancto Concilio Papa perpetuæ sanctissimæ sedis adfuit, pro qua re hujus forma sequens consuetudinem nos direxit*, &c.

Quæ ex Collectione clare & necessario novem inferimus consectaria, quibus ea confirmantur quæ actis primæ Synodi Ephesinæ explicata sunt : Primum est, Patres solitos exordiri Concilium à lectione sacrarum literarum Imperatoris, ut in tota serie actorum ordini præfulgerent. Secundum, ideo

ideo literas Imperatorum miſſas ad Dioſcorum legi, quia Dioſcorus ſecundo Concilio ſicut S. Cyrillus primo Epheſino præerat: neque enim hîc legati Leonis, Theodoſio ſuperſtite contendunt de præſidentia, quod eſt valde notandum. Tertio ad inveſtigandum conſenſum catholicorum & ſanctorum communionem, Imperatores jubent omnes Epiſcopos in unum convenire quatenus fides Catholica firmetur. Quarto his literis ad omnes Metropolitanos emiſſis (quod eſt præſertim de Patriachis & primatibus intelligendum (nominatim edicitur, ut decem Metropolitanos & totidem Epiſcopos ex ſua quiſque diœceſi delectu habeant, quo ſeſe conferant ad Synodum. Et ita confirmatum remanet quod ſupra capite 2. in explicatione ſexti Canonis Nicæni obſervavimus: ſcilicet omnes Primates aut Patriarchas habuiſſe diœceſes ac tribus modis poſſe conſiderari; primum, ut ſunt particulares Epiſcopi unius paræciæ aut diœceſis & hoc modo presbyteros tantum ſibi ſubditos; ſecundo ut ſunt Archiepiſcopi & Metropolitæ, ſicque habent plures Epiſcopos ſibi ſuffraganeos: tertio, ut Primates & Patriarchæ, ſicque præſunt pluribus Metropolitanis. Unde cum hæ literæ etiam ad Romanum Epiſcopum, ſicut & ad Alexandrinum & Hieroſolymitanum miſſæ fuerint, clarum evadit quanto in errore verſentur qui Primatum aut Patriarchatum

Papæ, an ſolas Eccleſias ſuburbicarias coërcent: ſiquidem Archiepiſcopatum pro Patriarchatu ſumunt: certumque eſt, Ruffinum cum de eccleſiis ſuburbicariis loquitur, patrem propinquiorem & notiorem Romani Patriarchatus ſignificare, quam Epiſcopus Romanus ſeculo illo jure communi regebat, & in Synodum provincialem bis annuatim tanquam Archiepiſcopos aut Metropolita cogebat juxta quintum Canonem Nicænum. Quocirca ordinario & communi jure Appellationes eccleſiarum ſuburbicariarum devolvebantur ad Epiſcopum Romanum, velut ad proprium Metropolitam aut Archiepiſcopum: quod eſt ſæpius dicendum. Procul dubio qui de Metropolibus aut Patriarchatibus diſputant tantum merentur fidei, quantum lucis habent ex praxi diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ eſt indubitata regula judicandi de ejuſmodi controverſiis. Quintum conſectarium eſt, Imperatores diem certum celebrando & inchoando Concilio præfigere: idque proprie eſt Synodum indicere, ut jam alias oſtendimus: ſiquidem volunt Kal. Aug. inchoari, &c. Sexto, quamquam poſt primum Concilium Epheſinum quando Imperator Theodoſius Joannem Antiochenum cum Cyrillo in gratiam redire voluit, omnia acta adverſus Epiſcopos Orientales antiquarit, ut paci Eccleſiæ conſuleretur: nihilominus hic Theodoretum Cyri Epiſcopum, qui adverſus S. Cyrillum ſcripſerat,

ſerat, ſedem & ſuffragium habere in Synodo vetat, niſi ita videatur Patribus. Septimo, Julianus Epiſcopus legatus Leonis magni, nominatim fatetur literas Imperatorum *eodem tenore miſſas ad Leonem, quam ad Dioſcorum & alios Metropolitanos*. Octavo, Hilarius diaconus excuſat S. Leonem, quod non interſit Epheſinæ Synodo, quia moris non ſit, &c. quod autem ait *Imperatores ſupplicaſſe Leoni ut Synodo intereſſet*, id certe non iis congruit quæ Julianus dixit, nimirum, Leonem accepiſſe ab Imperatoratoribus literas ejuſdem argumenti & tenoris cum literis quæ initio Synodi perlectæ ſunt. Quæ literæ non ſupplicant ſed imperant, atque etiam omnibus qui non adfuerint interminantur. Profecto in nullo Concilio, ne quidem in ſexto, & ſeptimo, Imperatores quamquam majeſtate & potentia Imperii longe diſpares Theodoſio, ſupplicant, ſed duntaxat exhortantur Pontifices ad celebrationem Concilii, ut patebit. Sed quid externis opus teſtimoniis, cum ipſemet Leo epiſtola nona ad Theodoſium Cæſarem, qua literis Imperatorum emiſſis ſuper indictione ſecundi Concilii Epheſini reſpondet, non dicat Imperatorem uſum ſupplicatione, imo ipſe ſupplicat Imperatori ad hunc modum: *ſi pietas veſtra ſuggeſtioni ac* SUPPLICATIONI NOSTRÆ *annuere dignetur, ut intra Italiam haberi jubeatis Epiſcopale Concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia ſcandala reſecari,*

ri, &c. Item epistola decima tertia ad Pulcheriam Augustam sororem Theodosii, clare demonstrat, Concilii indictionem absolute à voluntate Imperatorum pendisse, & se excusat quod illi interesse non possit: *Augustissimus vero & Christianissimus Imperator cupiens quam clerrime turbata componi*, inquit, *Episcopali Concilio*, QUOD EPHESI VULT HABERI, NIMIUM BREVE ET ANGUSTUM TEMPUS INDIXIT DIEM KALENDARUM AUGUSTI *præstituendo conventui, cum à tertio iduum Majarum, quo Serenitatis ejus scripta suscepimus, major pars reliqui temporis assumenda, ut profectio sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud quod Pietas ejus etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri: quia rerum præsentium nimis incerta conditio, à tantæ urbis populis me abesse non sineret, & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ ecclesiasticæ viderer patriam & sedem apostolicam velle deserere*, &c. Nono observandum in hac secunda Synodo Ephesina & Chalcedonensi, legatos B. Leonis loqui per interpretem, ita ut latine proponerent quæ deinde quispiam alius Græce Patribus explicabat: quod pariter factum est in prima Synodo Ephesina: idque in causa fuit, ut eorumdem relatio sæpe involuta & implicata sit, adeo ut Oedipo nonnunquam egeat.

V.

V. Porro Discorum Patriarcham Alexandrinum præsidem extitisse in secundo Concilio Ephesino liquet ex epistola Theodosii Augusti Actione prima Synodi Chalcedonensis fol. 19 Surianæ, 7 Binianæ & 61 Romanæ editionis: *Dioscoro, Reverendissimo Episcopo Alexandriæ. Antehac quidem Theoretum Episcopum civitatis Cyri præcepimus in sanctam Synodum minime convenire donec de eo quæ placuerit Synodus sancta constituat: aversati eum quia assumpsit proferre contraria his quæ conscripsit de fide sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinæ quondam civitatis Episcopus. Quoniam vero suspicamur aliquos sectatores Nestorii assumere studium & conferre, ut omnimodo intersit sancto Concilio: hac de causa necessarium diximus, his sacris literis uti ad tuam Reverentiam, per quas manifestum facimus tuæ Beatitudini & universæ sanctis Synodo, quod nos regulas sanctorum Patrum sequentes, non solum propter Theodoretum, sed alios omnes, qui ad congregatum sanctam Synodum pertinent* AUCTORITATEM ET PRIMATUM *tuæ præbemus Beatitudini, scientes diligentius quod & reverendissimus Archiepiscopus Hierosolymorum Iuvenalis, & beatissimus Archiepiscopus Thalassius & omnis talis fervens amator & æmulator orthodoxæ fidei, consentanei erunt tuæ Sanctitati, radianti per Dei gratiam honestate vitæ & Catholica fide. Eos namque qui aliquid per additamentum aliquod aut imminutionem conati sunt dicere præter quæ sunt exposita de fide Catholica à sanctis Patri-*

bus qui in Nicæa, & postmodum qui in Epheso congregati sunt nullam omnio fiduciam in sancta Synodo habere patimur : sed & sub vestro judicio esse volumus : quia hac de re & nunc sanctam Synodum disposuimus convenire. Eodem tenore Juvenali reverendissimo Episcopo Hierosolymorum.

Vel ex his literis discent Adversarii quanta auctoritate pollerent Imperatores in Conciliis constituendis : quippe qui etiam decernerent ad quos Patriarcharum munus præsidendi pertineret : quandoquidem id muneris Dioscoro Alexandrino & Juvenali Hierosolymorum Episcopo adscribitur. Quod si forsan hinc aliquis inferat falsum esse quod supra docuimus, nimirum omnes Patriarchas pro jure atque ordine sedium suarum Conciliis, sicut præsides Parlamenti Actionibus præsidere consuevisse : Oppones, rationem præsidendi absente Romano primæ sedis Episcopo ad secundam sedem Constantinopolitanam jure pervenisse : verumtamen quia in secunda Synodo Ephesina de firmanda aut infirmanda Flaviani Archiepiscopi Constantinopolitani sententia adversus Eutychem agebatur : Ideo Flavianum præsidendi partes obire non potuisse, cum esset in causa; itaque jus præsidendi ad Dioscorum tertiæ sedis Episcopum devolutum erat : hocque Cæsar suis literis pro Canonum exequutione declarat. Quod autem insuper Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum, relicto Domno An-

Antiocheno Epiſcopo qui Joanni ſucceſſerat una cum Dioſcoro præſidere vult, hoc factum à Theodoſio arbitror, propterea quod in prima Synodo Epheſina Juvenalis præſidendi partes ſuſtinuerat: fortique animo adverſus Neſtorium & Joannem Antiochenum Domni præceſſorem decertarat, idemque facturum Juvenalem in ſecunda Synodo Epheſina ſperabant Imperatores: neque Domni Antiocheni meminerunt propter acta Joannis præceſſoris ſui, tum etiam quia nuper ad Antiochenam ſedem fuiſſet aſſumptus, neque ſatis calleret diſciplinam Synodorum. Quæ omnia ſpectant ad ἀταξίαν quam Princeps politicus præſtare vendicare debet pro juris Divini, Naturalis & Canonum vindiciis. Procul dubio ante Synodum Chalcedonenſem hoc jus præſidendi juxta ordinem ſedium patriarchalium nunquam controverſum eſt à Papæ vicariis. Unde cum initio primæ Actionis Chalcedonenſis paulo ante epiſtolam Euſebii Dorylenſis ad Cæſares Lucentius Epiſcopus Leonis legatus urgeret, *ut Dioſcorus redderet rationem primatus à ſe præſumpti, & quod Synodum auſus ſit facere ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit; nunquam factum eſt*, inquit. Ad hæc poſtulata Patres nihil reſpondent aut aliquid decernunt, eo quod apprime ſcirent, Dioſcorum congruenter ad Canones præſediſſe Synodo. Item tertia Actione fol. 118 Surianæ, 37 Binianæ; & actione

III.

III. fol. 244 Romanæ collectionis Conciliorum, instantibus legatis Papæ, quod Dioscorus *præsumpsisset sibi primatum irregulariter. & in communione suscepisset Eutychem priusquam consideret in Epheso cum Dei amantissimis Episcopis* : iidem Patres super ea re nihil sciscunt. Hercle, Juvenalis Episcopus & Hilarius diaconus legati Leonis Magni in secunda Synodo Ephesina non sunt questi de præsidentia Dioscori : sed duntaxat Lucentius occasionem captavit in Synodo Chalcedonensi dum observavit furorem hominis istius permultis aliis in rebus, quas vi majore tanquam prædo in secunda Synodo Ephesina gesserat, justam occasionem postulandi dedisse. Omitto pariter, eosdem Leonis vicarios æque justam habuisse causam conquerendi de præsidentia Juvenalis Hierosolymitani in secundo Ephesino Concilio, quam de ipsomet Dioscoro, cum certum sit Juvenalem supra Domnum Antiochenum sedisse, nihilominus de hac re nullum committunt verbum. Quocirca lector hic observabit praxim indubitatam juris præsidentiæ sedium Patriarchalium, idque à voluntate Romani Pontificis minime pendisse, sed tantum à consuetudine, Canonibus, & Edictis Imperatorum pro εὐταξίᾳ & Canonum vindiciis. Et hactenus de indictione & præsidentia secundi Concilii Ephesini. Equidem ubi S. Leo observavit Cæsares velle pro facto Eutychis, quem Flavianus Constantinopolita-
nus

nus damnarat, haberi Concilium generale, quantum potuit id remoratus est. Nam primo scripsit ad Theodosium, nihil opus esse Synodi celebratione, quoniam errorem Eutychis damnatione anticipasset: Deinde postquam accepit, Theodosium firmiter in eo hærere proposito ut Synodus celebraretur ab eodem petiit saltem juberet eam potius in Italia quam in Oriente haberi: quod diserte erat contra Canones *qui volunt negotia omnia terminari ubi nascuntur*, non ad commodum aut placitum Romani Episcopi. Tandem ubi Pontifex Romanus se id ab Imperatoribus consequi non posse observavit, legatos misit ad secundam Synodum Ephesinam, scilicet Julianum Episcopum, Renatum presbyterum, & Hilarium diaconum cum Dulcitio Notario.

VI. Cæterum liquet ex Actis *singulos Episcopos solitos habere secum in Synodis Notarium*; hoc enim actione prima Synodi Chalcedonensis legitur, fol. 23 Surianæ, 10 Binianæ & 70 editionis Romanæ; verum quæ dixi de Leone Magno, habentur Tomo I Conciliorum, epistola Leonis IX, XII, XIII XIV, XV, XVI, Collectionis Surianæ: Binianæ autem IX, XII, XV, XVI & XVII: in Romana editione series epistolarum Leonis aliter texitur, quia non omnes epistolas Leonis ad hanc Synodum facientes, sed aliquas tantum delectu habet, ideo hic à me non numerantur: vide tamen primam partem Chalcedonensis Concilii editio-

tionis Romanæ, cap. 10, 11, 12, 13 & 17.

VII. Hic ego assumentum nonæ epistolæ ad Theodosium exscribam: *Nos enim, venerabilis Imperator, sicut Nestorii dogma perversum merito anathematizavimus, ita juste etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino nostro Jesu Christo susceptam damnamus: unde si pietas vestra suggestioni* AC SUPPLICATIONI NOSTRÆ ANNUERE DIGNETUR, *ut intra Italiam haberi jubeatis Episcopale Concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari; & per universum regnum vestrum Catholicæ fidei integritate servata, & pacem Christianam manere, & vestram apud Deum crescere gloriam gaudemus*, &c. Hic audis, Leonem, quamquam in omnibus suis epistolis tecte & stricte loquentem de potestate Imperiali, tamen supplicare Imperatori, ut velit & jubeat Concilium haberi in Italia. His & adjungenda epistola XIV ad secundam Synodum Ephesinam, in qua postquam elatissime de S. Petri & sedis Apostolicæ privilegiis loquutus est, nihilominus ista subjungit quæ certissima sunt Aristocratici regiminis monimenta: *Verum quia etiam talium non est negligenda curatio, & pie ac religiose Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis eror possit aboleri, fratres nostros Iulianum Episcopum, & Renatum presbyterum & filium meum Hilarium diaconum, cum-*

cumque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei misi: qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint, COMMUNI VOBISCUM SENTENTIA QUÆ DOMINO SUNT PLACITURA CONSTITUANT. Quæ postrema formula, *communi vobiscum sententia*, &c. demonstrat in Synodis omnia consensu Catholico & sanctorum communione, minime vero unius absoluti monarchæ imperio stabiliri: & falsum esse, ut etiam supra in prima Synodo Ephesinæ notavimus, *Patres exequutores esse decretorum Romani Pontificis*, ut placet Curiæ Romanæ asseclis. Quod si S. Leo ita loquitur, cum inter omnes Pontifices maximus fuerit auctoritatis Pontificiæ assertor, inde pronum est de aliis ad absolutam infallibilem potestatem spectantibus ex rei veritate censere. Procul dubio nihil quicquam secundæ Synodo Ephesina quoad indictionem convocationem & præsidentiam defuit, quin œcumenica & universalis haberetur: sed tantum quo ad libertatem viamque & rationem procedendi: quoniam Dioscorus Patriarcha Alexandrinus Præses Concilii cum simultates cum Flaviano Constantinopolitano Patriarcha exerceret, milites & monachos armatos Eutychis fautores in sacrum conventum introduxit, atque Leonem Magnum quia Eutychem damnaverat, excommunicavit; Flavianum vero qui primus adversus eundem Eutychem decreverat, non modo exauctoravit, verumetiam tru-

trucidari curavit : necnon etiam omnes Patres qui Synodo intererant chartis albis per vim ſubſcribere coëgit : quibus chartis deinceps quæcumque libuit inſcripſit, ut Eutychis hæreſim comprobaret: hicque fuit Synodi Epheſinæ exitus, quam proinde Patres λῃςρικὼ, id eſt, *prædatoriam*, merito indigitarunt.

VIII. Cæterum Dioſcoro ſententiam adverſus Flavianum Conſtantinopolitanum epiſcopum pronunciante hic contra conceptis verbis reclamavit: *Appello à te Dioſcore*. Deinde Hilarius eccleſiæ Romanæ diaconus, quem Leo Magnus ad Synodum miſerat *Contradicitur*, inquit : vide fol. 95 Surianæ, 57 Binianæ, & 183 : Romanæ Collectionis. Quare Leo Magnus ſcribit, *ſuos legatos reclamaſſe actis, & Flavianum Epiſcopum eiſdem dediſſe libellum Appellationis*, epiſtola XXIV & XXV Leonis ad Theodoſium Cæſarem. Quod ſi obnoxii ſcriptores hæc in eam partem detorquere velint, ut cenſeant Flavianum ad ſedem Apoſtolicam provocaſſe; contra excipies, intelligi oportere de ampliori ſanctorum communione & generali Synodo, ut paulo ante de Eutychis appellatione numero ſecundo docuimus: Idque eventus ipſe & literæ Leonis Magni, Concilium generale ab Theodoſio poſtulantis confirmant, ut ſtatim oſtendetur : alias docui quando neceſſitas habendi Concilii generalis occurreret, Epiſcopos, & maxime Patriarchas ſolitos indictionem Sy-

nodi

nodi apud Imperatores procurare: idque in causa fuisse cur Theodosius Augustus S. Cyrillum reprehenderet quod eum minime errorum Nestorii commonefecisset, ut huic malo Synodi indictione occurreret.

IX. Porro Vallius parte IV. quæst. II. de Suprema potestate Papæ, cum veritatem historiæ nesciret, aut negare non auderet, diverticula sophistica mediatur: nimirum, *Theodosium juniorem convocando Synodum Ephesinam, sicut & in aliis plerisque, graviter pecasse, quod voluntati Leonis non acquieverit: hacque de causa istam Synodum perturbatissimam & plane prædatoriam fuisse.* At profecto cavillatoris est eventis quæstionem juris obruere, cum rerum successus à multis concausis pendeant, quæ in manu hominum non sunt. An, rogo, indictio causa fuit istius eventus? Equidem S. Leo longe aliter de hac re judicat, quando Theodosium summis effert laudibus, quod curam rerum ecclesiasticarum capesseret, & ad Synodi celebrationem animum adjungeret. Primo enim Cæsarem sic affatur epistola VII: *Quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ clementiæ præpararit, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur*: UT NOBIS NON SOLUM REGIUM, SED ETIAM SACERDOTALEM ANIMUM INESSE GAUDEAMUS: *siquidem præter Imperiales & publicas curas, piissimam solicitudinem Christianæ religionis habetis: ne scilicet in populo Dei, aut schismata aut hæreses*

aut ulla ſcandala convaleſcant, &c. Quæ quidem oſtendunt Theodoſium, *velut communem Epiſcopum aut ſacerdotem* curam geſſiſſe externæ diſciplinæ. Item epiſtola duodecima: *Quoniam tamen pietas veſtra, quæ in honorem Dei religioſiſſime Catholicam diligit veritatem apud Epheſum conſtituit, Synodale Concilium, ut imperito ſeni* (Eutychem deſignat) *in quæ nimis caligat, veritas innoteſcat: fratres meos Julianum Epiſcopum*, &c. Item epiſtola XIII. ad Pulcheriam Auguſtam ſororem Theodoſii: *Auguſtiſſimus vero & Chriſtianiſſimus Imperator cupiens quam celerrime turbata componi Epiſcopali Concilio, quod Epheſi vult haberi, nimium breve & auguſtum tempus indixit.* Item Epiſtola decima quarta: *Verum quia etiam talium non eſt negligenda curatio, & pie ac religioſe Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium*, &c. Item epiſtola decima quinta ad Flavianum: *Et quia Clementiſſimus Imperator pro Eccleſiæ pace ſolicitus Synodum voluit congregari*, &c. Item decima ſexta ad Theodoſium: *Acceptis Clementiæ veſtræ literis, & multum univerſali Eccleſiæ gaudendum eſſe proſpexi, quod Chriſtianam fidem, qua divinitas honoratur & colitur in nullo vult eſſe diſcordem*, &c. *Unde quamvis ad diem Concilii Epiſcopalis quem Pietas veſtra conſtituit, accurrere me ratio nulla permittat, quum nec aliqua ex hoc exempla præceſſerint*, &c. *tamen in quantum Dominus juvare dignatur meum ſtudium commodavi, ut Clementiæ veſtræ ſtatutis ali-*

aliquatenus pareatur : ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis ſcandalis pro cauſæ æquitate ſufficiant, quique præſentiæ meæ impleant vicem. Quibus omnibus literis S. Leonis confirmatum redditur, magnæ pietati, & zelo prudenti Theodoſii attribui, quod Synodum ſecundam Epheſinam ad unitatem fidei ubique conſtituendam indixerit. Recte quidem; *quoniam Imperatar tanquam Dei vicarius & miniſter, ac protector Eccleſiæ, eſt Juris Divini, Naturalis & Canonici vindex : (etiam erga ipſum Papam, ne quid tergiverſentur adverſarii:) eamque ob rem illi jus Conciliorum generalium indicendorum & convocandorum competit : adeo certe, ut ſi quid mali ex negligentia aut ceſſatione Conciliorum Chriſtianæ Reipublicæ accidat, Imperatores ejus rei culpam coram Deo præſtare teneantur.* Ex quo fit, ut Conſtantinus, Theodoſius, & alii Imperatores qui ſedulam navarunt operam in curanda externa diſciplina Eccleſiæ, ſummopere ab omnibus collaudentur, ut propriis locis declarabitur. Et hactenus de ſecunda Synodo Epheſina prædatoria.

X. At vero poſtquam S. Leo per Hilarium diaconum Eccleſiæ Romanæ, quem ſæpe filium vocat in epiſtolis, certior factus eſt rerum geſtarum à Dioſcoro, continuo reſcripſit ad Theodoſium Imperatorem, ejuſque ſororem Pulcheriam Auguſtam, vellent juberentque aliud haberi Concilium in Italia : quo liberius & ſecurius cauſa Eutychis tractaretur. Nihilomi-

lominus, *quoniam Canones volunt negotia ubi orta sunt definiri*, & ex majorum consuetudine Concilia semper in Provinciis ubi errores damnandi inolevissent, habita fuerant: idcirco auctoritate Theodosii & Valentiniani Concilium indictum est in urbe Nicæa: unde aliquanto post mortuo Theodosio translatum est Chalcedonem, postquam Martianus in Theodosii locum successit, ejusque sororem Pulcheriam Augustam duxit in uxorem: Majestate quidem Imperii ob exterarum Gentium irruptiones in Europam sensim declinante, atque Pontificum Romanorum potestate accrescente; maxime sub Leone Magno omnium Pontificum qui antea fuerant solertissimo & prudentissimo: quare ab eo tempore Imperatores precarium ferme Imperium Romæ & in Italia habuerunt. Quod autem S. Leo indictionem Concilii Chalcedonensis ab Imperatoribus petierit, permultæ ejus literæ declarant, quarum nonnullæ sunt synodicæ, id est, scriptæ in Synodo Romana summamque Actorum Synodalium continent. Et ita patet Leonem nihil privato aut proprio motu hac in re scivisse: Consule Tomum I Conciliorum Surii, & XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXXI, XXXIII, XLI, XLII, XLV, XLVII, XLVIII & XLIX, epistolarum Leonis Magni. At vero apud Binium lege XXII, XXIII; XXIV, XXV, XXVI, XXXIII, XXXV, XLIII, XLIV, XLVII,

XLIX,

XLIX, L & LI. Editio Romana Conciliorum aliter habet; consule Tomum II pārte I Chalcedonensis Concilii à capite 19, ad 42. sole meridiano clarius videbis, Chalcedonense Concilium indictum & convocatum ab Imperatoribus, & flagitatum fuisse à S. Leone; unde epistola XXIV ad Theodosium: *Ecce Ego Christianissime & Venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga Reverentiam Clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiensque vos per omnia placere Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal rei de silentio judicemur; obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur* (Synodum Ephesinam prædatoriam intelligit) *& coram Sanctis Angelis Christi, ut omnia in statu esse jubeatis in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur*, &c. OMNES PARTIUM NOSTRARUM ECCLESIÆ, *omnes mansuetudini vestræ* CUM GEMITIBUS ET LACRYMIS SUPPLICANT SACERDOTES, *ut quia & nostri fideliter reclamarunt legati, & eisdem libellum Appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari*, &c. *Quam autem post Appellationem interpositam hoc necessario postuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur*: QUI A TOTIUS MUNDI SUNT SACERDOTIBUS CONSTITUTA. Quæ B. Leonis suasio convincit decreta Synodi Nicænæ *auctoritate omnium sa-*

 cer-

cerdotum totius mundi : aut, ut ait S. Gregorius, *universali consensu esse constituta* : unde insurgit, ilio tempore Papam minime agnitum pro monarcha Ecclesiæ, & Appellationem Flavianiani intelligi secundum Nicænos Canones, de ampliori atque universaliori Concilio, quod Leo nomine omnium Ecclesiarum Occidentis supplex flagitat. His & adjungenda epistola XLII Leonis ad Martianum Imperatorem : *Synodum fieri, ut meminit vestra Clementia, ipsi poposcimus* : SED SACERDOTES PROVINCIARUM OMNIUM CONGREGARI *præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit* : *quoniam illæ Provinciæ de quibus maxime sunt evocandi, inquietante bello ab Ecclesiis eos non patiuntur abscedere*, &c. ubi animadversione dignum, hæc verba Leonis, *sed sacerdotes Provinciarum omnium congregari*, &c. capi oportere de Episcopis & Sacerdotibus subjectis Romano Patriarchatui, quæ Romani Episcopi diœcesis erat secundum Canonem sextum Nicæni Concilii; unde epistola paulo ante laudata scripsit *omnes partium nostrarum ecclesias petere Concilium ab Imperatoribus cum lacrymis*. At vero eximiam fraudem Baronii hic tacitus præterire nequeo, Tomo VI. Annalium anno 450. qui primus est annus Imperii Martiani : ut enim demonstret designationem loci & urbis, in qua Concilia celebrantur, absolute ab arbitrio Pontificum pependisse, Epistolam Martiani

tiani adulteravit : hæc genuina ſunt Martiani verba ad Leonem PP. etiam in editione Romana Conciliorum Græcorum : *Supereſt, ut, ſi placuerit tuæ Beatitudini, in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur*, &c. *Si vero hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias, hoc ipſum nobis propriis literis tua Sanctitas manifeſtet quatenus in omnem Orientem & in ipſam Thraciam & Illyricum ſacræ noſtræ dirigantur, literæ ut ad quendam definitum locum* UBI NOBIS PLACUERIT, *omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire*, &c. Verum Baronius hæc ita corripit : *ut ad quendam definitum locum* UBI VOBIS PLACUERIT *omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire*, Et hoc vocant ſanctæ Sedis auctoritatem propugnare! Vide epiſtolam 34. præambularem Chalcedonenſis Synodi in editione Romana, & Binium in notis ad Chalcedonenſe Concilium, quem non puduit Baronium, ut cæcus cæcum, ſequi : unde juxta oraculum Domini Matthæi 15. ambos in foveam cecidiſſe oportet.

XI. Supra demonſtravi, juxta diſciplinam illorum temporum, ſtatim atque Imperator Synodum indixiſſet, ſingulos Metropolitas & Patriarchas conſueuiſſe Epiſcopos ad Synodum idoneos deligere. Hocque Theologi qui neſciunt infantes ſunt, neque tam rationibus confutandi, quam ad ſcholas, ut ſtudeant, ablegandi ſunt : quos inter Val-

lius, qui parte IV. libri de Suprema potestate Papæ quæst. 11. post medium, objicit, Pulcheriam Augustam *Leonem rogare, ut significare dignetur an velit Concilium celebrari: quo omnes totius orbis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire.* Hæc ille, eo quidem magis suspectæ fidei, quod ubi antiquorum testimonia illi ad sua commenta fulcienda desunt, ea confidenter fingere & supponere non vereatur. Epistola Pulcheriæ, quam laudat, legitur Tomo 11 Conciliorum ante primam Actionem Synodi Chalcedonensis his conceptam verbis: *Præterea Reverentia tua, quocumque modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici, sicut etiam nostro Domino piissimo Imperatori meo conjugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire*, &c. ubi observandum, Pulcheriam scribere ad Leonem, ut Episcopos totius Orientis Thraciæ atque Illyrii qui Patriarchatui Romano subjecti erant, evocet ad Concilium. Et Vallium, ut efficeret Leonem omnibus Episcopis totius orbis terrarum indixisse Concilium, hæc genuina verba Pulcheriæ, *ut omnes totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici*, in hæc alia transformasse, *ut omnes totius Orbis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici*: Siquidem Patriarchatus Episcopi Romani, sicut & omnium aliorum, proprios habet situs & pla-

plagas, Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem & Meridionalem: unde Pulcheria, cum ſcribit Leoni, *ut totius Orientis Epiſcopos accerſeret*, horum aliorum verborum adjunctione *Thraciæ atque Illyrici*, declaravit, de quibuſnam Epiſcopis Orientis intelligeret: quoniam Thracia Illyrium tum erant ſubditæ Patriarchatui Romano, & in Chalcedonenſi Synodo hæ provinciæ Archiepiſcopo Conſtantinopolitano addictæ ſunt: & hinc illæ querelæ Leonis atque aliorum Pontificum adverſus Canonem XXVIII Synodi Chalcedonenſis. Porro ſimilis quoque farinæ eſt, quod Vallius ibidem refert, Leonem ita ſcripſiſſe Martiano Imperatori: *Literas dedimus ad fratres & Coepiſcopos noſtros; iiſque Concilium generale indiximus*: quæ verba nuſpiam extant in literis Leonis ad Martianum aut ad Pulcheriam: neque adverſarius numerum epiſtolæ notavit, ut proclivius lectorem fruſtraretur: Epiſtola quidem 49 ad Martianum in editione Binii hæc leguntur: *Credebamus Clementiam veſtram id deſiderio noſtro poſſe præſtare, ut præſenti neceſſitate reſpecta, differri ad opportunius tempus ſacerdotalem Synodum* JUBERETIS *& vocatis de cunctis provinciis Sacerdotibus, vere poſſet eſſe univerſale Concilium: ſed quia vos amore catholicæ fidei congregationem fieri voluiſtis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coëpiſcopum meum Paſchaſinum de ea provincia, quæ videtur eſſe ſecurior, evocatum,*

 qui

qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, &c. Eadem pariter leguntur epistola L. Utut sit, si forte in epistolis Leonis occurrat *illum indixisse Synodum generalem*, hæc juxta disciplinam Ecclesiæ primitivæ non ad hodiernum dominatum capi debent. Certe frequenter legendo acta Conciliorum, tandem in Epistola XCIII Leonis Magni ad Turibium Asturicensem Episcopum sub finem hæc conceptis verbis reperi: *Dedimus literas ad fratres & Coëpiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallæcos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus*: quæ verba intelligenda sunt vel de Concilio generali provinciarum Hispaniæ quæ hæresi Præscillianistarum infestabantur; vel de Concilio Patriarchali Papæ; non autem de œcumenico & universali; negaturque ejusmodi Concilia absque Imperatorum auctoritate indicta unquam fuisse. Sed ibidem Vallius causatur, *Martianum Principem agnovisse Conciliorum convocationem ad jus & auctoritatem solius Romani Pontificis pertinere*: quoniam Leo epistola ad Martianum XLIII collectionis Binii, hæc scribit: *Poposceram quidem à gloriosissima Clementia vestra, ut Synodum quam pro reparanda Orientalis Ecclesiæ pace, à nobis etiam petitam, necessariam judicastis*, &c. *Sed quia pio studio humanis negotiis divina præponitis*, &c. *Ego etiam vestris dispositionibus non renitor: optans ut omnium cordibus Catholica fides, quæ non potest nisi una esse, firmetur.*

tur. Verum reſpondeo, verba Leonis non id tinnire quod Vallius, cavillatur : & quamquam id ſonarent, iniquum & intolerabile eſſe hoc Martiano tribuere quod à B. Leone in ſua cauſa diceretur. Proculdubio, tametſi Martianus, ſive ob novam acceſſionem ad Imperium, ſive ob Pulcheriæ uxoris ingenium, à qua Imperium pro dote acceperat, multum remiſerit de majeſtate quam Theodoſius illius prædeceſſor in ſcribendis epiſtolis pro Conciliorum indictione ſervare conſueverat, ut ſola lectione epiſtolarum utriuſque patet : nihilominus nunquam ea ſcripſit quæ narrantur à Vallio : nec quicquam aliud à Leone quæſivit, præter conſenſum & diligentiam in eligendis atque mittendis Epiſcopis, qui Synodo, quam indicebat (conformiter ad formam diſciplinæ ſuperius conſcriptæ ex praxi Eccleſiæ primitivæ) intereſſent.

XII. Utque os adverſariis occludamus, idem S. Leo epiſtola LXI editionis Binii ad Epiſcopos Chalcedone congregatos nominatim ſcribit, Chalcedonenſe Concilium auctoritate atque præcepto Imperatorum ex conſenſu Apoſtolicæ ſedis congregatum fuiſſe : *fraterna univerſitas & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam exequuti ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium propriam vobiſcum iniviſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa quod ſæpe dicendum eſt : propter quam generale Concilium* EX

PRÆ-

PRÆCEPTO CHRISTIANORUM PRINCIPUM & *ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Ad hæc quoque faciunt exordia sexdecim Actionum Synodi Chalcedonensis: quæ diserte perhibent Synodum congregatam decreto & præceptione sacra Imperatorum : utque Vallius ab una omnes alias discat, hic initium primæ Actionis exscribam : licet etiam hoc à Magdeburgensibus proponi blateret, quasi ex ea re invalidum argumentum foret. Annon & possunt Magdeburgenses aliquando verum dicere? *In nomine Domini nostri Jesu Christi : consulatu piissimi & amatoris Christi, Imperatoris Flavii Martiani, perpetui Augusti, & ejus qui fuerit declaratus sub die octavo Idus Octobris, indictione* IV. *in Chalcedonensi civitate Metropoli provinciæ Bithyniæ, facta est Synodus* EX DECRETO PIISSIMORUM ET FIDELISSIMORUM IMPERATORUM *Valentiniani & Martiani : congregatis in Ecclesia sanctæ & triumphatricis Martyris Euphemiæ gloriosissimis judicibus*, &c. *Conveniente etiam sancto & universali Concilio* SECUNDUM SACRAM PRÆSCRIPTIONEM *in Chalcedonensi urbe congregato, id est, Paschasino & Lucentio reverendissimis Episcopis, & Bonifacio religiosissimo presbytero, tenentibus locum sanctissimi & reverendissimi Archiepiscopi almæ urbis Romæ Leonis, & Anatolio sanctissimo Archiepiscopo inclytæ urbis Constantinopolitanæ novæ Romæ, & Dioscoro reverendissimo Episcopo magnæ Alexandrinæ civitatis, & reliquis sanctissimis & religiosissimis Episcopis,*

Episcopis , id est , Maximo Antiochiæ Syriæ, Iuvenali Hierosolymæ , Quintillo Heracleæ Macedoniæ , &c. Hactenus Acta : jam augurare quid Vallius præstigietur ut petitionem declinet : siquidem memorat, *hac Actione prima Synodi Chalcedonensis Dioscorum accusatum fuisse à legatis Leonis PP. quod absque auctoritate & consensu Sedis Apostolicæ universale Concilium cogere ausus esset , eique contra morem antiquum præfuisset ad quam denunciationem decreto Concilii & Patrum concessu illico amotus est , & tanquam reus sedere jussus Dioscorus. Quæ accusatio contra universale Concilium & contra Augustos locum habuisset , si absque Leonis Papæ auctoritate Patres Chalcedonem convenissent.* Unde *ad argumentum respondent, Concilium dici ab Augustis convocatum non ex auctoritate sed tanquam voluntatis Leonis exequutoribus : ne forte Episcopi qui non nisi summis laboribus & impensis Chalcedonem poterant commeare , mandatis Pontificis non obsequerentur. Viam autem exequutionis seu facti in rebus ecclesiasticis Principibus secularibus citra detrimentum potestatis ecclesiasticæ convenire fatetur.* Hæc Andabata lib. de Suprema potestate parte IV. quæst. II. Nam res morales quæ presse in propriis terminis sumendæ sunt , ad scholæ argutias abstrahit, & primum, ne his in objectione à Dioscori gestis petita hæreamus , post damnatum Dioscorum Actione tertia Concilii Chalcedonensis in omnibus aliis actionibus Synodi diserte legimus , Concilium jussione Impera-

torum congregatum, nulla facta mentione indictionis Leonis Magni: idque est conforme Actis primæ Ephesinæ Synodi, quinti, sexti, septimi, & octavi Concilii de quibus infra: & ita Vallii conatus plane ruit.

XIII. Quod autem Principes politicos facit exequutores voluntatis Papæ, nova quidem & exotica est athletarum Curiæ Romanæ opinio, valde quidem in Theologiæ Professore Regis stipendiis victitante punienda: acsi Papa esset absolutus Ecclesiæ monarcha, & Christiani Principes ad ejus nutum stringere & recondere deberent gladium, ut Bellarmino post Bonifacium VIII. perplacet. Hercle, omnes Principes politici tanquam immediati Dei ministri & vicarii in temporalibus, Jus Divinum, Naturale & Canonicum exequutioni dare adstringuntur erga omnes ambitu sui regni & principatus contentos, ne quidem Papa dempto: quam pootestatem immediate à Deo non à Papa aut Ecclesia derivant: ut alias ostendetur. Et quamquam ordo ecclesiasticus ad electionem Regis Poloniæ aut Imperatoris Germaniæ concurrat: nihilominus id non fit ab Ecclesiasticis formaliter, ut sunt Ecclesiastici, sed tanquam cives & membra regni, imperii, & corporis politici. Hoc discat Vallius seditiosorum dogmatum assertor: quoniam ejus magistri Jesuitæ ex hujuscemodi placitis sophisticis inferunt, licere Pontifici Reges atque Principes

cipes ſibi immorigeros haud aliter abdicare *quam Paſtor canes, quos minus habet ad manum, occidere*, ut Becanus loquitur. Et hinc illæ perennes Gallorum lacrymæ & metus: quia iſtis novorum dogmatum auctoribus ſolenne eſt quoſcumque volunt Principes, inceptis ſuis minus faventes, in tyrannidis, ſchiſmatis, vel hæreſeos ſuſpicionem pertrahere apud populum, qui bellua eſt multorum capitum: *hacque via illos tanquam arietes auc canes furioſos parricidis mactandos exponere*. Quam doctrinam ipſe Vallius in ſua approbatione Epitomes Baronii à Sondano collectæ auctorauit, anno 1613. Quibus accurate perpenſis aliud obnoxiorom ſcriptorum effugium obſtruitur, perhibentium, Imporatores non aliam ob rem Synodum Chalcedonenſem indixiſſe, quam quia ſolus Imperator Entychianos cogere poterat, ut ſe Synodo ſiſterent. At jam docui & infra amplius dicetur, Imperatores tanquam immediatos Juris Diuini, Naturalis & Canonici vindices octo primas Synodos generales indixiſſe: idque contra novorum Theologorum contumaciam ſape ſæpius frequentare oportet.

XIV. Cæterum poteſtate indicendi & convocandi Concilii Chalcedonenſis evoluta, ſupereſt de *Præſide Synodi videamus*: quæ difficultas explicatur epiſtola Synodali ad Leonem quam habes Actione tertia juxta Surii & Binii Collectionem: at in editione Romana,

mana, tertia parte Concilii Chalcedonensis c.2. in hæc verba: *Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine Christi, Christus ibi se medio eorum fore perhibuit, quantum circa Sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & patriæ & labori suæ confessionis notitiam prætulerunt? Quibus tu quidem sicut membris caput præeras in iis qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens: Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime præsidebant, sicut Zorobabel & Iesus Ecclesiæ tanquam Hierusalem ædificationem renovare circa dogmata adnitentes*, &c, Græca sic habent in editione Romana: σὺ μὲν ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες: βασιλεῖς δὲ πρὸς εὐκοσμίαν ἐξῆρχον: *id est, tu quidem sicut caput membris praeras, aut ducatum præbebas: Imperatores vero fideles ad ordinandum præsidebant cum Imperio & auctoritate cogendi:* hoc enim Græca sonant & discrimen positum est inter hæc duo vocabula, ἡγεμονεύειν, atque ἐξάρχειν: *quorum illud proprium est actionibus quæ consilio & ductu rationis; hoc autem quæ auctoritate & imperio cum vi externa opus est perficiuntur*. Itaque quamquam *praeesse* & *præsidere*, ut plurimum pro una & eadem re usurpari soleant: nihilominus id hoc in loco significant: ut Princeps secularis, cui soli dominium atque exercitium gladii creditum est, Romanorum 13. præsideat Concil. quatenus omnia rite, ordine & secundum Canones fiant: & ne quid turbarum à quoquam edatur, aut vis cuiquam inferatur: hocque ad externæ disci-

plinæ

plinæ ecclesiasticæ regimen & constitutionem spectat : cujus ratione: *Constantinus se communem Episcopum rerum externarum vocabat.* At Romanus Episcopus cum aliis Patriarchis, præsunt Actionibus Concilii per actus hierarchicos : quoniam fides & Sanctorum communio docendo atque suadendo libere conciliatur & sancitur. Profecto ex omnibus actionibus Chalcedonensis Synodi liquet Martianum Cæsarem, Senatum, aut judices constituisse qui Synodo ad εὐταξίαν constituendam præsiderent, atque auditis & subductis Patrum suffragiis, hoc aut illo modo Canonem condi oportere pronunciarent, omnemque occasionem altercandi aut conterendi tempus in superfluis, auferrent Patribus. Quæ omnia versantur in quæstione facti: nam soli Ecclesiastici quæstionem juris tractant atque decidunt.

XV. Verum ex occasione rerum à Dioscoro conturbatarum, Legati S. Leonis ordinem sedendi & subscribendi, secus quam in prima & secundaEphesina Synodo obtinent. Cum enim omnes Patriarchæ excepto Antiocheno essent in causa, jus præsidendi Maximo Antiocheno competabat secundum regulam ordinis sedium Patriarchalium. Nam Dioscorus Alexandrinus Eutychem absolverat & Flavianum Constantinopolitanum damnaverat, huicque sententiæ Hierosolymitanus etiam subscripserat, in secunda Synodo

Ephesina, cui Maximus non interfuerat, quia illo tempore nondum esset Episcopus Antiochenus. Porro Anatolius, cum esset Flaviani successor, & de Synodo Constantinopolitana quam ipsemet Flavianus adversus Eutychem habuerat, ageretur, non poterat jure principem locum præsidendi obtinere. Verisimile est quoque Anatolium, ut Leonem ejusque legatos gratiores haberet, in iis quæ pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ primatu meditabatur, sponte cessisse jure presidendi, & propterea Maximum Antiochenum de eo noluisse cum legatis sedis Romanæ contendere. Verum consessus in hac Synodo ejusmodi erat, ut judices à Martiano Augusto constituti, in ipso meditullio Eccelsiæ Sanctæ Euphemiæ ante cancellos sanctissimi altaris, (tum enim unum duntaxat in unaquaque Ecclesia erat altare) considerent: Legati vero Leonis Magni cum Anatolio Constantinopolitano, Maximo Antiocheno, & aliis permultis, à sinistra parte, quæ secundum Græcorum consuetudinem nobilior est; à dextera autem Dioscorus Alexandrinus, Juvenalis Hierosolymitanus, atque alii permulti. Quocirca judices eminentiorem locum occupabant: & in medio consessu Sacro-Sancta Euangelia spectabantur in throno eminentiore, quæ Christum Dominum repræsentabant, Patresque hujus oraculi commonefaciebant: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matthæi 18.

XVI. At vero ex omnibus Actionibus Concilii Chalcedonensis claret, Anatolium Constantinopolitanum Episcopum & ordine sedendi, loquendi, atque subscribendi semper secundas partes tenuisse post Romanum Episcopum juxta III Canonem Constantinopolitanæ, aut XXVIII Chalcedonensis Synodi. Ex quo innotescit, falso obtendi à recentioribus Canonem III Constantinopolitanum aut XXVIII Chalcedonensem nullum robur habuisse nisi aliquot seculis post Synodum Chalcedonensem: imo vero certum est statim post Synodum Constantinopolitanam viguisse: neque Paschasinus, Lucentius & Bonifacius legati Leonis PP. Constantinopolitano Archiepiscopo ullam litem moverunt, quod secundo loco & immediate post se suffragium ferret, aut sederet sed tantum ubi animadverterunt Provinciam Thraciæ Patriarchatui Constantinopolitano adscribi: quam tamen Romanus Patriarcha suam esse contendebat: qua de re fusius infra. Procul dubio ipsemet Paschasinus legatus S. Leonis Actione prima, pagina vigesima Collectionis Surii, octava Binii, & sexagesima quarta Romanæ editionis, queritur de pseudo-Synodo Ephesina, quia quintum locum Flaviano dedisset: *Ecce*, inquit, *nos Deo volente Dominum Anatolium primum habemus, hi quintum posuerunt Beatum Flavianum*: & ita relinquitur, propria confessione legatorum Leonis Magni, secundas

partes Patriarchæ Constantinopolitano deferri. Sed Auctor Præfationum Historicarum Romanæ editionis comminiscitur legatos Romani Pontificis rogasse Martianum Imperatorem ut Synodo Chalcedonensi interesse vellet ad sedandos tumultus Eutychianorum, atque legatos Apostolicos in eadem Synodo, non Imperatorem præsedisse; fabulæ! nam tantum juris habuit Martianus, ut Synodo Chalcedonensi interesset, quantum olim Constantinus Magnus in Nicæno Concilio, & dehinc Constantinus Pogonatus sexta Synodo contra Monothelitas. Prætera, cum exploratum haberet Martianus turbas editas in secunda Synodo Ephesina, id ex officio impedire tenebatur; quæque dicit Auctor præfationum, nullo testimonio aut ratione fulciuntur, imo vero Actis clarissime repugnant, quæ docent & Leonem Magnum per suos legatos, & Imperatorem per se ipsum præsedisse Concilio tanquam Dei ministrum & vicarium ac Legis Divinæ, Naturalis & Canonicæ vindicem in rebus temporalibus: quocirca cavere debet, ne quid turbarum aut discordiæ nascatur in omnibus conventibus Ecclesiasticis, quia sponsor & vindex est publici ordinis & pacis.

XVII. His Præmissis, singulas Actiones Concilii percurramus: quæ sexdecim numero sunt, totidem dierum decursu confectæ: ita ut unicuique Actioni unicus dies nec amplius

in

in omnibus octo primis generalibus Conciliis impenderetur: quamdiu Principes politici eorum curam gesserunt, eisque præsederunt: tum enim paucissimæ erant ceremoniæ atque exiguus apparatus externus Conciliorum, sed multum virtutis atque effectus: adeo ut ipsimet Episcopi absque ulla æmulatione aut gloriæ mundanæ desiderio, de obediendo Principi politico, quam de illi leges præscribendo multo magis essent soliciti: ex quo tum permaximus in totam Rempublicam Christianam fructus redundabat. Tota priore Actione res gestæ partim in Synodo provinciali Constantinopolitana (cui Flavianus Archiepiscopus Constantinopolitanus adversus Eutychem, partim in Synodo Ephesina cui Dioscorus contra Flavianum præfuerat) recognoscuntur: ac statim initio Paschasinus vicarius Sedis apostolicæ cum collegis suis hæc refret: *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur: hoc nos observare necesse est: aut ille ergo egrediatur, aut nos eximus, Gloriosissimi judices dixerunt: Quid specialiter ingeritur Dioscoro? Lucentius Vicarius sedis Apostolicæ dixit: judicii sui necesse est eum dare rationem: quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere,*
 sine

sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, quod nunquam factum est. Gloriosissimi judices dixerant; convenit vos specialiter quid erraverit exponere. Lucentius dixit: non patimur tantam injuriam nec vobis fieri nec nobis, ut iste sedeat qui judicandus advenit. Gloriosissimi judices dixerunt: si judicis obtines personam, non ut accusator debes prosequi.

XVIII. Quibus auditis legati Papæ siluerunt, atque Eusebius Dorylæi Episcopus Eutychis accusator, quem Dioscorus in Pseudo-Synodo Ephesina damnaverat, accusandi partes suscepit, aitque Flavianum Episcopum occisum à Dioscoro, seque una male multatum, petitque ut capita suæ querimoniæ ad Martianum Imperatorem legantur. Gloriosissimi judices atque amplissimus senatus dixerunt: *preces legantur.* Tum hæc epistola Eusebii Dorylensis ad Martianum perlegitur: *Amatoribus Christi, religiosissimis & piissimis Imperatoribus nostris Flaviis, Valentiniano & Martiano, perpetuis Augustis,* &c. *Intentio & propositum est Clementiæ vestræ universis quidem sibi subditis providere, & manum porrigere omnibus injuste oppressis: præcipue tamen fungentibus sacerdotio: in hoc divinitati placentes, à qua vobis imperare & dominari sub hoc sole donatum est. Ergo quoniam multa & dira contra omnem consequentiam fides, quæ in Christo est, & nos sumus perpessi à reverendissimo Dioscoro Episcopo Alexandriæ magnæ Civitatis, adimus vestram Pietatem, sup-*

upplicantes justitiam promereri. Causa autem in his est, res gestas in Pseudo Synodo Ephesina recenset.) *Precamur vestram Clementiam, ut præcipiatis, reverendissimum Episcopum Dioscorum respondere de his quæ à nobis ei ingeruntur, relictis sine dubio in hoc Concilio monimentis ab eo contra nos gestis, per quæ possumus ostendere, eum & alienum esse à catholica fide & impietate repletam hæresim roborantem: & injuste nos damnantem, & gravia in nobis operatum, dirigentes sanctæ & universali Synodo religiosissimorum Episcoporum quo possit inter nos & præfatum Dioscorum audire & perferre ad scientiam vestræ Pietatis omnia quæ geruntur ad quod placuerit vestræ Clementiæ; quod consequuti incessantur offeremus Deo preces pro vestro æterno imperio*, &c. Qua ex epistola & libello supplice Dorylensis Episcopi, colligimus licitum Ecclesiasticis, sese adversus ipsosmet ecclesiasticos auctoritate laica munire, si quando illi aliquid patrent contra Canones: & rogare Magistratum au. Principem politicum ut curet causam ab Ecclesiasticis recognosci, vel ipsemet saluti afflictorum, ut æquum est, provideat: hoc enim proprio officio præstare obstringitur auctore Hieronymo 23. *quæst.* 5. *Can. Regum officium est proprium facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos & peregrino pupilloque præbere auxilium.* Neque id Canonibns repugnat: recte enim Patres Milevitoni Canone XIX. edixerunt, *ut, si cle-*

rici ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierint, honore proprio priventur: si autem Episcopale judicium ab Imperatore postularint, nihil eis obsit. Hercle si hoc tempore Ecclesiastici suas Synodos liberas celebrarent, neque anticipatis odiis & opinionibus Curiæ Romanæ plerumque contra boni Pastoris munus agerentur, politicorum Principum tribunalia crebris Appellationibus *ab abusu* non ita adversus oppressiones Ecclesiasticorum perstreperent.

XIX. Verum hac eadem prima Actione Chalcedonensis Synodi cum Theodoretus Cyri Episcopus qui à Dioscore excommunicatus fuerat propterea quod Anathematismos in B. Cyrillum Alexandrinum scripsisset, peteret ad consessum Concilii admitti : atque judices à Martiano constitui pronunciassent, *ut Theodoretus reverendus Episcopus ingrederetur, ut esset particeps Synodi quia ei Episcopatum restituisset Sanctissimus Leo PP. & Sacratissimus Imperator cum Synodo adesse sanxisset* : quamprimum est ingressus *Ægyptii atque Illyriciani & Palæstini Episcopi clamaverunt: Miseremini, fides perit, istum Canones ejiciunt: hunc foras mittite, Magistrum Nestorii foras mittite.* Tandem ad compescendos ejusmodi clamores judices edicunt, *ne præsentia Theodoreti cuiquam faceret præjudicium, quo minus postea qui vellent illum possent accusare:* Præterea Ægyptii memores S. Cyrillum male à Theodoreto acceptum cum vocifera-

ren-

rentur, *iste Cyrillum Anathematizavit* : & vicissim Orientales qui Theodoreto patrocinabantur clamarent : *Dioscorum homicidam foras mittite* : judices declarant, *istas acclamationes populares, neque Episcopos decere, neque partes juvare : omnesque pati debere, ut acta perlegerentur, & omnia secundum ordinem fierent ac recenserentur* : quare pedetentim ad causam Dioscori ventum est : & cuncti Orientales enunciarunt, *neminem voluntarie in Flaviani Archiepiscopi Constantinopolitani atque Eusebii Dorylensis damnationem consensisse : Nam ubi milites, gladii & fustes, qualis Synodus ? In pura charta subscripsimus, inquiunt : homicidam foras mittite* : Contra autem Ægyptii & qui eis aderant, clamaverunt : *Synodus Episcoporum est non clericorum : superfluos foras mittite* : Et aliquanto post, *Imperator Episcopos vocavit, Synodus Episcoporum est.* Quæ quidem magis per contentionem & recriminationem dicta fuisse ab Ægyptiis Patres Chalcedonenses & judices à Martiano constituti eo ipso indicant quod super hac altercatione Ægyptiorum *Synodus Episcoporum est, superfluos foras mittite*, &c. nihil plane sanciunt. Ceterum quamquam Synodus generalis proprie & primario sit Episcoporum, tamen hoc non obstaculo est, quo minus presbyteri curam habentes animarum secundas, non obtineant post Episcopos in Synodis : quia sicut oculus non est totum corpus, ita nec soli Episcopi Hierarchiam efficiunt. Quamobrem

 nul-

nullæ Synodi generales novem primis ſeculis Eccleſiæ extiterunt in quibus non ſederint aliqui presbyteri,ut alias demonſtravi.Profecto ex ſexcentis triginta patribus quiSynodo huic ſuffragati perhibentur, permultos ſacerdotes fuiſſe certum eſt : quando ex Actis trecentos Epiſcopos definitioni ſubſcripſiſſe vix colligimus. Equidem Epiſcopo ſubſcribente ipſos presbyteros Acta etiam una implicite & interpretative cum Epiſcopo ſubſcribere tam probabile eſt, quam Conſiliarios Parlamenti cum ipſo præſide & cognitore cauſæ Senatus conſultum obſignare. Ex quo relinquitur Vallium imperite & ſophiſtice hunc Ægyptiorum clamorem *Synodus Epiſcoporum eſt, clericos foras mittite* obtendere, quaſi presbyteri nullum penitus jus ſuffragii habeant in Synodis generalibus. Verum iſti clamores, contentiones & æmulationes Patrum certiſſimo ſunt indicio quam neceſſaria fuerit auctoritas Senatus à Martiano Patribus dati ad εὐταξίαν & libertatem dicendæ ſententiæ unicuique ſervandam.

XX. Cæterum valde notabile eſt quod judices petunt à Patribus : *utrum* S. *Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in ſententia conſtituenda adverſus Eutychem orthodoxe definierit, an vero erraverit : atque Paſchaſinum vicarium Sedis Apoſtolicæ dicere expoſitionem fidei factam a Flaviano cum epiſtola Leonis Magni concordare, & ſancte, integre, & Catholice expoſuiſſe ac ſenſiſſe :* om-

omnesque Patres idem respondent fol. 39 Surianæ, 20 Binianæ, & 95. Romanæ editionis. Et ita habemus Flavianum omnium primum Eutychianam Hæresim debellasse Synodo privata Constantinopolitana. Procul dubio Leo Magnus post damnatum Eutychem à Flaviano epistola septima ad Theodosium Augustum scribit, nihil sibi adhuc plane constare de causa Eutychis damnati: Idque apprime notandum videtur contra eorum adulationes qui solum Papam esse infallibilem, & Leonem ita Eutychem damnasse prædicant, ut Patres Chalcedonenses ejus sententiam duntaxat amplexi sint nihilque de suo contulerint.

Secunda Actione Chalcedonensi ubi declaratum est Synodum edicto Imperatorum coactam juxta ordinem & consessum in prima Actione exhibitum, judices hac utuntur oratione: nimirum priori Sessione factam inquisitionem de Flaviani & Eusebii Dorylensis condemnatione, &c. Nunc vero procedendum & quærendum de recta fide cujus causa Concilium celebratur: *Scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis tam pro animabus propriis singuli vestrum quam pro nostris omnibus*, inquiunt judices, *qui quidem & doceri quæ ad religionem pertinent, recte desideramus, & omnem ambiguitatem auferri ex omnium Patrum doctrina: festinate igitur*, ajunt, *sine ullo timore & gratia atque inimicitia fidem puram exponere : ita ut qui viden-*

videntur non eadem cum omnibus sapere per veritatis agnitionem ad concordiam revocentur. Scire enim vos volumus, quia tam divinissimus & piissimus orbis Dominus, quam nos, Catholicam fidem à sanctis trecentis decem octo & à sanctis centum quinquaginta, nec non etiam à cæteris sanctissimis & gloriosissimis Patribus traditam custodimus, & secundum ipsam credimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere, &c. Cecropius reverendissimus Episcopus Sebastopolitanus dixit: Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, & super iis forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis, & constat nobis, & epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus, sufficiunt quæ exposita sunt alteram expositionem facere non licet. Gloriosissimi judices & amplissimus Senatus dixerunt: Si placet vestræ Reverentiæ sanctissimi Patriarchæ singularum provinciarum eligentes singulos aut binos suæ propriæ quisque provinciæ in medio transeuntes, & communiter de fide tractantes quæ complacita fuerint omnibus manifesta constituantur: quatenus, sicut optamus, si omnes consenserint, solvatur omnis ambiguitas: sin vero aliqui contraria, quod non putamus, sapuerint. Ita fiat, ut eorum voluntates manifesta constituantur. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: In scriptis expositionem non facimus: Regula est quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita: Regula vult aliam expositionem non fieri: ea quæ sunt Patrum teneantur, &c. Cecropius Episcopus Sebastopo-

ſtopolitanus dixit : Fides bene diſceptata eſt à trecentis decem octo ſanctis Patribus & firmata à ſanctis Patribus Athanaſio, Cyrillo, Cæleſtino, Hilario Baſilio, Gregorio, & nunc iterum per ſanctiſſimum Leonem, & precamur, ut ea quæ ſanctorum Patrum trecentorum decem & octo ſunt, & quæ ſanctiſſimi Leonis, recitentur. Gloriſiſſimi judices & ampliſſimus Senatus dixerunt : Recitentur quæ expoſita ſunt à ſanctis trecentis decem & octo Patribus in Nicæa congregatis, &c. Itaque legitur Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum, cum epiſtola Leonis Magni ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, poſt quam Flavianus Eutychem damnaverat : unde ſupra Actione prima monuimus judices quæſiiſſe à Patribus, utrum necne Flavianus recte ſentiret aut erraſſet in fide, reſponſumque à Legatis Leonis Papæ, cæteriſque Patribus, *illius fidem congruere Epiſtolæ Leonis*, &c. His perlectis, tandem definitio orthodoxæ fidei differtur in quintum diem judicibus ita poſtulantibus : de qua agetur in quarta & quinta Actione.

XXI. Hic inter alia obſervandum, nomen Patriarchæ uſurpari à judicibus, *ſi placet veſtræ Reverentiæ ſanctiſſimi Patriarchæ ſingularum provinciarum eligentes*, &c. Quod videtur de ſingulis Metropolitanis intelligi oportere. Hinc autem colligimus quanta prudentia judices ab Imperatore conſtituti uſi ſint, ut communionem Sanctorum & catholicum Eccleſiarum

rum

rum consensu inirent ac stabilirent: quod imitandum proponi debet Ecclesiasticis, & præsertim Romanæ Curiæ quæ sibi absolutam potestatem omnia decernendi assumit.

XXII. Tertia Actione quoniam de rebus ad fidem spectantibus minime agebatur: sed privatim res gestæ à Dioscoro examinabantur, ut secundum Canones deciderentur: judices à Martiano constitui non interfuerunt Synodo. Verum in primis Eusebius Dorylæi Episcopus Dioscorum accusat: hicque ad Synodum Canonice vocatus cum effugia necteret, peteretque senatum & judices à Martiano constitutos Actioni interesse, illi respondetur: *Regularia esse quæ Eusebius contra illum proponenda haberet: neque moris esse quando regularia, id est, causæ mere ecclesiasticæ, quæ secundum Canones judicari debebant, tractarentur, judices aut laicos Synodis aut ejusmodi regularibus judiciis interesse.* In eumdem pariter Dioscorum prodierunt Athanasius presbyter Alexandrinus, Ischyrion, & Theodorus Diaconi Alexandrinæ Ecclesiæ cum Sophronio Christiano conquestionem facturi de injuriis sibi à Dioscoro illatis: quorum literæ ad Leonem PP. recitantur in Concilio; Leonemque vocant *universalem Archiepiscopum & Patriarcham magnæ Romæ.*

XXIII. Quibus ita gestis Patres jubent Dioscorum ter Canonice vocari atque interpellari, ut se coram Synodo sisteret: cum autem

tem venire detrectasset, sententia in eum tanquam contumacem ac rebellem pronunciatur. Atque Stephanus Episcopus Ephesi dixit : *hoc consequens est, ut qui secundum sanctos Canones vocatus, eosdem Canones conculcavit, eorum sententiæ subjaceat.* Paschasinus Episcopus legatus sedis apostolicæ sic Patres universos alloquitur : ITERUM ROGAMUS VESTRAM *Beatitudinem : Ecce tertio à sanctis fratribus & Coëpiscopis nostris vocatus, & contemnens, & non veniens quo dignus est. Quid placeat vestræ Sanctitati volumus discere : Lucianus Episcopus dixit : à beatissimo Patre nostro & Episcopo Cyrillo in sancta Ephesina Synodo contra Nestorium quædam acta sunt ; ipsa inspicientes formam quæ placuerit date. Paschasinus Episcopus dixit,* JUBET RELIGIOSITAS VESTRA UT ULTIONE *Ecclesiastica contra eum utamur ? Consentitis ? Sancta Synodus dixit : Omnes* CONSENTIMUS QUÆ REGULIS SUNT PLACITA IN EO FIERI : *Paschasinus Episcopus dixit,* JUBET RELIGIOSITAS VESTRA, *ut ecclesiastica sententia adversus eum utamur ? Sancta Synodus dixit : etiam consentimus. Quintus, Episcopus Phocensis dixit : quando sanctum Flavianum Catholicæ fidei custodem interfecit, neque Canones protulit, neque lecti sunt, neque aliquo Ecclesiastico ordine usus est, sed propria utens auctoritate eum damnavit : Nunc vero omnia Canonice placuerunt, & non debent iterum dilationibus protrahi. Julianus Episcopus Hyperensis dixit : Sancti Patres audite : Quando in Ephesina Metropoli*

poli primatum habebat Dioscorus ad judicandum inter sanctum Flavianum, Eusebium Dorylensem, & Eutychem, ex omni parte iniquam proferens sententiam, ipse prius prosequutus est iniquum judicium. Nunc vestra Sanctitas tenet SS. *Leonis primatum, & cognovit vestra Sanctitas & omne sanctum Concilium, quod secundum Dei gratiam & sanctionem piissimorum Imperatorum congregatum est Concilium, & cognovit singula quæ in Epheso injuste facta sunt: & omnia quæ ibi gesta sunt vestræ Sanctitati innotuerunt. Et semel & secundo & tertio vocavit Dioscorum, & nullatenus voluit obedire. Petimus vestram Sanctitatem qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum,* ET REGULIS INSITAM CONTRA EUM PROFERRE SENTENTIAM. *Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestræ sententiæ. Paschasinus Episcopus dixit,* ITERUM DICO QUID PLACET BEATITUDINI VESTRÆ? *Maximus Episcopus Magnæ Antiochenæ civitatis dixit: quod videtur Sauctitati vestræ & nos concordes efficimur.* Quibus ita peractis, Paschasinus, Lucentius & Bonifacius tenentes locum B. Leonis Magni sententiam pronunciarunt. Hinc vero clarat Ecclesiam Canonibus & Regulis non absoluta potestate gubernari: unde Cardinalis Causanus lib. II. de Concordantia Catholica, cap. 8. *Ecce quod legati Apostolici in Concilio quia primo loco existunt, prius proferunt sententiam, si Synodus jubet & per illos omnes secundum ordinem, & ex unitate volun-*

voluntatis & concordia dependet sententiæ vigor: vides etiam quod sententia Sedis Apostolicæ depositionis Dioscori juxta Canonicas regulas in universali Synodo fuit iterum examinata, quod mente tenendum, & notandum existit. Hæc ille. At summa orationis legatorum sedis Apostolicæ fuit, *Dioscorum omnia contra Canones turbasse, sibi primatum irregulariter suscepisse atque Eutychem in communionem recepisse priusquam consideret in Ephesina Synodo: ibidem B. Leonis literas legi noluisse, sed eum excommunicasse: tertio vocatum Canonice ad Synodum non obtemperasse, & omnes Canones conculcasse.* Quocirca sententiam in hunc modum pronunciant: *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ, Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo & omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille qui est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Igitur sancta hæc & magna Synodus* QUÆ PLACENT REGULIS SUPER MEMORATO DIOSCORO DECERNAT. *Anatolius Archiepiscopus Regiæ Constantinopolis novæ Romæ dixit: Hæc eadem Apostolicæ Sedis per omnia sapiens, concors efficior sententiæ super damnatione Dioscori quondam Alexandrinæ magnæ civitatis Episcopi, qui seipsum ab omni sacerdotali ministerio ostendit alienum: eo quod in omnibus sanctorum Patrum regulis extitit inobediens, & tertio canonice vocatus, noluit obtemperare. Maximus*

Episcopus Magnæ Antiochiæ civitatis dixit : Quoniam Dioscorus quondam Alexandrinæ magnæ civitatis Episcopus super alia, & tertio ad se facta regulari vocatione inobediens visus est, non occurrens : ideo eum Ecclesiasticæ sententiæ subjicio, sicut & sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus Pater noster Leo, regiæ senioris Romæ *per vicarios suos, & sanctissimus & beatissimus regiæ novæ Romæ Archiepiscopus Anatolius interloquuti sunt*, &c. *Stephanus Episcopus Ephesi Metropolis dixit : & ego his quæ dicta sunt religiosiss. & sanctissim. Leone & Anatolio supra damnatione Dioscori quondam Alexandrinæ magnæ civitatis Episcopi concors efficior, & alienum eum ab omni sacerdotali dignitate esse definio.*

XXIV. Summa sententiæ omnium Episcoporum sigillatim suffragium dicentium eo redit, ut omnes nominatim dicant, se cum Vicariis B. Leonis & Anatolio Constantinopolitano Archiepiscopo sentire. Sed Antiochus Episcopus Synopensis dixit : *His quæ legitime & juste & regulariter definita sunt à Dei amantissimo & sanctissimo Archiepiscopo Romano Leone, & à sanctissimo Archiepiscopo regiæ civitatis Anatolio super Dioscoro, & ipse consors efficior, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio*, &c. Quæ demonstrant in hæc Synodo, sicut & in aliis superioribus, omnia ex sanctorum communione & consensu Patrum, minime vero absoluta unius Leonis Papæ auctoritate decerni : quandoquidem ipsius legati postquam

multa

multa elate atque ampullose loquuti sunt, tandem concludunt in hæc verba : *Igitur sancta hæc & magna Synodus qua placent regulis super memorato Dioscoro decernat* : nihilominus antea sic verba sua conceperant, ut quasi velle efficere viderentur Patres exequutores sententiæ Leonis sicut hæc verba indicant *Sanctissimus & Beatissimus Leo* PER NOS ET PER PRÆSENTEM SANCTAM *Synodum una cum ter Beatissimo Petro* : quasi vero Leo Dioscorum damnaret per Synodum velut per instrumentum, ut Rex solet per iudices suos damnare reos : cum ipsa Synodus sit totum, & Leo cum legatis habeant rationem partis atque instrumenti. Certe legati egregie instructi atque informati fuerant ad potestatem Leonis ampliandam, sicut ex lectione actorum patet : vixque alios ullos reperias legatos, qui tam ampullose in Synodis aliis loquuti sint. Porro dum major pars Episcoporum dicit se cum B. Leone & Anatolio Constantinopolitano sentire, non tam illorum sententiam amplectitur, quam declarat Canonibus atque orthodoxæ fidei congruere, & dignam esse ut ad eam sanctorum communio accedat : ratio est, quia Dominus Ecclesiæ collectim sumptæ facultatem infallibilem decernendi impartivit, voluitque omnia communi & Catholico consensu non unius imperio decerni imo vero his vervis *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo*, Matthæi

18. omnem singularitatem atque monarchiam excludit; quamobrem quinta Actione cum judices rogarent Patres. utrum epistolam Leonis contra Eutychem susciperent, cuncti clamaverunt: *suscipimus: Epistolam definitio firmavit: definitio habet omnia, definitio fidem habet: Leo eadem dixit quæ & Cyrillus: Cœlestinus quæ & Cyrillus dixit firmavit: Christus roboravit quæ & Cyrillus dixit.* Quo ex loco pronum est videre, definitionem Synodi, robur atque auctoritatem conciliare decretis Papæ aut Romanæ Ecclesiæ: quia, ut ait S. Hieronymus, *orbis major est urbe*, Can. *legimus* dist. 93. Quare supra monui in more positum fuisse antiquis, ut hominum singulorum motus & instituta, communione sanctorum examinarent ac probarent, ita ut minor sanctorum communio ampliore auctoraretur & firmaretur. In eumque finem Synodorum usum institutum à Christo & à Patribus Ecclesiæ primitivæ ad nos transmissum. Unde Apostolus ait *Spiritum Prophetarum subjectum esse Prophetis*, 1. Corinthiorum 14. Quibus & accedit S. Leonis auctoritas epistola LXI. Collectionis Binii ad Patres Chalcedone congregatos: *Per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum inivi sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod sæpe dicendum est propter generale Concilium ex præcepto Christianorum Principum & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Item estpistola LXIII.
ad

ad Theodoretum Cyri Episcopum : *Remeantibus ad nos fratribus & consacerdotibus, quos ad sanctum Concilium Sedes B. Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno adjutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis quam Eutychianæ vesaniæ extitisse victricem.* Unde *gloriamur in Domino cum Propheta cantantes : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, qui nullum in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit : sed quæ nostro prius ministerio definierat,* UNIVERSÆ FRATERNITATIS IRRETRACTABILI FIRMAVIT ASSENSU: *ut vere à se prodiisse ostenderet, quod prius à prima omnium Sede formatum totius Christiani orbis judicium recepisset : ut in hoc quoque capiti membra concordent.* Item paulo infra : *Epistolam Sedis Apostolicæ* UNIVERSALIS SANCTÆ SYNODI ASSENSU FIRMATAM, &c. Cæterum has duas epistolas ideo hic edendas duxi, quia B. Leo blandiente cathedra, Sedis Apostolicæ judicium & potestatem multo plus in illis quam in aliis epistolis extollit, ut hinc adversarii intelligant, si nobis strictissime standum esset omnibus quæ Romani Pontifices, & maxime Leo Magnus in sua causa effudit, nihilominus liquere ejusdem Leonis testimonio, *sententiam Sedis Apostolicæ robur & auctoritatem habere irretractabilem à communione sanctorum universalis Synodi : Nam,* inquit, *per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum inivi sententiam*, &c. Item,

Nam quæ nostro prius ministerio definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu.

XXV. Quæ procul dubio nequaquam consentiunt dogmatibus Bellarmini lib. 11. de Conciliorum auctoritate, cap. 11. sub finem, ubi memorat, quæcumque in Synodis fiunt ab infallibili Papæ judicio manare: *Sciendum*, dicit, *Pontificem mittere solere legatos instructos de sententia Apostolicæ Sedis cum ea conditione, ut si Concilium consentiat judicio Apostolicæ Sedis, formetur decretum: sin minus, differatur decreti formatio donec Romanus Pontifex consultus respondeat: id quod patet ex Concilio Chalcedonensi. Nam Actione tertia cum Concilium consensisset judicio Pontificis circa depositionem Dioscori mox legati his verbis firmaverunt decretum: Sanctissimus ac Beatissimus Papa caput universalis Ecclesiæ Leo per nos legatos suos sancta Synodo consentiente Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum ac petra fidei & Cœlestis Regni janitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.* Hæc ibi: deinde lib. 1 de Romano Pontifice cap. 10. ut probet personam S. Petri esse petram & fundamentum in quod Ecclesia ædificata est, perhibet *consensu totius Ecclesiæ Græcorum & Latinorum Patrum, totum Chalcedonense Concilium 630 Patrum Actione tertia appellasse Petrum petram & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ.* Quæ profecto contra omnem sensum veritatis, sola absolutæ

tæ

tæ monarchiæ confidentia Bellarminus venditat, Primum, quod refert de instructione legatorum Sedis Apostolicæ qui ad Concilium proficiscebantur, capite 1. hujus libri explicata sunt : ubi ex praxi Ecclesiæ docuimus, ejusmodi instructionem non à privato motu aut oligarchico Papæ Consilio, sed à Synodo particulari aut patriarchali Episcopi Romani peti consuevisse : idque pariter factum in causa Eutychis & Dioscori certissimum est: quam primum enim Flavianus à Dioscoro exauctoratus est, Leo Synodum Romanam indixit; quæque ibi scita sunt, Sedis Apostolicæ legatis documento fuerunt in Chalcedonensi Concilio : quare ejusdem Leonis epistolæ ad Theodosium Augustum, Pulcheriam, clerum Constantinopolitanum, &c. hoc nobilitantur exordio : *Leo Episcopus & sancta* SYNODUS QUÆ IN URBE ROMA CONVENIT *Theodosio Augusto, Pulcheriæ Augustæ, Clero, Honoratis & plebi consistenti apud Constantinopolim*, &c. lege epistolam vigesimam secundam, vigesimam tertiam, vigesimam quintam, vigesimam sextam & vigesimam octavam. Amplius advecto ex praxi tum usitata verosimile haberi Leonem etiam sententiam ecclesiarum suo patriarchatui subditarum, & præsertim Galliarum collegisse : quando ex continuatore Chronici Eusebii exploratum habemus, Leonem Magnum in suis scribendis epistolis opera B. Prosperi A-

quitanici usum, quod Baronius minime abnegat. Secundo, nequaquam verum est Pontificem mittere solitum legatos ad Concilium cum ea conditione, ut si Concilium judicio Sedis Apostolicæ consentiat, formetur quidem decretum, sin minus, decreti formatio differatur quoad Romanus Pontifex consultus respondeat : hæc enim non temporum Leonis Magni sed hodiernorum praxis est : quandoquidem homines obnoxii contra scripturæ auctoritatem persuadere volunt solum Papam gratia infallibilitatis præditum : ac si Spiritus Sanctus non aliter Ecclesiæ Catholicæ quam per Papam afflaret : atque in Papæ manu esset, emittere, suspendere aut omnino afflatus divinos interdicere. Hercle Dominus Matthæi 18. non uni cuipiam homini singulari, vel etiam urbi, loco, sedi, aut cathedræ episcopali, sed tantummodo congregationi factæ in nomine suo auxilium & presentiam pollicetur : *ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum*, &c. Quâ formulâ omnem excludit singularitatem, ut alias probavimus. Nunc autem mihi animus est indubitatam Ecclesiæ primitivæ praxim vindicare. Tertio, Bellarminus impingit in legem Corneliam falsi, sicque non defendit sed prodit causam suam : hæc sunt verba Bellarmini : *Sanctissimus & Beatissimus Papa caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri*

Apo-

Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum ac petra fidei & cælestis regni janitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit & ab omni sacerdotali opere extorrem fecit. At genuina sententia legatorum Leonis sic concipitur: *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos & per præsentem sanctam Synodum una cum beatissimo & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille qui est rectæ fidei fundamentum nudavit eum tam episcopatus dignitate quam etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Igitur sancta hæc & magna Synodus, quæ placent regulis super memorato Dioscoro decernat.* Sic enim habent antiquæ editiones Concilii Chalcedonensis, quibus collectio Surii & Binii omnino concordant: hæc autem Bellarmini neque cum Romana editione, neque cum ipso Euagrio consentit.

XXVI. Quarto, quod Leonem vocatum ibidem *caput universalis Ecclesiæ narrat*, proprium est ejus commentum: Hercle in exordio primæ Actionis Synodi Chalcedonensis Paschasinus legatus Leonis hæc dicit: *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus*, &c. Præterea in omnibus pene Actionibus iidem legati passim Leonem *universalem, aut universæ Ecclesiæ Episcopum vocitant.* Item aliquot privati Sacerdotes & Diaconi Alexandrinæ Ecclesiæ Actione tertia eun-

dem Leonem *Archiepiſcopum & Patriarcham univerſalem indigitant* : at Patres ſynodice aliquid ſtatuentes aut deliberantes hac uſos appellatione nunquam legimus. Quocirca hic meminiſſe debet Bellarminus diſtinctionis quam alias uſurpat, ſcilicet *diſcrimen poni inter ea quæ hiſtorice narrantur aut perleguntur & ſynodice decernuntur in Conciliis*. Equidem Conſtantinopolitani Epiſcopi poſtea hinc occaſionem captarunt ſeſe venditandi œcumenicos Patriarchas, ac ſibi arrogandi primatum ſuper Epiſcopos Romanos aut ſaltem contendendi de primatu cum illis. At vero, *Eccleſiam Romanam aut Papam dici caput omnium eccleſiarum*, ſicut à legatis Sedis Apoſtolicæ nuncupatur: nihil aliud ſignificat quam Eccleſiam Romanam eſſe primam & Principem omnium Eccleſiarum: quod à Catholicis conceditur, utque intelligi debeat dictum eſt in defenſione libelli de eccleſiaſtica & politica poteſtate. Quinto, non Synodus Petrum appellat *petram, crepidinem, & fundamentum Eccleſiæ*, ut fingit Bellarminus, ſed legati duntaxat Leonis, qui omni contentione animi adhibita, ſæpe nimium quantum ampullatè loquuntur, ut Acta comprobant: poteſt autem in bono ſenſu Petrus dici petra & crepido Eccleſiæ, propterea quod *tanquam os & vertex Apoſtolorum*, fidem catholicam nomine totius Eccleſiæ edidit, ut alibi demonſtravimus. Sexto, hæc formula, ***Et ille qui eſt rectæ fidei fundamentum***, &c.

&c. cum per excellentiam præcise & dogmatice loquendo capi debeat de Christo: ut sensus sit Christum (qui promisit se ea rata & grata habiturum in cœlo quæ ligarentur aut solverentur Canonice in terra, Matthæi 18.) damnationem Dioscori tanquam Canonibus consentientem plane ratam & gratam habere. Profecto frustra laborat Bellarminus, ut illam clausulam uni & soli Petro addicat: quasi proprie & per excellentiam Petrus rectæ fidei fundamentum appellari posset: *cum tantummodo per metaphoram, analogiam, & symbolice appelletur petra, caput, fundamentum, aut crepido Ecclesiæ.* Verum ex metaphoris & sensu allegorico nunquam firmum instruimus argumentum si Vallio ipsi credamus parte III. libri de Suprema potestate Papæ, quæst. x. At hæc clausula, *ille qui est rectæ fidei fundamentum*, pronomine emphatico *ille* munita, convincit hæc de Christo per excellentiam capi oportere: forsan excipies in Romana editione non reperiri τὸ ἐκεῖνος sed urgeo plus fidei antiquioribus inesse editionibus, quam nuperis ex Vaticana Bibliotheca ad absolutam monarchiam armandam promptis & concinnatis: quandoquidem post arcanum libros expurgandi à Jesuitis excogitatum, ne quidem sacra scriptura potest esse inviolabilis, ut alias demonstravi. Septimo, quod ait Bellarminus, Dioscorum à Leone damnatum *sancta Synodo consentiente*, hoc de suo adglutinat

tinat: quia gesta declarant, Patres sigillatim dixisse sententiam super abdicatione Dioscori, certumque est hanc viam procedendi, nimirum ut Pontifices de rebus Synodo tantum consentiente statuant seculo Gregorii VII. adinventum, quo quidem aristocraticum regimen funditus concidit. His autem accurate subductis liquet contra omnem fidem actorum objici à Recentioribus Dioscorum non damnatum à Synodo Chalcedonensi, propter fidem, sed duntaxat quia B. Leonem excommunicasset ac secundo Ephesino Concilio præfuisset: fateor certe Anatolium Actione quinta hæc memorare: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni & tertio vocatus est, & non venit, & ideo damnatus est.* Verum plura sunt capita hujus exauctorationis, ut Acta personant. An rogo, Dioscorus Eutychem absolvere, ut revera eum absolvit, & Flavianum orthodoxe docentem damnare potuit, quin se maximo errore contra fidem indueret? Quo modo igitur verum esse potest, Dioscorum propter fidem damnatum non fuisse? Permulta certe sunt in Actis quæ maximo judicio examinari debent. Adde præterea vocem unius Anatolii nullam esse in hac parte: quem verisimile est voluisse Leoni Magno gratificari, si hæc ut concepta sunt in Actis pronunciavit. Jam alias dixi Patres nihil ad postulationem legatorum

torum

torum Sedis apoſtolicæ pronunciaſſe, cum propterea Dioſcorum accuſarent, quod primatum in Synodo ſecundaEpheſina præſumpſiſſet: cum optime ſcirent id per Canones Dioſcoro licitum. Præterea nihil ſeorſim & privatim in pronuncianda ſententia adverſus Dioſcorum agitur de excommunicatione quam Leoni Magno inflixit: ſed generali tantum enunciatione declaratur Dioſcorum omnes Patrum regulas contempſiſſe & conculcaſſe: Eſt autem pervagatiſſimum Canones vetare ſedis ſuperioris Epiſcopum ab ſedis inferioris Epiſcopo excommunicari: ad ampliorem fidem eorum quæ dixi hic exſcribam Concilii ſententiam miſſam Dioſcoro, quæ extat in fine Actionis tertiæ: *Sancta & magna & univerſalis Synodus quæ gratia Dei ſecundum conſtitutum piiſſimorum & Dei amantiſſimorum Principum noſtrorum collecta eſt in Chalcedonenſium civitate Bithyniæ in baſilica Sanctiſſimæ Euphemiæ*, &c. *Cognoſce teipſum, propterea quod divinos Canones deſpexiſti & inobediens extitiſti huic ſancto & univerſali Concilio ſuper quæ præter alia tua commiſſa, in quibus inventus es reus, etiam tertio evocatus ab hac ſancta & magna Synodo ſecundum divinas regulas ut accuſationibus reſponderes, minime occurriſti, Octobris menſis præſentis 13 die à Sancto & univerſali Concilio eſſe ab Epiſcopatu depoſitum & ab omni eccleſiaſtica functione ſubmotum.* Porro hæc ſententia per contumaciam profertur: ideoque de fide, & aliis capiti-

pitibus criminum Dioſcori nulla ſit mentio, quia reſpondere & ſe judicio Patrum ſiſtere noluit. Huic vero ſententiæ ſynodalis epiſtola Concilii ad clericos Alexandrinæ Eccleſiæ ſuper Dioſcori abdicatione ſubjicitur: ſicque concluditur: *Cuſtodite igitur res eccleſiaſticas univerſas, tanquam qui reddituri eſtis rationem ei qui ſecundum Dei voluntatem & nutum piiſſimorum & Deo amantiſſimorum Imperatorum noſtrorum Alexandrinæ magnæ civitatis ſanctiſſimæ Eccleſiæ, eſt ordinandus Epiſcopus.* Ubi attendis Epiſcopos minime creari ſolere abſque Imperatoris conſenſu & voluntate. Denique hac eadem tertia Actione ſynodales literæ ad Valentinianum & Martianum Cæſares occurrunt: nec non etiam aliæ privatim ſcriptæ ad Pulcheriam Auguſtam conjugem Martiani Imperatoris, ſuper damnatione Dioſcori. Certe Pulcheria cum pro dote Imperium Martiano detuliſſet, ſedit in Concilio Chalcedonenſi cum ipſo Martiano viro ſuo: quod exemplum valde ſingulare eſt.

XXVII. Actione IV. *Glorioſiſſimi judices dixerunt: Differatur auditio uſque ad dies quinque, ut inter hæc veſtra Sanctitas congregetur ad ſanctiſſimum Archiepiſcopum Anatolium, & de fide communiter cogitetis, ut ii qui dubitant doceantur.* Deinde aliquanto poſt dixerunt: *Quoniam ſacra Euangelia poſita à Reverentia veſtra perſpicimus, ſinguli reverendi Epiſcopi qui convenerunt doceant, ſi expoſitio trecentorum decem*

&

& octo SS. Patrum qui in Nicæa collecti sunt, & post hæc centum quinquaginta qui in Regia congregati sunt civitate, consonant epistolæ reverendi Papæ Leonis. Anatolius reverendissimus Episcopus Constantinopolis dixit: Epistola sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi Leonis consonat symbolo trecentorum decem & octo SS. Patrum Nicænorum & centum quinquaginta qui apud Constantinopolim postea sunt collecti qui eandem fidem confirmaverunt: sed & iis quæ in Epheso sub Beatissimo & Sanctissimo Cyrillo gesta sunt, &c, *quapropter consensi & eidem epistolæ libenter subscripsi.* Idem postea declarant Paschasinus & cæteri legati B. Leonis cum omnibus Patribus; ex quo apparet epistolam Leonis ad normam symboli Nicæni & Constantinopolitani, nec non ad definitionem Ephesini Concilii examinari & approbari. Postea Juvenalis Hierosolymitanus, Thalassius, & alii Episcopi qui per vim subscripserant condemnationi Flaviani, in integrum restituuntur & adunantur Synodo Chalcedonensi.

XXVIII. Dehinc audiuntur decem Episcopi Ægypti qui Dioscoro adhæserant: à quibus Patres Chalcedonenses petunt, ut dicant Anathema Eutychi & subscribant epistolæ Leonis Magni: *Respondent vero Patres Nicænos regulam fecisse, qua voluerunt omnem Ægypti regionem sequi Archiepiscopum Alexandrinum, & nihil absque eo agere Episcopos suffraganeos: eamque ob causam deposito Dioscoro enm nullum Ar-*

Archiepiscopum habeant sibi praeuntem non posse subscribere, & si subscriberent occisum iri ab aliis Episcopis, clericis, & populo Ægypti? si placeat Synodo illis ordinare Episcopum in locum Dioscori lubenter subscripturos. Quare judices pronunciant, cum hujusmodi sit consuetudo Ægypti, ut Episcopi suffraganei nihil possint absque suo Metropolitano, aequum & rationabile esse, ut illi Episcopi in eodem habitu expectent & remaneant in regia civitate Constantinopolitana, quousque ordinetur Episcopus, Alexandrinæ civitati. Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ dixit: Quando judicibus ita videbatur ut juberent his decem Episcopis aliquid humanitatis præstari, oportere illos dare fidejussores. Itaque judices sic sententiam pronunciant: Paschasini sit firmum judicium: ut permanentes in proprio habitu dent fidejussores si hoc illis sit possibile: aut per sacramenta eis credatur, quia expectabunt ordinationem futuri Episcopi magnæ civitatis Alexandrinæ. Vide Canonem trigesimum Synodi Chalcedonensis in eam rem factum. Ultimo audiuntur quidam Archimandritæ & monachi Ægyptii, eorumque literæ ad Martianum Augustum perleguntur, quibus conqueruntur de clericis, quasi eos velint opprimere: hocque fugere Imperatorem; *vacent autem*, inquiunt, *turbationes, & subscriptiones quæ per violentiam fiunt, & persequutiones quæ semper à clericis contra nos meditantur: & quas conantur facere latentes vestram pietatem.* Propria sunt verba quæ indicant jam illo tempore mo-

monachos æmulatione certa adversus Hierarchicum ordinem incensos, voluisse partes docendi atque præeundi capessere, & parere Episcopis detrectasse. Quocirca Cæsar Martianus Patribus auctor fuit ut in ordinem cogerentur, sicut infra dicetur. Hercle isti monachi nunquam potuerunt induci ut definitioni factæ contra Eutychem subscriberent. idque magnam causam præbuit pestilentissimo & diuturno schismati in toto Oriente, ut postea notabitur : lege epistolam Martiani ad Archimandritas & Monachos Eliæ habitantes quæ extat ad calcem Synodi Chalcedonensis.

Actione v. Judices ea quæ decreta essent de fide perlegi atque recitari : quibus ab Asclepiade Diacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ perlectis Anatolius Constantinopolitanus petiit à Patribus, utrum illis placeret definitio (omnes præter Romanos & aliquot Orientales clamaverunt, *Definitio omnibus placet Sancta Maria Theotocos*, &c. *Paschasinus & Lucentius Episcopi & Bonifacius Presbyter. Vicarii Sedis Apostolicæ dixerunt : Si non consentiunt epistolæ Apostolicæ & Beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis rescriptam dari, ut revertamur, & ibi Synodus celebretur*, &c. *Magnificentissimi judices dixerunt Epistolam sanctissimi Leonis suscipitis? Prædicti Episcopi clamaverunt, etiam suscepimus & subscripsimus. Magnificentissimi judices dixerunt : Ergo quæ in ea inseruntur, inserantur*

definitioni; prædicti Episcopi clamaverunt: altera definitio non sit: nihil interest definitioni; EPISTOLAM DEFINITIO FIRMAVIT *Archiepiepiscopus Leo, ut credimus, sic credit. Definitio subscribatur, Definitio habet omnia; Definitio fidem habet: Leo eadem dixit quæ & Cyrillus: Cœlestinus quæ & Cyrillus dixit firmavit. Christus roboravit quæ Cyrillus dixit: unum baptisma, unus dominus, una fides, tolle fraudem à definitione*, &c. *Judices dixerunt: Si enim vobis hoc non placet, singuli fidem suam per suum Metropolitam manifestam constituant. ut nulla similiter dubietas aut discordia relinquatur. Si autem neque hoc vestra velit Sanctitas, cognoscite, quia in partibus Occidentalibus fieri habet Synodus, eo quod Religiositas vestra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter definire. Cecropius Episcopus Sebastianopolis dixit: petimus recitari definitionem, & ii qui contradicunt & non subscribunt ipsi ambulent, quia nos consentimus bene decretis, & in nullo contradicimus. Episcopi Illyrici dixerunt qui contradicunt manifesti fiant: qui contradicunt Nestoriani sunt: qui contradicunt Romam ambulent*, &c. Tandem perlegitur definitio. Cæterum hoc notabile occurrit quod Judices dicant Episcopis nisi in definitione facta consentiant, futurum ut aliud Concilium indicetur & congregetur ab Imperatoribus in partibus Occidentalibus, & qui non consenserint definitioni, eo proficisci debeant: unde Illyrici *qui contradicunt Romam ambulent*. Et hæc demonstrant omnia aristo-

crati-

cratico regimine & consensu Catholico perfici consuevisse in Ecclesia primitiva: scilicet per Synodorum celebrationem, non absoluto Papæ imperio ut fit hodie: unde nihil mirabile est communionem sanctorum scindi, & tot schismata existere.

XXIX. Actione VI. Martianus Imperator die sanctæ Euphemiæ sese ad Synodum contulit una cum Pulcheria *uxore divino zelo & fervore fidei accensa*, ut Acta loquuntur: atque luculentam habuit orationem ad Patres, qua enarrat *ab eo tempore quo est evectus ad Imperium, nihil antiquius aut charius habuisse quam ut Orthodoxa & vera fides Christiana, sancta, pura & indubitata omnium animis insideret: constare autem avaritia vel studiis pravis quorumdam, quamplurimos in errorum deductos: se quidem hoc proposito sanctam Synodum fieri studuisse, ut veritas religionis fulgeret: nec in posterum quisquam auderet de nativitate Domini Salvatoris nostri Jesu Christi aliter disputare quam Apostolica prædicatio & instituta* CCCXVIII *sanctorum Patrum eidem convenientia posteritati tradidissent, sicut etiam epistola sancti Leonis Papæ qui Sedem Apostolicam gubernat, missa ad Flavianum Constantinopolitanum urbis Episcopum testatur. Itaque remotis omnibus pravis studiis & patrociniis atque avaritia se percupere veritatem cunctis innotescere: & ad fidem confirmandam non ad potentiam aliquam exercendam exemplo Constantini Magni Synodo interesse: ne ulterius populi pravis persuasionibus scindantur: hoc*

unum habere in animo, ut omnis populus per veram fidem Catholicam colat ſecundum inſtituta Patrum concordantibus æque animis expoſitam ac deſinitam: ita ut quæ in Synodo Chalcedonenſi terminata fuerunt in perpetuum ſerventur. Quibus auditis Patres exclamant: *Multi anni Imperatori, multi anni Auguſtæ Orthodoxæ*, &c. Dehinc Aëtius Archidiaconus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ perlegit decretum fidei ſicut conceptum legitur Actione quinta, quod incipit: *Dominus noſter & Salvator Jeſus Chriſtus notitiam fidei diſcipulis ſuis firmans dixit: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ut nullus diſſonet à proximo circa dogmata pietatis*, &c. Quæ ſanctio Symbolum fidei Patrum Nicænorum, Conſtantinopolitanorum & Epheſinorum confirmat & ad hunc modum explicat: *Sequentes igitur ſanctos Patres unum eundemque confiteri Filium & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſona voce omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere & hominem vere, eundem ex anima rationali & corpore: coëſſentialem ſecundum Deitatem, coëſſentialem nobis eundem ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato; ante ſecula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter ſalutem noſtram ex Maria virgine Theotoco ſecundum humanitatem: unum eundem Chriſtum, Filium, Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuſe, immuta-*

mutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata essentia naturarum propter unionem: magisque salva proprietate utriusque naturæ: & in unam personam atque existentiam concurrente: non in duas personas partitum atque divisum, neque disjunctum, sed unum & eundem Filium, unigenitum Deum Verbum Jesum Christum &c. Procul dubio typus hujus definitionis fidei non est illi divino symbolo quod B. Athanasio tribuitur absimilis: magnaque me incessit admiratio, si Patres tertii, quarti, quinti, sexti & octavi Concilii generalis symbolum hoc perspectum habuerunt, cur non illud in aciem explicarint ad debellandas hæreses Nestorii, Eutychis, Monothelitarum, & probandam Spiritus Sancti processionem à Patre & Filio, quæ tempore octavi Concilii sub Nicolao I PP. exagitabatur. Nam de more semper habuerunt, hæreses nascentes testimoniis Patrum ab Apostolorum temporibus ad sua tempora profligare: & tamen in illis Conciliis memoratis nulla symboli Athanasii extat mentio. Non me quidem fugit Bellarminum lib. 11 de Christo cap. 24. articulo: *Ad hoc testimonium*, &c. venditare, Gregorium Nazianzenum oratione de laudibus Athanasii *dicere Athanasium perfectissimam fidei confessionem composuisse, quam totus Oriens & Occidens veneratur, & Augustinum citare versum integrum hujus symboli ex Athanasio*: sed æquivocatione Bellarminus illudit, quia in operibus

 At-

Athanasii perfectissima extat fidei confessio, & inde etiam non unicus sed multi versus similes versibus symboli quod Athanasio tribuitur colligi possunt. Scio præterea Baronium Tomo III Annalium ad annum Domini 340 numero 16 perhibere Symbolum hoc Romæ conditum à S. Athanasio, ut Julio I. rationem suæ fidei redderet, neque Ecclesiæ Orientalis lumem alia lege ad Ecclesiæ Romanæ communionem admissum: hocque divinum opus in Vaticanæ bibliothecæ scriniis usque ad tempora quarti Concilii Toletani sub Honorio. I. latuisse; quoniam capite I memorati Toletani Concilii ferme verbum de verbo legitur hoc symbolum. Hæc, inquam, scio ab illustrissimo scriptore Annalium Ecclesiasticorum, sed ut frequenter assolet, majestative absque ulla ratione aut teste referri. Et primum quod S. Athanasium alia via quam fidei professione receptum non fuisse Romæ, hoc gratis dicitur: neque probat symbolum hoc à B. Athanasio lucubratum: certumque est sanctissimum Alexandrinæ Ecclesiæ Antistitem testimonium & literas commendatitias ab omnibus Episcopis Orientalibus orthodoxis habuisse, ut tum moris erat. Quid dicere opus, notum etiam de vultu fuisse permultis Episcopis Occidentis propter integrum biennium quo exulavit in Occidente sub Constantino Magno post Synodum Tyrensem? neque

que opus habuisse hac editione symboli suam profiteri fidem in Occidente, cum nulla esset mundi plaga ad quam fama tanti viri, cui nimium detrahit Baronius, non pervenisset? Quis etiam credat S. Athanasium soli Ecclesiæ Occidentali hoc symbolum condidisse, neque patriæ suæ illud communicare voluisse, utut sit: *Jam est Catholicæ Ecclesiæ non Athanasii symbolum, in quo nullus est apex non admiratione, sanctitate, atque eruditione Athanasii dignissimus.* Verum ut nos ex diverticulo in viam referamus: ubi perlecta est definitio fidei Synodi Chalcedonensis, cuncti Patres sigillatim ad hunc modum subscribunt: *Paschasinus Episcopus vice Domini mei Beatissimi atque Apostolici universalis Ecclesiæ Papæ urbis Romæ Leonis Synodo præsidens, statui, consensi, & subscripsi: Lucentius Episcopus civitatis Ecclesiæ Esculanæ Vicarius Domini mei Beatissimi atque Apostolici viri universalis Ecclesiæ Papæ urbis Romæ Leonis in Synodo Græce relecta subscripsi: Bonifacius Presbyter urbis Romæ, Vicarius Domini mei Beatissimi & Apostolici viri, universalis Ecclesiæ Papæ urbis Romæ Leonis, cum universa Synodo consensi & subscripsi: Anatolius Episcopus Constantinopolis novæ Romæ definiens subscripsi: Maximus Episcopus Antiochiæ statuens subscripsi: Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus statuens subscripsi: Quintillus Episcopus Heracleæ obtinens locum Anastasii Episcopi Thessalonicensium statuens subscripsi: Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappado-*

cia similiter & omnes alii Patres. Hinc autem tria præsertim colligimus, primum universos Episcopos sedere in Concilio tanquam judices ordinarrios controversiarum & statuentes atque definientes, non ut Papæ assessores & consiliarios. Secundo formam definiendi legatorum Romanæ Sedis esse valde alienam à simplicitate evangelica ante & post usitata in aliis Conciliis ac plane dominatum & fastum seculi redolere, ut patet ex oppositione definitionis Anatolii & aliorum Episcoporum. Tertio notandum eosdem legatos Papæ in hac Synodo opportune atque opportune passim hæc verba obtrudere & inculcare *Leo universalis Ecclesiæ Papa urbis Romæ* : quod anteactis Synodis inauditum fuit : hoc autem accessionem fecit *ad usum nominis Oecumenici*, ut Synodis & Episcopis de hinc tribueretur.

XXX. Cæterum ita peractis subscriptionibus, Cesar Martianus universos Patres sic affatur: *Dicat sancta Synodus si secundum omnium Sanctorum Episcoporum expositionem definitio nunc relecta prolata est? Omnes clamaverunt, omnes sic credimus : una fides una voluntas : omnes id ipsum sapimus*, &c. *Martianus novus Constantinus, Pulcheria nova Helena : zelum Helenæ tu sectaris; vestra vita munimen cunctorum est : vestra fides Ecclesiarum gloria est*, &c. *Et post has voces, divinissimus & piissimus dominus noster Imperator ad sanctam Synodum dixit: pia & catholica fide*

fide à sancta & universali Synodo secundum Patrum expositionem declarata, justum simul & expediens esse nostra tranquillitas approbavit, omnem de cætero contentionis occasionem de sanctæ fidei religione penitus amputari. Si quis igitur idiota, vel militaris, seu clericus publice de fide turbam congregans, sub obtentu disputationis tumultum fecerit, sciat quia si quidem idiota sit ab urbe regia expelletur: militaris vero & clericus gradus sui periculum sustinebunt, & pœnis aliis subjacebunt. Omnes clamaverunt, multos annos Imperatori: multos annos Augusto pio & Christiano: Ecclesias tu correxisti: orthodoxam fidem tu confirmasti: Augustæ orthodoxæ multi anni: multos annos piæ & amatrici Christi: Imperium vestrum Deus custodiat: vos hæreticos expulistis. Nestorio & Eutychi & Dioscoro Anathema, Trinitas hos tres damnavit, &c. Hic lector observabit Patres clarissime & nominatim docere Martianum Cæsarem Acta ipsa & definitionem Synodi Chalcedonensis eo ipso confirmare quod edicto caverit, ne qui idiotæ de fide publice disputarent, ne turbam congregarent: idque si patrarent ab urbe regia pellerentur; militares autem & clerici gradu suo dejicerentur: quare exclamant *Ecclesias tu correxisti, orthodoxam fidem tu confirmasti*, &c. Neque vero optimo Principi hæc in Synodo ipsa sciscere satis fuit, nisi etiam Edictum in eam rem promulgaret, quod extat in Collectione Binii & Surii ad calcem tertiæ Actionis & in editione

Romana parte III cap. 4. Synodi Chalcedonensis fol. 443. Cujus Edicti tale est exordium: *Venerabilem Catholicæ orthodoxorum fidei sanctitatem, manifestam & indubitatam universis constituere cupiens, nostra Serenitas ut major erga divinitatis obsequia hominibus religio traderetur, tantam atque talem Synodum ex omnibus provinciis coadunatis Episcopis in Chalcedonensi civitate colligi jussit*, &c. *Ordinatis itaque religiose & fideliter quæ venerandam orthodoxorum fidem fundasse noscuntur. Ita ut nulla in posterum dubitatio vel illis qui calumniari divinitatem assolent relinqueretur, sacro nostræ Serenitatis Edicto venerandam Synodum confirmantes admonuimus universos ut de religione disputare desinerent: quoniam unus & alter tanta secreta invenire non posset: maxime cum summo labore amplissimis orationibus tot venerabiles sacerdotes, nisi Deo ut credendum est auctore ad indaginem veritatis non potuerint pervenire*, &c. Quo Edicto nullæ irrogantur pœnæ, sed alio misso ad Palladium Præfectum Prætorio, quod eadem tertia sessione Chalcedonensi legitur. Verum in hac Synodi confirmatione hoc dignum observatione occurrit, quod tota Synodo atque ipsismet Vicariis Sedis Apostolicæ videntibus, audientibus & collaudantibus, Cæsar Martianus non modo laicis, verum etiam clericis pœnas infligit temporales cum gradus clericalis exauctoratione. Hæc jam qui potest cum bullæ cœnæ Domini placitis concordet: at Sophi-

stæ

ſtæ B. Leone permittente & conſentiente facta eſſe cauſentur.

Sed ut amplius pateat quanta tum temporis Imperatores pollerent auctoritate in externa diſciplina Eccleſiæ conſtituenda Martianus Cæſar ſic Patres alloquitur ſub finem ſextæ Actionis : *Quædam capitula ſunt quæ ad honorem veſtræ Reverentiæ vobis ſervavimus, decorum eſſe judicantes à vobis hæc regulariter potius formari per Synodum quam noſtra lege ſanciri: & jubente diviniſſimo Principe Berenicianus vir devotus Secretarius divini conſiſtorii tria capitula relegit*: quæ mandato Cæſaris concepta fuerant ad monaſticam & eccleſiaſticam diſciplinam regendam. Ea autem hic non adſcribam; quoniam Actione XV cum aliis Canonibus Synodi Chalcedonenſis ſuccenturiantur; ſcilicet Canone III, IV, & XX. Sane politicis Principibus incumbit diligenter excubare quatenus diſciplina Eccleſiaſtica optime conſtituatur & Canones ab omnibus illibati ſerventur: quem in finem leges atque edicta, tanquam communes exterioris diſciplinæ Epiſcopi ſancire poſſunt.

Actione VII Maximus Antiochenus & Juvenalis Hieroſolymitanus referunt ad Synodum, ſe amice & mutuo de ſuarum diœceſium terminis conveniſſe. Ita ut Antiochenus tres Phœnicas cum Arabia; Hieroſolymitanus autem tres habeat Palæſtinas: hocque ad pacem & amicitiam inter ſeſe fovendam.

dam. Quare hæc pacta conventa à sancta Synodo grata rata haberi postulant : quod ita factum est : & ex eo tempore arbitror, sedem Hierosolymitanam evasisse patriarchalem : præterea cum Dominus Episcopatu Antiocheno cessisset in gratiam Maximi, hicque eidem Domno aliquam partem proventuum Episcopatus Antiocheni concessisset ut honeste vitam duceret : Maximus petit id probari à sancta Synodo, quæ eam ob causam laudat Maximi humanitatem & pietatem. Verum qui ad hæc attenderit, facile videbit nihil antiquitus consuetum fieri nisi synodice comprobatum : hincque *Jus pensionum Canonicarum potest confirmari:* quæ iis tantum tribui consueverant, qui magnam vitæ partem in ministerio consumpserant & propter ætatem sese exonerabant Episcopatu.

XXXI. Actione VIII Patres causam Theodoreti Cyrensis Episcopi quam Actione prima delibarant, de integro tractant, ille autem cum in prima Synodo Ephesina Joanni Antiocheno Patriarchæ suo adhæsisset adversus S. Cyrillum, in quem Elenchos scripserat, excommunicatus & abdicatus est à Patribus primæ Synodi Ephesinæ : verum tamen Theodosius Imperator quando Joannem Antiochenum cum Cyrillo redire in gratiam jussit, una etiam hæc Acta Patrum Ephesinorum adversus Theodoretum & alios irrita vitandi schismatis causa fecit : voluitque Theodore-

tum

tum propter suam scriptionem in S. Cyrillum soli suæ vacare Ecclesiæ. Tandem cum Theodosius accepisset, Theodoretum non alio animo scripsisse in Cyrillum, quam quod hunc putaret in errorem Apollinaris propendere, indicto secundo Concilio Ephesino, permisit Patribus, ut, si eis videretur, Theodoretum ad Synodum admitterent. Sed Dioscorus successor S. Cyrilli, ut decessoris sui injurias ulcisceretur, Theodoretum in secunda Synodo Ephesina excommunicavit: qui eam ob causam se coram Patribus Chalcedonensibus sistit. Cæterum, antequam Synodus Chalcedonensis haberetur, Theodoretus de injuria sibi à Dioscoro illata, tum & apud Leonem Magnum, tum apud Imperatorem Martianum, conquestus; S. Leo illum ad suam communionem admiserat: & Imperator eum restitui in integrum jusserat: nihilominus Patres Chalcedonenses hoc mitti in rem judicatam noluerunt, priusquam de integro Theodoreti causam cognovissent. Nam, ut Actione prima docui, quamprimum est ingressus Synodum Chalcedonensem, Patres exclamarunt: *Misercmini; fides perit; istum Canones ejiciunt; hunc foras mittite; Magistrum Nestorii foras mittite.* Deinde Actione VIII clamant: *Theodoretus anathematizet Nestorium:* Theodoretus autem cum excepisset, *se preces Imperatori & libellos Vicariis Leonis Magni obtulisse*, precareturque *ut in Synodo legerentur*; Episcopi

piscopi responderunt, *se nihil velle relegi, sed tantum velle ut diceret Anathema Nestorio* : At Theodoretus rependit, *se ab orthodoxis enutritum atque electum orthodoxe semper docuisse & prædicasse, ac non modo Nestorium & Eutychem sed & omnem hominem, qui recte non saperet, aversari:* quæ summa erat libellorum quos dederat Vicariis Sedis apostolicæ, ut legerentur in Synodo. Ad hæc : *Reverendissimi Episcopi clamaverunt : dic aperte Anathema Nestorio*, &c. *Theodoretus reverendissimus Episcopus dixit : Anathema Nestorio : & ei qui non dicit Dei genitricem virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium unigenitum : Ego autem & fidei definitioni subscripsi, & epistolæ Sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi Domini Leonis : & sic sapio : & post hæc omnia dixit : Salvete. Gloriosissimi judices dixerunt : omnis jam dubitatio de Theodoreto reverendo soluta est : quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit, & à Sanctissimo & Deo amantissimo Leone susceptus est, & definitionem fidei à religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper epistolæ memorati Sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit : Deest igitur ut sententia proferatur à Reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & SS. Leo Archiepiscopus judicauit. Omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt. Theodoretus dignus est Sede: Ecclesia orthodoxum Ecclesiæ Pastorem recipiat.* Tum Vicarii S. Leonis dixerunt : *Theodoretum sanctissimus universæ Ecclesiæ Episcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem*

nionem

monem suscepit, ita sicut literæ ab eo ad nostram humilitatem directæ testantur, &c. *igitur quoniam & Nestorium & Eutychem non solum scripto, sed & sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizavit, hoc judicio sanctissima & reverendissima Synodus insuper vero & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam definivit. Anatolius reverendissimus Episcopus Constantinopolis dixit: reverendissimus Theodoretus per omnia quidem est orthodoxus demonstratus, & ob hoc vero, quod anathematizavit Nestoriom & Eutychem, suam igitur Ecclesiam juste recipiat,* &c. *Omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt: hoc justum judicium, hæc justa sententia, hoc Christi judicium, his nos consentimus,* &c. *Glorisissimi judices dixerunt secundum Decretum sancti Concilii Theodoretus sanctissimus Episcopus Ecclesiam civitatis Cypri recipiet.*

In hac Actione multa veniunt observanda: Primo Theodoretum definitioni fidei & epistolæ Leonis Magni cum aliis Episcopis subscripsisse Actione V & VI. siquidem in Actis ejus nomen extat. Secundo, eundem Theodoretum postquam est injuste à Dioscoro abdicatus, in Pseudo-Synodo Ephesina: perfugio habuisse Sedem Apostolicam ac Leoni Magno specimen suæ fidei exhibuisse: cujus epistolam habes Tomo I Conciliorum Binii post epistolam LXII Leonis, in qua hæc occurrunt, quibus fautores absolutæ monarchiæ suum munire opinionem tentant.

XXXII.

XXXII. *Ego*, ait Theodoretus, *Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico & obsecro vestram Sanctitatem, ut mihi opem ferat justum vestrum & rectum appellanti judicium: & jubeat ad vos accurrere & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem*, &c. *Item: Ante omnia autem rogo, ut sciam à vobis, an in injusta hac depositione me oporteat acquiescere an non: vestram enim expecto sententiam*, &c. *Mihi autem ut Dominus Deus est testis, nec honor curæ est, nec gloria, sed tantum scandalum quod factum est: quod multi ex simplicioribus, & maxime qui ex diversis hæresibus à nobis capti sunt, se dem eorum qui nos condemnarunt attendentes, existimabunt nos fortasse hæreticos, ut qui quod sit rectum perfectumque dogma videre nequeant*, &c. *Ne ad vós venirem me Imperatoris literarum vincula retinuere*, &c. Ex his ergo efficere conantur, Theodoretum provocasse ad Papam, velut monarcham: sed eos recta fugit ratio, neque attendunt τὸ *ut mihi opem ferat justum vestrum & rectum judicium appellanti*: esse vocem æquivocam, intelligendam congruenter ad illorum temporum non hodiernam politiam: atque Theodoretum nihil aliud exposcere, quam ut Romanus Pontifex ei contra injurias, quas injuste patiebatur, à Dioscoro opem ferret Canonicam: curaretque aliqua Synodo suam causam tractari, ut superius de SS. Athanasio, Chrysostomo, Eutyche, & Flaviano docuimus. Nam recta

ratio

ratio expoſcit, ut quando aliquis in aliqua Synodo eſt injuſte damnatus, ut alia Synodo ejus cauſa examinetur: inſuper Canones jubent deferri Appellationibus extra provinciam, quando Epiſcopi provinciæ ſuſpecti ſunt. Equidem licet Theodoretus diſerte & nominatim ſcripſiſſet, ſe appellare Romam ad Sedem Apoſtolicam, nihilominus hoc abſolutæ monarchiæ patronis parum opitularetur: cum videamus hoc in loco Patres Chalcedonenſes de cauſa Theodoreti privatim cognoſcere, eamque definire, tametſi Leo PP. illum ad ſuam communionem admiſiſſet, eique Eccleſiam ſuam reddi oportere cenſuiſſet. Itaque natura & veritas hujus Appellationis, ſi quæ fuit, non ex mente atque interpretationibus ſcriptorum Romanorum æſtimanda eſt: ſed ex ſenſu Catholicæ Eccleſiæ quem Synodus Chalcedonenſis declarat, dum cauſam Theodoreti definit poſt Leonis PP. ſententiam; hocque ipſo abſolutam monarchiam, & opinionem, quod Papa ſit ſupra Concilium, clariſſime profligat: idque eſt quod tertio loco notandum veniebat. Quarto autem, illis temporibus longe aliud fuiſſe ad Romanæ & aliud ad Eccleſiæ Catholicæ communionem admitti: quia etſi Leo Theodoretum ad ſuam communionem recepiſſet, nondum tamen Eccleſiæ Catholicæ conſortium venerat: idque poſt Synodi Chalcedonenſis decretum duntaxat conſequutus

est: unde claret, tum Romanam Ecclesiam ut revera est, habitam pro singulari & particulari, non pro universali Ecclesia: hoc enim commentum est hominum obnoxiorum; consule supra quæ observavimus ad sextum Canonem Nicænum. Quinto istinc cognoscitur Bellarminum lib. IV de Romano Pontifice cap. I. minus sincere & vere exemplum Theodoreti usurpasse, ut probaret, illum appellasse ad Leonem PP. tanquam infallibili judicio præditum. Præterquam enim quod factum Theodoreti non pertinet ad Appellationem, sed ad perfugium; ut in explicatione analytica epistolæ Patrum Africanorum cap. 6. dictum est: insuper accedit, Theodoretum non unius Leonis, sed communionis sanctorum & Cathedræ Apostolicæ judicium flagitare conformiter ad disciplinam illo tempore frequentatam: Cathædræ enim judicium non à privato motu Papæ sed à synodali judicio proficiscitur: unde Theodoretus scribit se non tam solicitum esse de honore Episcopali quam de vitando scandalo, ne multi ex simplicioribus, qui de ejus doctrina judicare non poterant, attendentes ad sententiam Dioscori illum pro hæretico haberent: quæ opinio non poterat abstergi nisi judicio synodali: unde quamquam literis Imperatoris restitutus fuisset in Sedem suam, semper tamen judicium synodale quærebat: illudque tum demum est consequutus in Chalcedonensi Concilio. Actio-

Actione IX & X Patres causam Ibæ Episcopi Edessenorum tractant: & quoniam absens à Dioscoro in secunda Synodo Ephesina damnatus fuerat, hîc absolvitur: & inter cætera ejusdem Ibæ epistola ad Marim Persam contra Anathematismos B. Cyrilli exhibetur: quæ postea damnata est in quinta Synodo cum Elenchis Theodoreti adversus S. Cyrillum.

XXXVIII. Porro Actione X in literis clericorum Edessanæ civitatis ad Photium & Eustathium Episcopos, circa medium, ubi legati B. Leonis sententiam suam pro absolutione Ibæ pronunciant, hoc memorabile occurrit, quod omnium primi Paschasinus Lucentius atque Bonifacius *petunt & deprecantur Imperatorem quatenus pia lege sanciat, neque Synodum secundam Ephesinam nominari, neque quicquam quod in ea factum tenere.* Quæ illorum rogatio consentit epistolæ XXIV Leonis ad Theodosium Cæsarem: *Ecce ego Christianissime & venerabilis Imperator cum consacerdotibus* MEIS OBSECRAMUS *coram unius deitatis inseparabili Trinitate quæ tali facto læditur*, Pseudo-Synodum Ephesinam intelligit, *& coram sanctis Angelis Christi*, UT OMNIA IN STATU ESSE JUBEATIS *in quo fuerunt ante omne judicium donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur*, &c. *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus* ET LACRYMIS SUPPLI-

CANT SACERDOTES, *ut quia & nostri reclamarunt*, &c. *generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari* Quibus ex locis innotescit, & convocationem & confirmationem atque antiquationem Conciliorum ab Imperatoribus non à Papa flagitari consuevisse: nam contrariorum eadem est ratio.

XXXIV. Actione XI Stephanus & Bassianus qui in Ephesinam Sedem contra Canones involarant, exauctorantur: idque commodi ex ejusmodi exauctoratione in seculum nostrum redundavit, quod nos in certam notitiam deducat CODICIS CANONUM, quo Ecclesia Catholica seculo S. Leonis Papæ utebatur. Siquidem cum Stephanus atque Bassianus factum suum Canonibus tueri vellent: Gloriosissimi judices Actione XI dixerunt, ut Canones illi relegerentur. Tumque Leontius reverendissimus Episcopus Magnesiæ EX CODICE relegit regulam nonagesimam quintam: *Si quis Episcopus vacans super Ecclesiam vocantem semetipsum injiciens, subripuerit Sedem præter perfectum Concilium, hunc expellendum esse: licet omnis populus quem arripuit eum elegerit. Perfecta vero Synodus illa est cui interest Metropolitanus Episcopus*, En prior Canon, est qui decimus sextus Antiocheni Concilii. Dehinc idem reverendus Leontius ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam quæ est Canon decimus septimus Antiochenus: *Si quis Episcopus ordinationem acceperit. Epi-*

Episcopatus, & populo præesse decretus non acquieverit ordinationi, neque ei persuasum fuerit proficisci ad Ecclesiam sibi commissam, hunc excommunicatum esse donec coactus acquiescat: aut quicquam de eo Episcoporum provinciæ Synodus perfecta definiat. Quo Canone Bassianus causam suam muniebat: quasi non ausus fuisset populo Episcopatum sibi deferenti resistere. At Stephanus, conjuratione facta contra Bassianum, quem quadriennio integro pro Episcopo agnoverat, in eumdem Episcopatum Ephesinum invasit: judices autem pronunciant, sibi videri & Bassianum indignum esse Episcopatu, eo quod in eum violenter involasset: & multo magis Stephanum quando conjurationibus atque ejusmodi factiosis artibus Bassianum depulisset: quam judicum sententiam Patres communi acclamatione comprobant, & inter alios Anatolius post Vicarios Sedis Apostolicæ hæc privatim dixit: *Eos qui se contra legem sponsæ Christi Ephesinæ Ecclesiæ conjunxerunt, hos decenter legibus suis jus expellit. Igitur & qui insiluit Sedi Bassianus, & qui post illum inordinate semetipsum immisit Stephanus, quietem habeant cessantes ab operatione Ecclesiæ. Dabitur autem Ephesiorum Metropoli Episcopus à Deo monstratus, &* AB OMNIBUS QUI PASCENDI SUNT, ELIGENDUS EST *ad ordinationem Episcopatus qui recte prædicet verbum veritatis:* &c. *Sancta Synodus exclamavit, Hæc justa sententia, hoc justum judicium est:* ac de-

demum concluditur Canones debere obtinere, & privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ juxta decreta Concilii Constantinopolitani servari oportere, ita ut ordinatio Ephesini Episcopi ab Episcopo Constantinopolitano fieri debeat.

XXXV. Quocirca Actione XII qua de eligendo Episcopo Ephesino agitur, Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus prærogativam habet Sedis atque suffragii ante legatos Papæ; quoniam Ephesus secundum Canonem III Constantinopolitanum Constantinopolitano Episcopo tanquam Patriarchæ suberat: Ideoque ad illum ordinatio Ephesini Episcopi spectabat: idque est testimonio, bonos illos Patres non agnovisse Leonem tanquam totius orbis Episcopum, & velut monarcham Ecclesiæ, nullamque habere privatam diœcesim regendam, ut hodierni adulatores garriunt: & falsissimum esse, quod Binius post Baronium asserit: puta Canonem III Constantinopolitani Concilii, qui in Synodo Chalcedonensi confirmatus est, trecentis aut circiter annis post Leonem Magnum ex assensu & beneplacito Romanorum Pontificum in rem judicatam abiisse. Id enim Acta Concilii Chalcedonensis, & nominatim hæc Actio XII falsi arguit. Sed gesta expendamus. *Gloriosissimi judices dixerunt venerabile & immaculatum Euangelium in medio proferatur: & allato Euangelio in medio dixerunt: petitionem rursus offerimus propositis sanctis Euange-*

ge-

gelis adhortantibus vos neque duorum quenquam lædere, si forte quisquam eorum dignus est, ut in memorata sanctissima Ecclesia Episcopatum debeat obtinere sive uterque si indignus est declarare: unde secundum Deum, & secundum quod dignum est atque decens ac utile sanctæ Ecclesiæ, quæ sunt justa decernite. Anatolius reverendus Episcopus Constantinopolitanus dixit: & dudum dixi mihi videtur, si etiam sanctissimo Concilio placeat, ut neuter eorum sit Ephesiorum civitatis Episcopus; sed alius EX ELECTIONE OMNIUM QUI PASCENDI SUNT *ordinetur, ad gubernandum Episcopatum, eo quod ambo præter regulas sibimet Episcopatum usurparunt: habere autem eos & dignitatem Episcopi, & communionem, & ab Ecclesia esse pascendos. Paschasinus reverendus Episcopus obtinens locum Sedis Apostolicæ dixit: hæc ipsa quæ semel disposui & in præsenti dispono de memoratis, quorum uterque Ephesiorum suscepit Ecclesiam: & propterea si consentit omnis Synodus, debet his remotis alter secundum Canonum statuta decerni. Maximus reverendus Episcopus Antiochiæ dixit: absque regulis ambo ex his quæ relecta sunt Episcopatum obtinuerunt: quis autem eorum dignus est, esse in civitate, per Clementiam à sanctissimæ provinciæ Episcopis est dicendum. Juvenalis Hierosolymorum dixit: prospicit sancta Synodus pasci quidem eos ab Ephesiorum Ecclesia, alium vero regulariter ordinari,* &c. *Gloriosissimi judices dixerunt: Quoniam placuit universis interloquutio Deo amantissimi Archiepiscopi regiæ Constantino-*

tinopolis Anatolii & reverendi Episcopi Paschasini obtinentis locum Leonis Deo amantissimi Archiepiscopi senioris Romæ: præcipiens eo quod utriq; contra regulas facti sunt, neutrum eorum denominari, neque præesse sanctissimæ Ephesiorum Ecclesiæ, & omnis sancta Synodus contra regulas eos ordinatos edocuit, &c. *removebuntur quidem à sancta Ephesiorum Ecclesia Bassianus & Stephanus reverendus: habeant autem dignitatem Episcopi, & ex redditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ nutrimenti gratia & consolationis annis singulis solidos ducentos accipiant: alter vero secundum regulas ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Episcopus ordinabitur. Omnis sancta Synodus exclamavit: Hæc sententia, hæc justa forma hæc bene sunt.*

XXXVI. Actione XIII expostulatio Eunomii Episcopi Nicomediæ ad Imperatorem contra Anastasium Episcopum Nicænum recitatur: causa hujus dissidii inde nata, quod Nicæa & Nicomedia, ab Imperatore Valentiniano erectæ fuissent in Metropoles Imperii, & Anastasius contra Canones & morem antiquum, clericos Basilinopolis diœcesis Nicomediensis excommunicasset. Compendium sententiæ Patrum, quam judices pronunciarunt, fuit, ut Canones obtinerent, atque Episcopus Nicomediensis secundum consuetudinem haberet auctoritatem Metropolitani inter ecclesias provinciæ Bithyniæ: Nicænus autem Episcopus provinciæ Nicomediensi; deinde Nicomedia Patriarchæ Constantinopolitano, juxta Canonem III Sy-

Synodi Conſtantinopolitanæ ſubjaceret. Duo autem ex hac Actione colligimus: Primum, illis aureis ſeculis Epiſcopos gravatos confugere ſolitos ad Imperatorem tanquam vindicem & propugnatorem Canonum, ſicut ſupra Actione I de Euſebio Dorylenſi Epiſcopo dictum eſt, & ſequenti Actione iterum comprobatur: alterum, falſo in dubium revocari prærogativam Sedis Conſtantinopolitanæ poſt Romanam Sedem quaſi non invaluiſſet ante Chalcedonenſem Synodum, cum hic videamus Nicomediam eidem ſubjici jure Patriarchali: adde inſuper Actione XVI infra, Epiſcopos Aſiæ & Ponti nominatim dicere, ſe ſponte conſenſiſſe Actis ſuper Canonem XXVIII de prærogativa Sedis Conſtantinopolitanæ: ac multis retro annis Epiſcopum Conſtantinopolitanum in Ponto & Aſia feciſſe ordinationes: qua reſponſione ea confirmantur quæ Actione XII & XIII dicuntur.

Actione XIV recenſetur libellus ſupplex Sabini ſive Sabiniani Epiſcopi Parenorum ad Imperatorem, conquerentis quod eum Dioſcorus in ſecunda Synodo Epheſina injuſte depoſuiſſet: quamquem tamen canonice ordinatus & ſubſtitutus fuiſſet in locum Athanaſii quem Dominus Antiochenus depoſuerat, ſed cum Athanaſius cauſaretur injuſte depoſitum, & à Dioſcoro reſtitutum, judices ita pronunciant: U*t Sabinianus, quoniam poſt depoſitionem Athanaſii*

 ordi-

ordinatus est à Concilio provinciali in Parenorum civitatis Episcopatu, debere manere. Cæterum causas ob quas depositus est Athanasius, debere examinari apud Maximum Antiochenum Episcopum in Concilio provinciali: intra octo menses à præsenti die numerandos: & si non convincatur Athanasius, debere in integrum restitui: ita tamen ut Sabinianus retineat dignitatem Episcopatus, tanquam substitutus, & pascatur ex proventibus Ecclesiæ. Ad hæc Maximus Antiochiæ Episcopus dixit: *hoc nihil justius*, &c. *sancta Synodus dixit, Nihil justius, nihil integrius, hæc justa sententia*, &c,

XXXVII. Actio xv triginta nobis exhibet Canones quorum hic vigesimum octavum exscribam, super prærogativa Sedis Cantinopolitanæ post Romanam Sedem: de qua re magna exarsit controversia quam accurate enodabimus. *Sanctorum Patrum decreta utique sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes: eadem quoque & nos decernimus ac statuimus de Privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuêre: & eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuêre: recte judicantes, urbem quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis frua-*

furatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnificeri, secundam post illam existentem: ut & Ponticæ & Asianæ, & Thraciæ diœcesis Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarum diœcesium quæ sunt inter barbaros, à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur: unoquoque scilicet prædictarum diœcesium Metropolitano cum provinciæ Episcopis, provinciæ Episcopos ordinante, quemadmodum divinis Canonibus est traditum. Ordinari autem sicut dictum est prædictarum diœcesium Metropolitanos à Constantinopolitano Archiepiscopo, convenientibus de more factis electionibus & ad ipsum relatis.

Hic Canon quatuor nos præsertim docet: Primum, Patres antiquos ideo multa privilegia Sedi Romanæ concessisse, eo quod urbs illa Imperium & Senatum totius mundi haberet: idque illa confirmat quæ cap. 2, de Metropolibus disputavimus: Patres autem Chalcedonenses de iis loquuntur quæ ex Ecclesiæ praxi omnium optime norant. Alterum notabile est, Patres Constantinopolitani Concilii, quos inter S. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, & plurimi alii erant, eadem consideratione motos Constantinopolitanæ Sedi etiam privilegia tribuisse, eo quod Constantinopolis esset nova Roma, secunda post Romam antiquam atque insuper Imperium & Senatum mundi haberet. Tertio, voluisse hæc æqualia esse privilegia, etiam in rebus Ecclesiasticis, Quod est maxime

xime notandum contra Gratiani interpolationem *Can. Renovantes dist.* 22. Ubi hæc verba affirmative dicta, *etiam in rebus ecclesiasticis non secus ac illam extolli, ac magnifieri*, in hæc negativa transformavit: *non itamen in ecclesiasticis rebus magnificetur, ut illa*, &c. Sic enim facilius Romanam monarchiam constitutum iri autumabat vir obnoxius. Sed hic locus suo genuino nitori est restitutus jussu Gregorii XIII, sicut & permulti alii quos Gratianus corruperat: neque vero hæc æqualitas incommodat Primatui, ut statim dicetur, sed duntaxat monarchiam absolutam demolitur, Quarto istinc exploratum redditur, Patriarchas plures sub se habuisse diœceses & Metropolitas quoniam Constantinopolitano Primati Pontica, Asiana, & Thrácia diœcesis addicitur, ita ut Metropolitas illarum provinciarum ordinaret, sicut jam superius Actione XII ostendimus Metropolitam Ephesinum & Nicomediensem ordinationi Anatolii Constantinopolitani ex antiquo jure reservari: at Ephesus & Nicomedia erant diæceses Asiæ. Quare relinquitur Patriarcham unumquemque tribus modis posse considerari, quod idemtidem frequentandum est: scilicet ut privatum Episcopum ut Metropolitam aut Archiepiscopum, deinde ut Primatem vel Patriarcham.

XXXVIII. Actione XVI Vicarii B. Leonis ad hunc modum conquestionem atque intercessionem suam adversus Canonem memo-

moratum coram judicibus Concilii informant : *Si imperat Magnificentia vestra, habemus quædam referre vobis : Gloriosissimi judices dixerunt, Quod vultis edicite : Paschasinus & Lucentius dixerunt, Hesterna die postquam Potestas vestra surrexit : & humilitas nostra vestigia vestra sequuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones ecclesiasticos & disciplinam æstimamus effecta. Poscimus ergo, ut Magnificentia vestra relegi hæc præcipiat, ut omnis Fraternitas inspiciat utrum justa an injusta sint ea quæ gesta sunt. Gloriosissimi judices dixerunt : Si quæ gesta post nostrum discessum facta sunt, relegantur Aëtius Archidiaconus sanctæ Ecclesiæ Constantinopolis dixit : Consuetudo est in Synodis, postquam ea, quæ de fide sunt, congruam formam susceperunt, & quæ sunt omnium præcipua, fuerunt definita, & alia quædam necessaria exerceri atque formari : habuimus, hoc est Constantinopolitana Ecclesia, certa quædam quæ agere deberemus. Rogavimus Dominos de Roma ut communicarent iis gestis : refutaverunt, dicentes, se alia suscepisse mandata. Retulimus & ad vestram Magnificentiam, & jussistis, ut præsens sanctum Concilium hoc ipsum inspiceret : & sanctissimi Episcopi qui hic sunt tanquam de communi causa agentes poposcerunt hæc fieri gesta : & adsunt hic : neque in occulto gestum est, neque modo furtim sunt gesta, consequenter canonice facta. Gloriosissimi judices dixerunt : Gesta quæ confecta sunt relegantur. Et oblata scheda ab Aëtio Archidiacono Constantinopolita-*

politano, Beronicianus vir devotus, secretarius divini consistorii ita legit: Definitiones sanctorum Patrum sequentes ubique regulam, & quæ nunc relecta sunt, centum quinquaginta Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore majore Theodosio in regia Constantinopoli nova Roma cognoscentes, & nos eadem definivimus de Privilegiis ejusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ novæ Romæ, propter imperium civitatis illius. Patres consequenter privilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi æqua sanctissimæ Sedi novæ Romæ privilegia tribuerunt: rationabiliter judicantes imperio & senatu urbem ornatam æquis senioris regiæ Romæ privilegiis frui: & in ecclesiasticis, sicut illa, majestatem habere negotiis, & secundam post illam existere, & ut his qui de Ponto sunt, & de Asia, & Thracia diœcesibus Metropolitanos solos ordinaret, &c. Quibus perlectis omnes Episcopi nemine dempto profitentur se ita definivisse & subscripsisse sponte quidem nullo ambiente, prensante, cogente aut circumveniente, contra quam Lucentius Vicarius S. Leonis obtendebat: nam hæc omnia facta per circumventionem & obreptionem causabatur: quæ prima fuit causa ejus intercessionis.

Secunda, multo potiorem esse debere Nicæni quam Constantinopolitani Concilii rationem: tum quia Nicænum Concilium esset antiquius & celebrius, propter nume-

rum

rum trecentorum octodecim Episcoporum qui subscripserant, cum centum duntaxat & quinquaginta Synodum Constantinopolitanam obsignassent.

Tertio, petit idem Lucentius Vicarius Sedis Apostolicæ, an Episcopus Constantinopolitanus antea hoc usus esset Privilegio ab octoginta annis, quibus Constantinopolitanum Concilium celebratum fuerat: si usus sit, nihil eum causæ habere petendi hodie, ut novus Canon eam in rem cudatur, cum id superfluum sit: si non sit usus, frustra id moliri in perniciem Canonum Nicænorum, qui tres solummodo sedes Patriarchales constituerant, & Hierosolymis suum honorem servari mandarant.

Quarto, Bonifacius Presbyter Sedis Apostolicæ Vicarius ex chartula recitavit mandatum B. Leonis sibi factum, ne sanctorum Patrum Nicænorum constitutionem ulla ratione violari sinerent, neve suæ personæ dignitatem cujus vicem gerebant, deprimi aut humiliari paterentur: & si qui forte civitatum suarum splendore confidentes, aliquid sibi usurpare tentarent, hoc, qua dignum est, constantia retunderent.

Gloriosissimi judices dixerunt: utraque pars Canones proponant: Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit: Trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Canon VI. Quod Ecclesia Romana semper habuit prima-

politano, Beronicianus vir devotus, secretarius divini consistorii ita legit: Definitiones sanctorum Patrum sequentes ubique regulam, & quæ nunc relecta sunt, centum quinquaginta Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore majore Theodosio in regia Constantinopoli nova Roma cognoscentes, & nos eadem definivimus de Privilegiis ejusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ novæ Romæ, propter imperium civitatis illius. Patres consequenter privilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi æqua sanctissimæ Sedi novæ Romæ privilegia tribuerunt: rationabiliter judicantes imperio & senatu urbem ornatam æquis senioris regiæ Romæ privilegiis frui: & in ecclesiasticis, sicut illa, majestatem habere negotiis, & secundam post illam existere, & ut his qui de Ponto sunt, & de Asia, & Thracia diœcesibus Metropolitanos solos ordinaret, &c. Quibus perlectis omnes Episcopi nemine dempto profitentur se ita definivisse & subscripsisse sponte quidem nullo ambiente, prensante, cogente aut circumveniente, contra quam Lucentius Vicarius S. Leonis obtendebat: nam hæc omnia facta per circumventionem & obreptionem causabatur: quæ prima fuit causa ejus intercessionis.

Secunda, multo potiorem esse debere Nicæni quam Constantinopolitani Concilii rationem: tum quia Nicænum Concilium esset antiquius & celebrius, propter nume-

rum

rum trecentorum octodecim Episcoporum qui subscripserant, cum centum duntaxat & quinquaginta Synodum Constantinopolitanam obsignassent.

Tertio, petit idem Lucentius Vicarius Sedis Apostolicæ, an Episcopus Constantinopolitanus antea hoc usus esset Privilegio ab octoginta annis, quibus Constantinopolitanum Concilium celebratum fuerat: si usus sit, nihil eum causæ habere petendi hodie, ut novus Canon eam in rem cudatur, cum id superfluum sit: si non sit usus, frustra id moliri in perniciem Canonum Nicænorum, qui tres solummodo sedes Patriarchales constituerant, & Hierosolymis suum honorem servari mandarant.

Quarto, Bonifacius Presbyter Sedis Apostolicæ Vicarius ex chartula recitavit mandatum B. Leonis sibi factum, ne sanctorum Patrum Nicænorum constitutionem ulla ratione violari finerent, neve suæ personæ dignitatem cujus vicem gerebant, deprimi aut humiliari paterentur: & si qui forte civitatum suarum splendore confidentes, aliquid sibi usurpare tentarent, hoc, qua dignum est, constantia retunderent.

Gloriosissimi judices dixerunt: utraque pars Canones proponant: Paschasinus Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit: Trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Canon VI. QUOD ECCLESIA ROMANA SEMPER HABUIT PRI-

MA-

MATUM *Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris provinciis primatus habeant Ecclesiæ civitatem ampliorum. Per omnia autem manifestum sit, ut si quis præter voluntatem Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, quia hunc statuit hæc sancta Synodus, non debere esse Episcopum*, &c. His autem sic perlectis à Paschasino, Constantinus secretarius divini consistorii sic recitavit: *Regula sexta trecentorum decem & octo sanctorum Patrum: antiquæ consuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc consuetudo est: Similiter autem & Antiocheno; & in aliis provinciis primatus habeant Ecclesiæ civitatum. Universaliter autem illud manifestum est, quia quisquis præter voluntatem Metropolitani fiet Episcopus, hunc sancta Synodus definivit non esse Episcopum*, &c. Quo perlecto Canone, Constantinus Secretarius Consistorii præterea legit & adjunxit Acta Synodi Constantinopolitanæ sub Theodosio Magno, quibus statuitur, *Episcopum Constantinopolitanum habere Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.* Quibus peractis judices petunt ab omnibus Episcopis, sed præsertim Ponti, & Asiæ qui de novo Patriarchatui Constantinopolitano addicebantur, & Alexandrino substrahebantur: utrum sponte,

ſponte, an aliqua neceſſitate coacti ſubſcripſiſſent: cum autem univerſi nemine dempto reſpondiſſent, ſe libere & propria voluntate ſubſcripſiſſe: atque inter alia plurimi dixiſſent: *pridem ante Conſtantinopolitanum Epiſcopum feciſſe ordinationes in Ponto & Aſia*, hocque illum uti jure per Canones & conſuetudinem jampridem inveteratam: atque Nunechius Laodiceæ Phrygiæ Epiſcopus dixiſſet: *Gloria ſedis Conſtantinopolitanæ gloria noſtra eſt*: Euſebius autem Dorylæi Epiſcopus *ſe hanc regulam de primatu Conſtantinopolitani Epiſcopi recitaſſe Leoni Magno Romæ præſentibus clericis Conſtantinopolitanis, eamque ſuſcepiſſe, retuliſſet*: Tum demum glorioſiſſimi Judices ad hunc modum ſententiam pronunciarunt: *Ex his quæ geſta ſunt vel ab unoquoque depoſita, perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari: oportere autem Sanctiſſimum Archiepiſcopum regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ eiſdem primatibus honoris & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinandi Metropolitas in Aſiana & Pontica & Thracia diœceſibus*, &c. Quibus auditis *Reverendi Epiſcopi dixerunt*, *Hæc juſta eſt ſententia: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placent*, &c. *Supplicamus dimitte nos: per ſalutem Imperatorum dimitte nos: omnes in ſententia permanemus.*

Ad hæc Lucentius Sedis Apoſtolicæ Vicarius reſpondit, *Sedem Apoſtolicam hujuſmodi Actis humiliari non debuiſſe, quæcumque autem*

in præjudicium Canonum vel regularum facta essent hesterna die sese absentibus, irrita esse debere: sin minus, Actum suæ intercessionis debere Actis inseri, ut id ad virum Apostolicum universalis Ecclesiæ referant: & ipse de sua Sedis injuria aut de Canonum eversione possit ferre sententiam: Et hæc est quinta ratio Legatorum Leonis Magni. Tum Joannes Reverendissimus Episcopus Sebastiæ dixit: *omnes in sententia vestra Magnificentiæ permanemus. Viri illustrissimi, Judices dixerunt, Quod interloquuti sumus tota Synodus approbavit.*

XXXIX. Jam horum analysin explicemus: & primo quidem dum Paschasinus & Lucentius queruntur, in Actione XV postquam judices abierunt, quædam gesta esse, quæ censerent facta contra Canones, & usitatam disciplinam: liquido demonstrant Ecclesiam regi Canone, non absoluta potestate. Secundo, dum Aëtius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ respondet, consuetudinem esse ut in Synodis postquam quæ de fide definita sunt, deinceps ea quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent tractentur: & vicarios Leonis Magni invitatos ut ejusmodi Actis communicarent, idque facere recusavisse, *&c.* nobis referant qua via Episcopi Romani sibi pedetentim auctoritatem absolute statuendi de disciplina Ecclesiastica attribuere conati sint: scilicet non communicando Actis Conciliorum quibus Canones conderentur

rentur : unde cum de ejuſmodi Canonibus agitur, ſcriptores curiæ Romanæ perpetuo obtendere ſolent non probatos fuiſſe à Romanis Pontificibus: hocque artificium jamjam in primo Concilio Conſtantinopolitano cœpit, deinde in aliis Synodis ſequentibus continuavit : hacque ratione Epiſcopi Romani lapſu temporis voluerunt oſtendere, ſe eſſe ſupra Canones : atque diſciplinam Eccleſiaſticam ab eorum abſoluta auctoritate pendere, ex quo fit, ut omnes Canones quos pro regenda diſciplina Eccleſiaſtica habemus, Patribus Orientalibus & Africanæ Eccleſiæ acceptos referre debeamus : pauci enim in Conciliis Romanorum Pontificum extant : quod argumento eſt, non ab his poſtremis ſeculis, jacta eſſe fundamenta curiæ Romanæ. Tertio, quod Lucentius objicit, Patres circumventione deceptos, & Canonem factum per obreptionem : certe ex communi Patrum conſenſu & acclamatione, proclive depellitur : omnes enim nemine dempto fatentur, ſe ſponte & nulla prenſatione inductos ad id faciendum & ſubſcribendum. Quarto, ratio ducta à Nicæno Concilio, quoniam iterum objicitur à Leone Magno, de illa infra diſputabitur. Quinto, petitio utrum Epiſcopus Conſtantinopolitanus hoc uſus eſſet Privilegio ab octoginta annis, *&c.* ſolutionem accipit ex ipſis Actis Synodi Chalcedonenſis, in quibus Anatolius ſemper prærogativam Sedis

atque suffragii post vicarios Papæ obtinet, eique reservatur ordinatio Episcopi Ephesini in vim Canonis III Constantinopolitani ut dictum est: deinde, Actione ultima permulti Episcopi Asiæ, Ponti, & Thraciæ, se ab Episcopis Constantinopolitanis ordinatos, atque ante se tres alios Episcopos fuisse consecratos ab iisdem Patriarchis fatentur: idque praxim indubitatam consignat. Accedit præterea, Socratem lib. v. cap. 8. historiæ testari *in Constantinopolitano Concilio terminos adscriptos Constantinopolitanæ Ecclesiæ ac Thraciam ei addictam.* Et ita liquet Bellarminum vel graviter falli, aut potius fallere voluisse, dum lib. II de Conciliorum auctoritate cap. 8. circa medium, narrat, *Canonem tertium Constantinopolitanum temporibus Damasi & Leonis Magni nunquam mandatum fuisse exequutioni:* neque illum Leonis auctoritas juvat, scribentis Anatolio, *frustra quorumdam Episcoporum proferri consensum, cui tot annorum series negavit effectum*: quoniam iste effectus verbis aut minis Leonis impediri non potuit, ut Acta demonstrant. Millies dixi catholicum consensum Actis conferre auctoritatem. Sexto, mandatum B. Leonis datum suis vicariis, *ne suæ personæ dignitatem deprimi aut humiliari paterentur*, &c. Item quod Lucentius Episcopus perhibet, *ejusmodi Actis Sedem Apostolicam humiliari non debuisse*, &c. plane indicant quo fine & motu hæc oppositio fieret, & cur Leo Magnus Episcopum Constanti-

tino-

tinopolitanum pro ſecundo habere nollet: nimirum quia videret id ſibi obeſſe quo minus ſuam potentiam ampliaret. Hercle, quamdiu religio & Sedes Patriarchales floruerunt in Oriente, tamdiu æquabili libramento uſui fuerunt ad retinendam diſciplinam Eccleſiaſticam, *& temperandos altiſſimos urbis Romæ ſpiritus, quæ nihil niſi monarchicum ſpirat.* Septimo, Actio judicum cum ipſa Synodo, & Patrum reſponſiones ad illorum interrogata clariſſime indicant, Romanum Epiſcopum Eccleſiæ primitivæ temporibus non eam habuiſſe poteſtatem in Conciliis generalibus, quam partim obnoxii, partim ignari homines ei adulatorie adſcribunt: cum hic obſervemus omnia communi conſenſu ſecundum regulas Ariſtocratici regiminis decerni: & Romanos Pontifices præter ordinis Sedis atque ſuffragii prærogativam, nihil quicquam habuiſſe ſuper alios Patriarchas Epiſcopos: atque judices auditis & ſubductis Patrum ſuffragiis ſententiam in quam decretum & Canon condebatur, pronunciaſſe: quippe qui nomine & auctoritate Imperatoris Synodo præſiderent.

XL. Inſuper, quemadmodum Imperator literis ſuis indicebat & convocabat Concilium, ita Patribus ſtationem ſuam deferre & pedem efferre Concilio non prius licebat quam veniam & commeatum abeundi ab Imperatore impetraſſent. Unde hic facultatem

discedendi petunt à judicibus, *Supplicamus dimitte nos: per salutem Imperatorum dimitte nos:* &c. Quid si Curiales Romani tale testimonium in causa Papæ perferre quirent?

XLI. Ubi Patres Chalcedonenses extremam manum Actis imposuerunt, Martianus Imperator scivit Edictum, quo Acta ad hunc modum comprobavit & in rem judicatam mitti jussit: *Venerabilem Catholicæ Orthodoxorum fidei sanctitatem manifestam & indubitatam universis constituere cupiens Nostra Serenitas, ut major erga divinitatis obsequia hominibus religio traderetur, tantam atque talem Synodum ex omnibus pæne provinciis coadunatis Episcopis in Chalcedonensi civitate colligi jussit: atque ibi plurimis diebus tractatu habito, quod verum & infucatum Christianæ fidei esset invenit. Votis etenim & orationibus plurimis exoravere divinitatem, quatenus sancta & plena eos veritas non lateret: sequutique sunt statuta venerabilium Patrum Nicænorum, Constantinopolitanorum, Ephesinorum*, &c. *Ordinatis itaque religiose & fideliter quæ venerandam orthodoxorum fidem fundasse noscuntur, ita ut nulla in posterum dubitatio vel illis qui calumniari divinitatem assolent, relinqueretur: sacro nostræ Serenitatis Edicto,* VENERANDAM SYNODUM CONFIRMANTES, *admonuimus universos, ut de religione disputare desinerent: quoniam unus & alter tanta secreta invenire non posset: maxime cum summo labore & amplissimis orationibus tot venerabiles sacerdotes, nisi Deo, ut credendum est, auctore, ad indaginem veri-*

veritatis non potuerint pervenire, &c. *Oportet enim Chalcedonensem Synodum sequi: in qua omnibus diligenter quæsitis, ea definita sunt, quæ pridem tres prædicti cœtus Apostolicam fidem sequuti omnibus observanda tradiderunt civibus Constantinopolitanis.* Cætera videbit lector Actione III Synodi Chalcedonensis in collectione Surii & Binii: in Romana vero parte III Chalcedonensis Concilii, cap. 4. Ubi edicta Valentiniani & Marciani Imperatorum postponuntur epistolæ Synodali Patrum Chalcedonensium ad Leonem Magnum, contra quam habet Suriana & Biniana collectio. Quæ postpositio hoc facta consilio videtur, ut confirmationem Actorum potius à Papa quam ab Imperatore peti debere ostenderetur: sed frustra & in cassum, ut ex iis liquet quæ superius de discrimine conclusionis & confirmationis Conciliorum docuimus. Accedit, confirmationem Actorum factam ab Imperatore Actione sexta, ut supra ostendi: epistolam vero ad Leonem scriptam post Actionem XVI quoniam Patres à *Leone consensum & consonantiam suam super Canonem* XXVIII *de quo agitur, ad majorem actorum firmitatem petunt*, & nominatim declarant, Imperatores lege & Edicto suo firmasse judicium, id est, Epistolam Leonis adversus Eutychem.

XLII. Hic quidem præstat summa capita ejusdem epistolæ synodalis ad Leonem exscribere: *Sancta & magna universalis Synodus*

quæ per Dei gratiam & sanctionem piissimorum & amatorum Christi Imperatorum nostrorum collecta est in Chalcedonensium Metropoli provinciæ Bithyniæ, Sanctissimo & Beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni.

Repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione. Hanc tanquam propriam nobis prophetiam gratia coaptavit, à quibus pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad lætandum? &c. *Quam velut auro textam seriem ex veste Christi & præcepto legislatoris venientem, usque ad nos, ipse servasti vocis B. Petri omnibus constitutus interpres: ejus fidei beatificationem super omnes adducens; unde & nos, quippe ut inchoatore bonorum & ad utilitatem utentes, Ecclesiæ filiis hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus, non singulatim faciente in occulto unoquoque doctrinam, sed uno spiritu, una conspiratione, atque concordia, confessionem fidei declarantes: & eramus in communi corona gaudii, quasi in Imperialibus cœnis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas literas Christus præparaverat, invitatis, & supercælestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus. Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi se in medio eorum fore perhibuit: quantam circa sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & Patriæ & labori suæ confessionis notitiam prætulerunt. Quibus tu quidem* SICUT MEMBRIS CAPUT PRÆERAS *in his qui tuum tenebant ordinem benevolentiam præferens:* IMPERATORES VERO AD ORNANDUM (melius *ad ordinandum)*

dum) *decentissime* PRÆSIDEBANT, SICUT ZOROBABEL *& Jesus Ecclesiæ Hierusalem ædificationem renovare circa dogmata adnitentes. Et fuerat utique adversarius tanquam bestia extra caulas apud semetipsum rugiens, nullum prævalens capere, nisi semetipsum ei ad capiendum injecisset is qui Alexandrinorum quondam Pontifex fuit*, &c. *Nam beatum illum inter sanctos Constantinopolis pastorem Flavianum* APOSTOLICAM PROFERENTEM FIDEM *& Deo amantissimum Episcopum Eusebium præter omnem Canonum consequentiam deposuit atquo damnavit. Eutychem pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innoxium statuit*, &c. Et post hæc omnia: *Insuper & contra ipsum cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas*, &c. *Propterea ergo decretum, quod ipse Dioscorus contra semetipsum peccando protulerat, hoc, prout potuimus lævigando firmavimus, lupum pastorali pelle nudantes: qua prius quoque figuraliter seu in speciem tantummodo convincebatur obtectus*. Dehinc narrant, *S. Euphemiam fidei definitionem Patrum Chalcedonensium suscepisse, & Christo sponso suo per Martianum Imperatorem & Augustam ejus conjugem obtulisse universorum lingua & manu subscriptam*, &c. *hæc sunt quæ tecum qui spiritu præsens eras, & complacere tanquam fratribus deliberasti, & qui pene per tuorum Vicariorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus, judicamus vero, quia &*

 alia

alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem: scientes quia vestra Sanctitas addiscens & probatura & confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem, quæ ex longo jam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandum Metropolitanos provinciarum tam Asiana quam Ponticæ, vel Thraciæ, & nunc synodali decreto, non tantum firmamus, sed aliquid Constantinopolitanæ præstantes quantum Metropolitanis urbibus ad quietem congruere visum est: eo quod frequenter Episcopis vitam finientibus, multæ turbæ nascuntur: absque rectore clericis ac populis remanentibus, qui per easdem sunt civitates, & ecclesiasticum confundentes ordinem, quod nec vestram latuit Sanctitatem, quam maxime propter Ephesios, unde quidam vobis sæpius importuni fuerunt. Confirmavimus autem & centum quinquaginta sanctorum Patrum qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam, sub piæ memoriæ Majore Theodosio, quæ præcipit post vestram Sanctissimam & Apostolicam Sedem honorem habere Constantinopolitanam, quæ secunda est ordinata, &c. Quæ igitur definivimus ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem vero Ecclesiasticæ ordinationis definivimus. Hæc sicut propria & amica, & ad decorem convenientissima dignare complecti Sanctissime & Beatissime Pater. Qui enim locum vestræ Sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus, & Lucentius & qui cum eis est Reverendissimus Presbyter Bonifacius, iis ita consti-

stitutis vehementer resistere tentaverunt procul dubio vestra providentia inchoari, & hoc bonum volentes, ut sicut fidei sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam piissimos & Christi amicos Imperatores qui super hoc delectantur, quam clarissimum Senatum & totam sicut dicere convenit Imperii civitatem, opportunum credimus esse honoris ejus confirmationem ab universali Concilio celebrari, & velut hæc à tua Sanctitate fuerint inchoata, eo quod semper fovere studeas, roboravimus: præsumentes dum noverimus, quia quicquid rectitudinis à filiis fit ad Patres recurrit, facientes hoc proprium sibi. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim & pii Principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ Sanctitatis judicium firmaverunt: & Constantinopolitana Sedis suscipiet præmium, quæ omne semper studium vobis ad causam pietatis explevit, & semet ipsum vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoscatis quia nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adversando, sed quippe nutu gubernati divino, omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad comprobationem nostræ sinceritatis, ad eorum quæ à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam. Scripsi pridie Calendarum Aprilis, Feria tertia, Indictione decima tertia.

Quamquam hæc epistola valde suspecta sit falsitatis, & suppositionis, tamen ejus analysim

lysim proponemus: & primo quidem oportet eam scriptam ab Anatolio Constantinopolitano Archiepiscopo nomine totius Synodi, idque & consuetudo in Synodis usitata, & hæc ipsa subscriptio denotat *Scripsi pridie Calendarum*, &c. Nam in more positum erat in Synodis, ut qui præesset acta ipsa conciperet, ut liquet ex actis. Cum ergo vellet à B. Leone impetrare ut ea quæ gesta erant in gratiam Sedis Constantinopolitanæ comprobaret, ei quantum potest blanditur, & multa attribuit quæ antea in aliis Synodis audita usitata non fuerant, adeo ut sæpe minus comiter Synodi majestatem tueatur, ut gratiam Leonis redimat. Secundo declarat, communi & catholico consensu definitionem fidei factam, *sed uno spiritu, una conspiratione, atque concordia confessionem fidei declarantes*, &c. Tertio ostendit, Leonem per vicarios suos, & ipsum Imperatorem præsedisse Concilio tanquam capita: sed differenter, ut superius docuimus. Nam Princeps politicus cum jurisdictionem politicam revera impartiatur subditis atque judicibus quos deligit, certe tanquam caput in illos proprie & de facto influit: Papa autem cum ab Ecclesia, quæ ei Christi sacerdotium confert, jurisdictionem accipiat, nihil quidem in Ecclesiam, sed Ecclesia in illum influit: & ita patet multo minus proprie Papam dici caput respectu Ecclesiæ, quam Regem intuitu regni & reipublicæ. Quarto explicat Dio-

Dioscori damnationem. Quinto, quod ait S. Euphemiam fidei confessionem sponso suo Christo per Imperatores obtulisse, id mihi in memoriam revocat quod me legisse memini, scilicet definitionem Chalcedonensis Concilii cum opinione erronea Eutychis inclusam capsæ qua corpus Sanctæ Euphemiæ concludebatur, & sanctam virginem Eutychis errorem ad pedes suos expulisse: definitionem vero Patrum Chalcedonensium ad pectus suum apposuisse. Sexto narrat, juxta consuetudinem inveteratam Patres Synodali decreto Canonem III Synodi Constantinopolitanæ, de ejusdem Sedis Constantinopolitanæ prærogativa confirmasse, ut haberet potestatem ordinandorum Metropolitanorum Asianæ, Ponticæ & Thraciæ provinciarum; hocque quieti & paci illarum provinciarum valde conferre: quoniam Episcopis vita functis sæpe contingebat ut in illis provinciis turbæ quamplurimæ exorirentur, & populi Pastoribus carerent, adeo ut ordo Ecclesiasticus plane conturbaretur: cujus rei testem ipsummet Leonem Synodus facit. Septimo Paschasinum, Lucentium, & Bonifacium Vicarios Sedis Apostolicæ his Actis reclamasse. Octavo, consensum Leonis ad majorem actorum firmitatem petunt: *ut autem cognoscatis quia nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adversando, sed quippe nutu gubernati divino, omnem vobis gestorum*

rum

rum vim insinuavimus ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum quæ à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam, &c.

Forma qua hæc Relatio concepta & conscripta est, mihi semper ingeneravit suspicionem suppositionis; nam, ut dixi, non redolet methodum styli Synodalis Epistolæ neque auctoritatem qua Patres consueverunt scribere & concipere gesta Conciliorum, hac suspicione tanquam aculeo exstimulatus animum adjeci ad Acta synodalia diligentius revolvenda: & primo observavi in exordio primæ Actionis nominatim dici primam Actionem habitam in consulatu Martiani Augusti sub die octavo idus Octobris Indictione quarta: deinde Actionem decimam sextam, quæ ultima est (singulis enim diebus singulæ Actiones peractæ sunt) habitam quinto Calendas Novembris consulatus ejusdem Martiani eadem Indictione quarta, Ex quo insurgit, falsum esse Relationem memoratam pridie Calendarum Aprilis feria tertia Indictione decima tertia scriptam. Enim vero Chalcedonense Concilium absolutum fuit intra sexdecim aut viginti dies ad summum, idque mense Octobri. Quod si hæc Relatio Synodalis vera foret, atque Indictione decima tertia mense Aprili scripta fuisset, oporteret Synodum Chalcedonensem novem annos continuasse: quod plane falsum est, tumque Martianus in meliorem vitam transierat, vix enim

enim superstes fuit anno integro post absolutum Chalcedonense Concilium, ex cujus morte Ægyptii causam tumultuandi adversus Synodum Chalcedonensem ambierunt. Ut ut sit, gratis concedam adversariis hanc epistolam esse genuinam & indubitatam.

XLIII. Verum postquam S. Leo has accepit literas, si tamen eas accepit, confestim epistolas scripsit ad Anatolium Constantinopolitanum Archiepiscopum, ad Martianum Imperatorem, Pulcheriam Augustam, & Episcopos Chalcedone congregatos, ejusdem prorsus argumenti: quibus declarat se quidem ea probare quæ Chalcedone facta essent in causa fidei, nequaquam vero quæ Canones Nicænos convellerent, & auctoritati Sedis Alexandrinæ atque Antiochenæ derogarent: negatque Constantinopolitanam Ecclesiam potuisse in Sedem Apostolicam erigi. Hic particulam epistolæ LIV ad Martianum juxta collectionem Binii exscribam: *Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei diuturno Clementiæ vestræ fruatur imperio: alia tamen ratio est rerum secularium, alia divinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdidit qui indebita concupiscit. Satis sit Anatolio quod vestræ Pietatis auxilio, & mei favoris assensu Episcopatum tantæ urbis obtinuit: Non dedignetur regiam, quam apostolicam non potest, facere Sedem:*

nec

nec ullo speret modo quod per aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari: in quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur: & major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas, &c. At in epistola ad Pulcheriam Augustam, quæ est LV. multo elatiore tono loquitur: *Consensiones vero Episcoporum Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus: & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum, per trecentos decem & octo Antistites Spiritus Sanctus instituit*, &c. Quem ad locum editio Binii atque Surii ad oram libri hoc glossema apponit: *Observa auctoritatem Romani Pontificis*: Hercle, nullus præcessorum Pontificum tantum sibi auctoritatis assumpsit quantum B. Leo: neque per eum stetit, quin Patres Chalcedonenses duntaxat nudi exequutores suæ sententiæ haberentur; adeo enim magnus est auceps verborum

rum in iis quæ ad potentiam ſuam aſſerendam conducere poſſunt: unde epiſtola quadrageſima ſexta ad Anatolium *eum exequutorem ſuæ diſpoſitionis* efficere tentat: *Reſidentibus vobis quibus exequutionem noſtræ diſpoſitionis injunximus. Vides*, inquit Bellarminus, *ut Leo præcipit Patriarchæ Conſtantinopolitano, lib.* II *de Romano Pontifice cap.* 14.

At vero iſthæc Leonis Magni argumenta expendamus: & primum, quod Canonem XXVIII Chalcedonenſem tanquam Canonibus Nicænis repugnantem repudiat: nec validiorem adfert rationem: hoc clariſſime convincit, illum, quamquam nihil remiſſi de ſua poteſtate ſuper totam Eccleſiam cogitaret, nihilominus longe differentem habuiſſe ſenſum ab hodiernis commentis abſolutæ monarchiæ: quippe qui ſibi tantummodo diſpenſationem Canonum Nicænorum attribuat: *In quo opere*, ait, *auxiliante Chriſto fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum: quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi Paternarum regulæ Sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me quod abſit connivente violentur*, &c. Quæ oratio plena eſt modeſtiæ, & veritati congruit, ac propugnatores abſolutæ monarchiæ flagellat.

Secundo, quod urget, privilegia Eccleſiarum decretis fixa Nicænis nulla poſſe impro-

bitate convelli, nulla novitate mutari; id pro certo assumit quod est positum in controversia: cum enim distributio orbis Christiani in certas Sedes Patriarchales & Metropolitanas sit juris mere positivi, ut cap. 11 docuimus: certo certius est, ejusmodi Sedes pro Ecclesiæ bono mutari, ampliari, & restringi posse: cujus rei vel ipsum Bellarminum judicem fero lib. 11 de Conciliorum auctoritate cap. 8. circa medium: *Decretum de honore sedium Patriarchalium*, inquit, *sicut à Concilio Niceno factum fuerat, ita poterat ab alio simili Concilio mutari: tamen quia sine justa ratione mutabatur à Concilio Constantinopolitano, & postea à Chalcedonensi; Pontifices Romani Damasus & Leo illud probare noluerunt: neque eorum Pontificum temporibus decretum illud exequutioni mandatum est, ut patet ex Leone epistola 53. ad Anatolium; ubi loquens de decreto Concilii Constantinopolitani: frustra, inquit, quorumdam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negavit effectum.* Hucusque Bellarminus, seipsum aut alios vehementer ludificans: Primum, quod ait, Patres Constantinopolitanos & Chalcedonenses nullam causam justam habuisse constituendæ quintæ Sedis Patriarchalis, repugnat quidem veritati, & causa ejus rei faciendæ declaratur epistola synodali ad B. Leonem: qua memoratur id factum ob confusiones & turbas, quæ Episcopis Asiæ, & Thraciæ mortuis nascebantur, cum ibi nullus esset satis propinquus Metropolita

polita qui Episcopos provinciæ congregaret ad legendos Episcopos, juxta IV & VI Canonem Nicænum. Quare ita concludunt: *Quæ igitur definivimus ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem vero Ecclesiasticæ ordinationis definivimus*. Annon hæc satis justa & necessaria est causa constituendæ novæ Sedis Patriarchalis; ut hic omittam supercilium Occidentalium, quo nimium quantum Orientales gravabantur; ut testes sunt Epistolæ S. Basilii. Certe cum Patres Chalcedonenses illa synodali epistola ipsum Leonem testem confusionum, quibus mederi voluerunt, compellent: ipse autem nihil respondeat in omnibus suis Epistolis ad hanc difficultatem: id argumento certissimo est, non absque justa causa de novo erectum Patriarchatum. Hic mihi succurrit eximia B. Petri Historia Lucæ 5. qui dum piscaretur cum sodalibus, tantamque piscium multitudinem conclusisset, ut rete rumperetur, sponte non gravate socios in partem prædæ vocavit atque admisit. Procul dubio Dominus voluit sive magno sumptu aut laboribus Euangelium prædicari & salutem populi facile parari. Secundo, quod Bellarminus narrat, Damasum Papam, Canoni III Constantinopolitano obstitisse, id me alibi ne quidem apud Baronium legisse memini. Et quamquam ita esset, hoc parvi censeretur momenti: quoniam decreta Synodorum generalium non ab uno & solo Papa tanquam infallibili & absolu-

to monarcha; sed à consensu catholico & communione sanctorum vim suam sortiuntur. Tertio, quamquam Leo hunc Canonem probare detrectarit, tamen non desiit in rem judicatam venire, ut tota hac Synodo ex Actis docuimus; neque vero hic quæritur quid Leo aut alii fecerint, sed quid facere debuerint secundum justum Ecclesiæ regimen, quod est Aristocraticum. Nam observatio hujus Canonis pendebat ab Episcopis Asiæ & Thraciæ, propinquis Constantinopoli, non à Leone remotissimo. Quarto, quod Bellarminus ex eodem Leone epistola ad Anatolium causatur, seriem annorum negavisse effectum huic decreto, id quidem verbis Leonis in sua causa non debet æstimari, sed veritate Actorum: quia, ut jam dixi, exequutio hujus decreti fiebat in Asia & Thracia, quæ sese Constantinopolitano Episcopo sponte dedebant.

Tertio, cum auctoritas Apostolica non absoluta & despotica, sed pure ministerialis, Aristocratico regimini subdita sit, frustra Leo Magnus epistola ad Pulcheriam scribit, se per auctoritatem Petri generali definitione Canonem XXVIII Synodi Chalcedonensis cassare: & ita etiam futilitas hujus glossematis Surii & Binii evanescit: *Observa auctoritatem Romani Pontificis*, inquiunt; quasi vero Papa secluso universali Ecclesiæ consensu aliquid despotice statuere quiret! An, rogo, decreta Synodi Basileensis & Pragmatica Sanctio Gallorum

lorum olim minus observata fuit in Franciæ regno, eo ipso, quod Eugenius IV ejusque successores eam minus gratam ratam haberent, & repudiarent? His adnecte, Leonem hæc facere tentasse, cum speraret Pulcheriam Augustam à Martiano impetraturam, ut Canonem XXVII Chalcedonensem abrogaret, quod minime fecit.

Quarto, locus epistolæ Leonis ad Anatolium quo eum exequutorem suorum placitorum efficere conatur, neque capi debet ad Leonis propositum suam jurisdictionem super alios collegas adstruere nitentis; neque etiam ad Bellarmini mentem: sed juxta potestatem ministerialem spiritualem Primatus collati Petro: ita ut Papa de omnibus Ecclesiis solicitudinem capessere debeat quo Jus Divinum, Naturale & Canonicum exequutioni mandetur: quæ exequutio ad omnes Patriarchas & Episcopos proportionatim & respective attinet. Itaque juxta regulas Aristocratici regiminis Ecclesiæ, sicut Papa omnes Episcopos sui officii commonefacere potest: ita & vicissim alii Episcopi Pontificem ad ea quæ sui suut muneris exequenda excitare possunt: *Quia Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* 24. *quæst.* 1. *Can. Loquitur.* §. *Episcopatus.* His de causis legimus RomanosPontifices sæpe in exteris & longinquis provinciis aliquos misisse Episcopos, aut etiam nonnullos ex Episcopis illarum provin-

 cia-

ciarum legatos suos & tanquam Epoptas & inspectores suos fecisse ad Canonum vindicias: sic Leo Magnus Anastasium Episcopum Thessalonicensem Vicarium suum in provinciis Orientis constituit: cumque terminos delegatæ potestatis excessisset, & Canones, quos servandos curare debebat, violasset, eum merito reprehendit epistola LXXXIV Leonis ad Anastasium Thessalonicensem. Idem quoque est judicium de B. Gregorio qui Virgilium Arelatensem Episcopum Vicarium & legatum suum in Galliis efficit lib. IV. epistola 51 & 52. Quæ legationes primis Ecclesiæ temporibus non alio fine peragebantur, quam ut ubique terrarum communio Sanctorum secundum charitatem & terminos legis gratiæ suaviter constitueretur: demum & præsertim seculo Gregorii VII factæ sunt ad constituendam ubique absolutam curiæ Romanæ monarchiam: quod lector studiosus historiæ ecclesiasticæ diligenter animadvertere debet, ut differentiam regiminis & politiæ perspectam habeat. Porro hic sese opportunus locus offert ad fabulam confutandam, quam Cardinalis Turrecremata Dominicanus omnium primus est commentus: ut enim efficeret, Papam nullam certam & definitam parœciam, sed universam habere Christianitatem pro diœcesi, illum Apostolatui B. Petri succesisse fabulatur: quod si verum esset B. Leo id non ignorasset, aut hic silentio involvisset: quippe qui
in

in amplianda ſua auctoritate, ſi quis unquam alius, omnium maxime induſtrius fuerit: & iſta ſucceſſio ad Apoſtolatum B. Petri ad Canonem XXVIII Synodi Chalcedonenſis oppugnandum apprime conduceret: nihilominus B. Leo præter Canones Nicænos nihil aliud Anatolio opponit. Cæterum aliquot annis poſt ſcriptam à me hiſtoriam hanc, in Bullarium Romanorum Pontificum incidi, in cujus fronte legi epiſtolam Leonis Magni ad Epiſcopos Chalcedone congregatos, quæ eſt 61 in collectione Binii: qua quidem collectores Bullarii demonſtrare volunt, Chalcedonenſe Concilium Leonis auctoritate congregatum, & auctoratum in iis duntaxat, quæ ad cauſam fidei ſpectant: id autem quam veritati conſentiens ſit, tota hæc docebit hiſtoria.

XLIV. Cardinalis Baronius, cum videret rationes ex B. Leonis epiſtolis deprompta exigui eſſe ponderis: plurimas alias, undequaque potuit, conſarcinavit; ac primum Tomo IV Annalium, anno Domini 381. ubi hiſtoriam primæ Synodi Conſtantinopolitanæ explicat, cauſatur, S. Gregorium lib. VI. epiſtola 125 ad Eulogium Alexandrinum ſcribere, Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum in ſuis Synodicis catholice loquutum: & Canones Conſtantinopolitani Concilii Eudoxianos damnare, ſed quis fuerit Eudoxius minime dicere. Romanam autem Eccleſiam eoſdem Canones vel geſta Synodi Conſtantino-

 poli-

politanæ hactenus non acepisse: & in hoc solum eam Synodum accepisse, quod est per eam contra Macedonium definitum. Hincque infert Baronius, Ecclesiam Romanam tertium Canonem Constantinopolitanum de prærogativa Sedis Constantinopolitanæ non admisisse. His & adjungi potest, eundem B. Gregorium lib. VII. epistola 63 ad Joannem Syracusanum dicere, *Ecclesiam Constantinopolitanam Sedi Apostolicæ esse subjectam*.

Secundo; Gelasium epistola 13 ad Episcopos Dardaniæ contendere, Acacium Constantinopolitanum Episcopum esse subditum Metropoli Heracleensi: *Cujus Sedis Episcopus Acacius? cujus Metropolitanæ civitatis Antistes? nonne parœcia Heracleensis Ecclesiæ?* inquit Gelasius.

Tertio, eundem Gelasium ibidem ridere, quod Acacius regiæ civitatis Episcopus fuisse diceretur. Nunquid, ait, apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, & Treveros, multis temporibus constitit Imperator? Nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt? *&c.* Nam alia est potestas regni secularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum, &c.

Quarto, Gelasius ibidem perhibet Martianum Constantinopolitanæ civitatis principem, posteaquam intercessor extitit pro Anatolio, nec à B. Leone aliquid contra regulas obtinere potuit, tandem summis laudibus pro-

prosequutum S. Leonem, quod Canones violari nulla ratione fuerit perpessus. Atque Anatolium culpam Canonis facti in gratiam Constantinopolitanæ Sedis, clero Constantinopolitano attribuisse, seque hac via excusasse apud Leonem Magnum. Baronius autem Tomo VI Annalium, anno Christi 454 circa medium, perhibet Martianum fecisse Edictum super ea re, ut Anatolii ambitionem reprimeret, & *Anatolium rugitu Magni Leonis perterrefactum, tandem paruisse*: Idque ex epistola 71 Leonis firmare nititur.

Quinto, Tomo IV ad annum 381 ait, non esse verisimile, Timotheum Alexandrinum Episcopum, in cujus præjudicium Canon III Constantinopolitanus effectus erat, æquo animo pati voluisse sibi præferri Constantinopolitanum & aliquas provincias tolli, ut Episcopo Constantinopolitano addicerentur. Cum autem nullum extet monimentum intercessionis Timothei, id convincere Canonem illum obreptitium esse.

Sexto, obtendunt in Synodo Constantinopolitana nullos terminos adscriptos Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sed duntaxat in Chalcedonensi Concilio: eamque ob causam legatos Leonis Magni petiisse in Concilio Chalcedonensi, utrum Episcopus Constantinopolitanus à tempore Synodi Constantinopolitanæ usus esset hoc privilegio: & si usus esset, nihil eum habere causæ petendi ut novus Canon

non de illa re conderetur, &c. Ex quo inferunt Canonem Constantinopolitanum esse omnino adulterinum: Et eam ob rem Patres Constantinopolitanos in epistola Synodica ad Damasum nullam facere mentionem Canonis de prærogativa concessa Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut videre est apud Theodoretum, lib. v. historiæ cap. 9.

Septimo, narrant Canones Nicænos violari Canone III Constantinopolitano, & XXVIII Chalcedonensi, quoniam termini Sedium primarum ibidem constituti convelluntur: quod est B. Leonis argumentum.

Octavo Baronius Tomo v Annalium ad annum Christi 397 sub finem memorat, Theophilum Alexandrinum sibi jus vendicasse in electione Constantinopolitani Episcopi: idque testimonio esse Alexandrinam Ecclesiam post Romanam primum locum in Oriente tenuisse: & continuo Canonem tertium Constantinopolitanum tempore Theophili non venisse in rem judicatam.

Nono, eodem Tomo ad annum Christi 426 initio refert ex Socrate lib. VII. cap. 28 Historiæ, cum vacaret Sedes Cyzicena, Sisinnium Episcopum Constantinopolitanum eidem Proclum Presbyterum Constantinopolitanum præfecisse, sed Cyzicenos elegisse Dalmatium monachum, neglecta illa lege, quæ jubet, ne quis Episcopus designetur absque sententia & auctoritate Episcopi Constantino-

tinopolitani: quam legem Cyziceni dicebant in gratiam unius Attici nominatim factam, nec se ultra extendere. Unde infert Baronius, ne quidem in Hellesponto Sedem Constantinopolitanam habitam pro Metropoli, multoque minus Patriarchalem Sedèm potuisse constituere.

Decimo, Anatolium, dum argueretur ambitionis à S. Leone epistola 51 & 52 non se auctoritate Canonis Constantinopolitani armasse; idque ostendere Canonem esse suppositititium.

Undecimo, urgent Canonem Chalcedonensem duo manifestissima continere mendacia: Primum, quod doceat primatum Romani Pontificis ortum ducere à Canonibus Nicænis, quasi ante Synodum Nicænam caruerit primatu. Contra, inquit Binius ad notas Chalcedonensis Synodi, *Ex ipso initio sexti Canonis Nicæni constat, quod ipsa Romana Ecclesia non à Conciliis, vel à Christianis Imperatoribus, sed à Christo Domino Salvatore nostro primatum obtinuerit. Ita enim exorditur Canon* VI: *Ecclesia Romana semper habuit primatum. Quomodo itaque eum à Patribus Nicæni Concilii accepisse potuisset? Alterum mendacium, quod falso asserunt, primatum Ecclesiæ Romanæ ideo concessum, quod Roma Sedes esset Imperii. At Sanctus Leo epistola 52 ad Martianum Imperatorem & S. Gelasius epistola ad Episcopos Dardaniæ, disertis verbis hoc refellunt: ac inter alias hanc habet rationem Gelasius, quod Me-*

Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treveris & Nicomedia, multis temporibus Sedes Imperii fuerint, &c. Hæc Binius, quæ mutuatus est à Baronio, quem perpetuo sequitur; legendus quoque Bellarminus lib. II de Romano Pontifice, cap. 13 & 18.

Sed ad analysim transeamus, & primum quod spectat ad sanctum Gregorium objicientem Eudoxium ignotum fuisse Ecclesiæ Romanæ; Respondeo tempore Synodi Constantinopolitanæ non fuisse ignotum: atque Eulogium Alexandrinum Episcopum informasse B. Gregorium, quinam esset iste Eudoxius lib. VII epistola 30. Indictione secunda. Quocirca Baronius & post illum Severinus Binius in notis ad primum Canonem Synodi Constantinopolitanæ ex Balsamone observant, Eudoxium fuisse Episcopum Constantinopolitanum, qui Filium & Spiritum Sanctum esse creaturam dicebat: unde cum reipsa sentiret cum Arrianis, & quoad modum quendam discreparet, tandem ejus hæresim classi Arrianorum à qua manabat adscriptam, sicque progressu temporis effectum fuisse, ut nomen Eudoxianorum exolesceret, atque eorumdem hæresis peculiari nomine appellari cessaret. Et ita relinquitur, S. Gregorium jure non potuisse improbare damnationem istius hæresis cujus fit mentio Canone I Synodi Constantinopolitanæ: quoniam hic Canon spectat ad fidem orthodoxam quam Ec-

clesia

clesia Romana repudiare nequit. At quæstio est facti, Canonem III de Sedis Constantinopolitanæ prærogativa Romæ improbari: jamjam monui, in toto Oriente sicut Pragmaticam Sanctionem in Franciæ regno contra Curiæ Romanæ molimina venisse in usum. Quo modo autem Sedes Constantinopolitana Romanæ Sedi subdita sit, lector ex observationibus nostris ad VI Canonem Nicænum repetet, ne hic eadem frustra & cum nausea cogar iterare.

Ad secundum, ductum ab Epistola Gelasii ad Episcopos Dardaniæ; indicat Baronium nullius esse aut fidei, aut judicii, quia Gelasius non tam ex rei veritate quam per quandam irrisionem & extenuationem oratoriam Acacium esse Heracleensis Ecclesiæ parochianum objicit: quoniam ante conditam Constantinopolim Byzantium erat sub Metropoli Heracleæ, ut ibidem testatur Baronius, nullo negotio dilapidans quod magno conatu ædificare annitebatur.

Tertio, Gelasii in re seria risus, plane vanus atque inutilis est: quotusquisque enim ignorat longe diversam esse rationem Constantinopolis, Mediolani, Ravennæ, Sirmii, Nicomediæ, &c? quandoquidem Sedes Imperii ad quoddam tempus & per modum transeuntis, ut scholastici nostri loquuntur, Ravennæ, Sirmii, Nicomediæ & Mediolani divertit. At Romæ & Constantinopoli quasi in

per-

perpetuum habitavit: ideoque ibidem Curia, Senatus, Consules, Præfecti Prætorio, & reliqui magistratus cum omnibus notis atque fascibus perpetui imperii extiterunt. Hacque ratione Patres Constantinopolitanos & Chalcedonenses ductos Canon XXVIII Synodi Chalcedonensis declarat. Addo ulterius quemadmodum Patres decreto generalis Concilii reverentiam Sedi Constantinopolitanæ exhiberi voluerunt: ita etiam sancire potuisse si causa exigeret, ut similis reverentia & honor Mediolano, Ravennæ, Sirmio, &c. dependeretur. Quare Cardinalis Cusanus lib. II. cap. ultimo de Concordantia Cathol. observat, *quod si per possibile Treverensis Archiepiscopus per Ecclesiam congregatum pro præside & capite eligeretur, quod proprie plus successor S. Petri in principatu foret quam Romanus Episcopus*; enim vero primatus est Catholicæ Ecclesiæ, non Romanæ proprius. Atque ita satisfit argumento Leonis & Gelasii contendentibus aliam esse potestatem regni secularis, & aliam distributionem dignitatum Ecclesiæ. Nam ecclesiastica dignitas formaliter Civitatibus aut Metropolibus regiis non accedit, quia sunt Civitates & Metropoles regiæ, sed quoniam Ecclesia consensu suo & decretis ita esse voluit. Porro quod ad Gelasii epistolam 13 ad Episcopos Dardaniæ attinet, Collectores Bullarii Romanorum Pontificum eam in fronte Bullarii collocarunt, ut docerent *quanta sit sum-*

summorum Pontificum auctoritas in damnandis à fide Catholica deviantibus & retractandis Conciliis male actis : sed uno verbo respondeo, Gelasium multa per auxesim solis Romanis Pontificibus adscribere quæ totius Ecclesiæ Catholicæ auctoritate gesta sunt : atque in multis contra historiæ veritatem ampullate loqui : ut hinc discamus Romanis Pontificibus in sua causa non esse facile credendum

Ad quartum ; esto Martianum Cæsarem, in Leonis Magni laudes excurrisse, quia hic se Canonum Nicænorum vindicem gereret : an propterea sequitur Canonem III Constantinopolitanum & XXVIII Chalcedonensem abrogari voluisse ? hoc quidem pernego : neque Gelasii conatus in epistola ad Episcopos Dardaniæ id probant : ubi multa oratorie per quendam excessum memorat quæ ad dogmata trahi non debent. Certe eventus ostendit, hos duos Canones invitis Romanis Episcopis semper robur habuisse : tumque demum Papam veritati manus dedisse : *Dist. 22. Can Renovantes sancti Constantinopolitani decreta Concilii petimus ut Constantinopolitana Sedes similia privilegia quæ superior Roma habet, accipiat : nec non in ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa*, &c. Porro Baronius dolori suo nimium quantum indulget, asserens, Marcianum Cæsarem edictum Palladio Præfecto misisse ut Anatolii ambitionem cogeret in ordinem, secundum Canonem Nicænum de Sedibus Patriarcha-libus

libus, hæc enim verba Edicti: *Privilegia quæ generalibus constitutionibus universis Sacrosanctis Ecclesiis orthodoxæ religionis retro Principes constituerunt, firma & illibata in perpetuum decernimus custodiri: omnes sane pragmaticas Sanctiones quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu gratiæ vel ambitionis elicitæ sunt, suo robore & firmitate vacuas esse præcipimus*, &c. Hæc, inquam, verba causam Baronii nullo modo juvant: quoniam Sedis Constantinopolitanæ prærogativa, qua de agitur, non Constitutionibus principum aut ulla sanctione pragmatica, sed Canonibus Ecclesiasticis & consuetudine diuturna inolevit. Quod autem scriptor Annalium conjicit, hoc Edictum Martiani consulto decurtatum fuisse à Justiniano, hercle omnibus judicio præditis se irridendum prostituit. Deus bone quam ridiculum est, ubi valida desunt argumenta ad ejusmodi fictiones & leptologias confugere! Falsum quoque est, *Anatolium rugitu Magni Leonis perterrefectum, suum abdicasse primatum*, Quandoquidem longe alius est sensus Epistolæ 71 Leonis ad Anatolium quam hæc Leonis verba præ se ferunt (quia Leo permaximus semper fuit vocabulorum auceps in iis quæ ad suam potentiam augendam conducere arbitrabatur) *illam autem culpam quam de augenda potestate aliena, ut asseris, adhortatione contraxeras*, inquit Leo, *efficacius atque sincerius tua charitas diluisset: si; quod tentari sine tua voluntate*

non

non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater charissime, est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum, professio dilectionis tuæ, attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda correctio cui tam venerabilis assertor accessit. Abjiciatur penitus inconcussi juris qui dissensionem fecerat appetitus: sufficiant limites quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt, &c. Enimvero, quamdiu Leo Magnus in fermento fuit adversus Anatolium propter Canonem hunc Chalcedonensem; Anatolius querelis Leonis nihil quicquam respondit, ut ipsemet Leo hac epistola 71 sic fatetur: *Ad quas epistolas cum non rescriberes, ipse te à colloquii mei consortio separasti*, &c. Dehinc vero cum Leo Martianum Cæsarem rogasset daret operam quatenus clerici Constantinopolitani qui cædis Flaviani participes extiterant, punirentur, & Anatolius in hoc pariter studium acriter incumberet: eamque ob causam Leoni Magno scripsisset: atque obiter dixisset sibi graviter dolere Leonem tantopere excanduisse propter Canonem XXVIII Chalcedonensem: cum id non tam à se quam à clero Constantinopolitanæ Ecclesiæ profectum fuisset: & alia ejusmodi narrasset quæ ad complementum urbanum & fovendam charitatem spectant: inde Leo Magnus captavit occasionem ea scriben-

pervenientium rerum contra communem Ecclesiarum pacem occupemur. Quia vero, sicut apperet, adversarius non sinit præsentem sine fluctuatione navigare nos vitam, necesse est superna gratiæ gubernaculo usos oportere nos omnes qui Deo auctore sumus in sacerdotio constituti illus certaminibus obviare. Unde etiam nunc in his quæ sunt præsumpta in Alexandrinorum Ecclesia, non quievi: sed sequens vestræ Christianæ tranquillitatis intentionem volentem & Sanctorum Patrum regulas non sperni & civilia jura servari, quod me facere congruebat, scilicet Sedem gubernantem hujus regiæ civitatis egi: & hæc manifesta vestræ Pietati fient per ea quæ scripsi tam Romano sanctissimo & venerando Leoni Pontifici, quam omnibus uniuscujusque diœcesis venerabilibus Metropolitanis Episcopis apud quos ingemui petulantiam contra sanctorum Patrum regulas perpetratam, & facta scelesta Timothei, &c. Notum igitur facio vestræ tranquillitati, quod piis vestris syllabis à nobis fieri præcepistis, quia constituo Timotheum quidem quantum ad integritatem sanctorum Canonum (adversum quos semper ea quæ gessit & gerit hactenus, irritavit) in ordinatione sacerdotii nullatenus esse dignum, &c. De Chalcedonensi vero sancto & universali Concilio hoc aperte pronuncio, quia tentare omnino retractare aliquid eorum quæ ab eo definita sunt, hominum est insidiantium solummodo catholicæ Ecclesiarum Christi concordiæ, congaudentium turbis atque tumultui, &c. Istinc ergo liquet, Ægyptios & Imperatorem ipsum ha-

buiſſe Anatolium pro Epiſcopo ſecundæ Sedis: quippe qui de Timotheo Æluro invaſore Sedis Alexandrinæ ſtatuat juxta Cæſaris & Ægyptiorum poſtulata.

Ad quintum, de Timotheo Alexandrino primum oppono, eo ipſo quod nullum interceſſionis exſtet veſtigium, hoc eſſe teſtimonio, Canonem III Conſtantinopolitanum omnium Patrum conſenſu ſynodice conſtitutum: idque amplius confirmat ſeries & ordo numerorum Canonum Codices Eccleſiæ univerſalis & Dionyſii Exigui: ubi Canon. III. Conſtantinopolitanus habetur pro CLXVI regula. Secundo urgeo omnes Patres Orientales juſtam cauſam habuiſſe in hanc rem conſentiendi, propterea quod viderent ſe deſpici & quaſi contemni ab Occidentalibus, ut oſtenſum eſt in hiſtoria Synodi Conſtantinopolitanæ, & nominatim diſſeritur à S. Baſilio epiſtola decima ad Gregorium Nazianzenum: quæ à Baronio refertur Tomo IV Annalium ad annum 372. *Etenim*, ait Baſilius, *ſi Dominus ſit nobis propitius, quali adminiculo indigemus? Sin autem ira Dei permanſerit, quale nobis auxilium ad Occidentalium ſupercilio & faſtu aderit: qui veritatem neque norunt neque diſcere ſuſtinent: verum falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt quæ prius in Marcello patrarunt: nempe cum iis qui veritatem ipſis annunciant contendentes*, &c. *Ego ſane ipſe abſque communi literarum figura volebam ad eorum Anteſignanum ſcribere. De eccleſiaſticis*

ſiaſticis quidem nihil niſi per ænigmata: quoniam nec intelligunt noſtratium veritatem, nec viam qua poſſint addiſcere amplectuntur. In univerſum hoc literis nolebam ſignificare, non per afflictiones oppreſſis humiliatiſque pœnam eſſe irrogandam, neque dignitatem æſtimandam ſuperbiam, quod etiam ſolum peccatum Deum inimicum reddere ſufficit. Hæc ibi, ſicut etiam epiſtola LXXVII. ad Tranſmarinos. Jam ſuperius monui Baronium mirum in modum deſudare, ut demonſtret, Damaſum juſtam habuiſſe cauſam non auſcultandi Baſilio: de qua re aliis, qua eccleſiaſticam hiſtoriam illorum temporum bene noverint, eſto ſincerum & Chriſtianum judicium. Profecto non abs re Balſamo apud Leunclavium Meditatione VII. ſub finem, luget, *malum dæmonem ambitionis, Papam Romanum à reliquorum Patriarcharum cœtu avulſiſſe, atque in Occidentem duntaxat coarctaſſe*: cui augendo luctui, Nilus Theſſalonicenſis Epiſcopus ſuas quoque impendit lacrymas.

Sextum, de terminis Sedi Conſtantinopolitanæ minime adſcriptis ſolutum eſt ſupra, cum ex Socrate oſtendimus, Patres Conſtantinopolitanos Thraciam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ addixiſſe: & longa temporis intercapedine ante Synodum Chalcedonenſem, Epiſcopos Conſtantinopolitanos ordinationes feciſſe in Aſia, Ponto & Thracia. Ex quo inſurgit, non tam novum Canonem conditum in Synodo Chalcedonenſi, quam vetus jam

pridem à Patribus Constantinopolitanis latum corroborari & explicari : sicuti videmus Patres Chalcedonenses Acta Nicæni Constantinopolitani & Ephesini Concilii in Synodo Chalcedonensi comprobasse. Porro argumentum est à negatione causari nullam fieri mentionem Canonis III. Constantinopolitani in epistola synodica : cum enim memorata epistola Acta Patrum breviter recenseat, quid opus erat omnia sigillatim enumerare, quando Patres ejusmodi literas synodicas perferendas darent Cyriaco, Eusebio, & Prisciano Episcopis ut verbo dicerent quæ epistola summatim concepta erat : quippe qui Actis Synodi Constantinopolitanæ interfuissent.

Ad Septimum, de Canonum Nicænorum violatione ; rependo, non violari Canones, sed pro communi Ecclesiæ bono explicari, & Sedes Patriarchales ampliari : cum enim jure communi & ex quadam consuetudine institutæ sint, non dubium est, quin eodem pariter jure, quando necessitas atque utilitas Ecclesiæ postulat, augeri aut restringi valeant. Quod autem Nicænis Canonibus statuitur omnibus ecclesiis sua debere privilegia servari secundum antiquum morem ; hoc in eam partem capi debet, ut nulli privatæ aut particulari ecclesiæ, in aliarum ecclesiarum jura & privilegia involare liceat : nequaquam vero de iis quæ Synodo generali ex catholico Patrum consensu pro utilitate Ecclesiæ sciscun-

scun-

ſcuntur. Quibus bene ponderatis ſatis fit argumento B. Leonis epiſtola ad Martianum Imperatorem, perhibentis, ſibi creditam Canonum diſpenſationem,&c. Hoc enim verum eſt habita ratione eccleſiarum particularium diſgregatarum: minime autem de Synodo univerſali qualis fuit Conſtantinopolitana & Chalcedonenſis: quæ paris fuerunt auctoritatis atque Nicænum Concilium: & legem potuerunt Pontifici dicere, quam ſervare teneretur. Verum qui ad hæc animum conſiderate adjunxerit, nullo negotio omnes rationes auctoris præfationum Synodicarum Romanæ editionis in præfationibus Synodi Conſtantinopolitanæ & Chalcedonenſis depellet.

Octavo, eſto, Theophilum Alexandrinum jus ordinandi Patriarcham Conſtantinopolitanum ſibi vendicaſſe: id quidem prærogativæ Sedis Conſtantinopolitanæ nihilo magis poteſt derogare quam Sedi Romanæ Epiſcopus Oſtienſis qui Papam conſecrat. Verum ſupra ex Gelaſio docui Epiſcopum Heracleenſem conſueviſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum ordinare.

Ad nonum, quando cleri & populi electio in ordinatione Epiſcoporum intervenire debet, & Metropolitani duntaxat poteſtatem habent ejuſmodi electiones confirmandi per Canones Nicænos: certe nihil mirum eſt Cyzicenos obſtitiſſe Siſinnio Conſtantinopolitano Epiſcopo cum eis dare vellet Epiſcopum

quem non elegerant. Quod ſpectat ad Atticum, uſus eſt Privilegio quod lex eſt privata contra Canones quibus jus ordinarium continetur: itaque ejuſmodi privilegium cum Attico extinctum eſt, nec ad ſucceſſores Attici tranſire debuit.

Decimo, fruſtra Baronius ſilentium Anatolii erga Leonem Magnum ad cauſæ ſuæ patrocinium rapit: quia ut ſupra ex 71 epiſtola Leonis docui, Anatolius ſilentio ſuo impatientiam Leonis mitigabat: neque ſe Canone Conſtantinopolitano, neque alia ratione tueri volebat: quippe qui regulis Ariſtocratici regiminis atque ipſa praxi abunde vallaretur contra Leonis clamores: quandoquidem omnibus privilegiis Canone Conſtantinopolitano III & XXVIII Chalcedonenſi præſcriptis utebatur fruebatur: ut ſupra docui in explicatione Actorum Synodi Chalcedonenſis. Quid ergo opus erat ut Leoni ſcriberet de hac re, cum nihil ab illo, præter benevolentiam, quam palam Leo denegaverat, expectaret? Certe ejuſmodi ſilentium Anatolii graviſſimum & moleſtiſſimum erat Leoni, eoque magis quod ſe invito & reclamante negotium confici videret.

Undecimo, illi ipſi certe qui Patribus Chalcedonenſibus duo manifeſtiſſima adſcribunt mendacia, magnis ſeſe mendaciis, ignorantia & impietate contaminant: dum minime attendunt in B. Petri primatu duo eſſe conſide-

randa & ab invicem ſecernenda: Primum eſt inſtitutio primatus cum iis quæ neceſſitate conſequentiæ primatum concomitantur: quæ quidem ſunt Juris Divini, ut demonſtravi Axiomate xxxv Apologiæ. Alterum eſt amplificatio exercitii adminiſtrationis & exiſtentiæ primatus: quæ quidem maxima ex parte juris ſunt mere poſitivi variabilis, manantque partim ab Eccleſiæ, partim à Principum Chriſtianorum largitione, & civitatum amplitudine. Et de hoc poſteriori genere non de priori Patres Chalcedonenſes loqui claret ex ipſo Canone xxviii & Actione xvi Synodi Chalcedonenſis, ubi nominatim agitur de privilegiis humanitus conceſſis: inſuper quoque comprobatur *Diſt.* 80. *Can.* U*rbes. Can. In illis*, *& Diſt.* 99. *Can. Provivinciæ & Can. Nulli.* Quibus edocemur Primatus & Metropoles Eccleſiarum diſpertitas & erectas fuiſſe ab Apoſtolis & Sanctis Patribus, juxta typum & formam dignitatis atque amplitudinis urbium. Idque confirmat Eccleſiam in republica tanquam in fundo & domicilio habitare. At ſecundum hanc poſteriorem viam multa privilegia Eccleſiæ Romanæ humanitus obtigiſſe nemo niſi protervus & hiſtoriæ, imo omnis etiam ſenſus communis expers, inficiari poteſt. Enimvero qui in magnis & opulentis naſcuntur & habitant civitatibus, multis pollent opibus & adjumentis, quibus alii carent qui pagos aut urbes obſcuras incolunt. Quare ne-

ſcio quis Lacedæmonius quempiam magnifica loquentem audiens, *hæc tua oratio*, inquit, *magna & opulenta indiget civitate.* Et ne tam vetera quæramus ſcitum eſt quanto molimine Jeſuitæ atque alii novi ordines in opulentioribus civitatibus Sedem figere ambiant. Quid ergo mirabile habet, Patres Conſtantinopolitanos & Chalcedonenſes cum optime noviſſent Sedium Patriarchalium conſtitutionem & extenſionem, juris eſſe humani voluiſſe ut Eccleſia Conſtantinopolitana ejuſmodi privilegiis gauderet, atque poſt Sedem Romanam etiam in eccleſiaſticis ſecundas obtineret? Neque vero Patres aſſerunt, ut Binius poſt Baronium imponit, primatum Eccleſiæ Romanæ ortum atque inſtitutionem habuiſſe à Nicænis Patribus, ſed duntaxat *Patres jure quidem privilegia tribuiſſe antiquæ Romæ throno, eo quod urbs illa imperaret.* Ex quo pariter inferunt, *ſimilia privilegia Sedi Conſtantinopolitanæ tribui oportere, eo quod Sedem haberet Imperii & Senatum.* Quocirca hic agitur de Privilegiis, quæ jure humano, non de primatu Petri, qui jure divino quo ad eſſentiam inſtitutus eſt. Et ita Vallii temeritas & ignorantia, ne quid aſperius pronunciem, contunditur, lib. de Suprema poteſtate Papæ parte IV quæſt. 8. ante medium, ubi aſſerit, *Concilium Chalcedonenſe niti hæretico, nedum falſo & erroneo fundamento, quando ſcivit, Sedi ſenioris Romæ propter Imperium civitatis, primatus Patres contuliſſe.* Hicque animad-

madversione dignum, Vallium sententiam Patrum Chalcedonensium additione vocis τὸ *Primatus*, corrupisse: solummodo enim dicunt *antiquæ Romæ throno*, id est, cathedræ Petri, *quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuisse*. Vallius autem addit, *privilegia primatus*: sic enim sua argumenta fictitiis commentis atque mendaciis obvallat, ut imperitis illudat facilius. De exordio VI Canonis Nicæni juxta recitationem factam à Paschasino, Leonis Magni Vicario, Actione XVI Synodi Chalcedonensis: hercle, Baronius, Binius, & ipsemet Bellarminus lib. II de Romano Pontifice cap. 13. inde primatum Ecclesiæ Romanæ adstruere laborant: quod mirabile est, cum hoc argumentum tam fragile & arundineum sit, ut nihil supra: hæc sunt verba Paschasini, *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandrinus*, &c. At vero quis prima fronte non observat, hæc concepta verba: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*, ab aliquo adscripta fuisse pro argumento & lemmate VI Canonis Nicæni: & tum demum obrepsisse in Canonem ipsum, quasi partem genuinam Canonis efficerent? Quandoquidem in genuinis & authenticis exemplaribus Canonum Nicænorum nuspiam conspiciuntur: quæ genuina exemplaria habes tum in codice Canonum Ecclesiæ universalis quo Patres Chalcedonenses utebantur, tum in codice Ecclesiæ Latinæ,

næ, quem Dionyſius Exiguus Latinum fecit, tum in ſexto Concilio Carthaginenſi, de quibus ſupra cap. 3 & 5. tum etiam in Tomis Conciliorum Petri Crabbe, Surii, Binii atque etiam editionis Romanæ: nec non præterea apud Gratianum *Diſt.* 65. *Can. Mos antiquus*: Accedit & Canon XVII octavæ Synodi generalis, ſuaſu Vicariorum Adriani II. PP. conditus: in quo verbum de verbo recitatur Canon VI Nicænus atque etiam explicatur. Proculdubio ipſemet Bellarminus atque Binius ſibi hujus obreptionis facile conſcii, hanc vocem τὸ *quod* ſubduxerunt & ſubticuerunt, quam tamen Paſchaſinus pronunciavit & Baronius ipſe retinuit: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem Ægyptus*: ſiquidem Bellarminus legit: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem Ægyptus*, &c. Porro argumentum Leonis & Gelaſii PP. ductum à diſcrimine poteſtatis regni ſecularis atque diſtributionis dignitatum Eccleſiaſticarum: & quod Mediolanum Sirmium, Treveris, &c. aliquando fuerint Sedes Imperii, ſolutum eſt ſupra reſponſione ad tertium.

Summa hujus diſputationis de Canone III Conſtantinopolitano & XXVIII ſynodi Chalcedonenſis ad duo redit puncta: Primum eſt, ut quæcumque ſynodice & conſenſu catholico Patrum ſancirentur, vim & robur haberent, quamquam Romanus Pontifex contra refragaretur, idque ita ſemper tenuit ſchola

Pa-

Parisiensis, teste Almaino de Ecclesiæ auctoritate cap. 7. *Quamvis S. Leo reclamarit contra constitutionem Chalcedonensis Concilii*, ait, *quod Constantinopolitana Sedes præcederet Alexandrinam, prævaluit tamen constitutio Concilii reclamationi Leonis per Can. Renovantes. Dist. 22. & per cap. Antiqua. de Privilegiis. Nam statuta generalis Concilii præjudicant statutis Papæ si contradicant: Glossa in Can. legimus. Dist. 93.* Quæ etiam confirmari possunt decretis pragmaticæ sanctionis, ut jam supra notavimus. Alterum punctum est, quod hic Leonis Magni & aliorum Pontificum adversus Canonem hunc conatus, illustre monumentum tentatæ & vindicatæ libertatis aut regiminis ecclesiastici adversus potestatem monarchicam nobis ad omnem potestatem monarchicum nobis ad omnem posteritatis memoriam erigat & consecret.

XLV. At vero cum Dioscorus Edicto Imperatoris Martiani ad urbem Gangrenam Paphlagoniæ deportatus, atque Proterius communibus Patrum Chalcedonensium suffragiis ad Episcopatum Alexandrinum loco Dioscori fuisset cooptatus; tantus quidem tumultus exarsit Alexandriæ contra Proterium & Synodum Chalcedonensem, ut Imperator seditionis sedandæ causa illuc militum copias mittere coactus fuerit. Sed cum paulo post optimus Princeps debitum naturæ exolvisset, Alexandrini, ut ingenio ad levitatem & seditionem valde propensi sunt, captata inde occasione

ſione rerum novarum majore æſtu ac furore in Proterium bacchantes de integro tumultus inſtaurarunt, ac Timotheum cognomento Ælurum Presbyterum Alexandrinum Eutychis errore inquinatum Epiſcopum deligunt, atque Proterium abeuntem fugientemque ad baptiſterium confodiunt. Neque tum minori furore monachi Palæſtinæ adverſus Synodum Chalcedonenſem ejuſque propugnatores certabant: quippe qui die ſancto Paſchæ, quendam nomine Theodoſium in Juvenalis Epiſcopi Hieroſolymitani locum, quem vi majore expulerant, ſuffecerint. Procul dubio, ſicut Deus optim. maxim. veritatem à tempore laborare, opprimi autem nunquam patitur: ſic compertum eſt, Arrianos, Macedonianos, Neſtorianus atque Eutychianos, nunquam majori animorum inſania bacchari cœpiſſe, quam poſt Conciliorum generalium definitionem. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus epiſtola XLII ad Procopium dicebat, *ſe omnes conventus Epiſcoporum fugere: quia nullius unquam Synodi bonum atque felicem exitum vidiſſet.* Et hæc Dei providentia accidere permittit ad erudiendos & humiliandos homines. Verum hi tumultus tandem à Leone Imperatore, qui Martiano ſucceſſit, ſedati ſunt: atque Ælurus impius exilio multatus & in ejus locum Timotheus, nomine Salophaciolus, delectus eſt: conſule hiſtoriam Euagrii lib. II à cap. 5 ad II. cum Breviario Liberati, cap. 15 & 16. Tomo

mo 11 Conciliorum Binii: atque observa, mortuo Martiano Imperatore, magnam extitisse in toto Oriente contentionem de Chalcedonensi Synodo, & Leonem Imperatorem ea de re scripsisse ad omnes ubique terrarum existentes Episcopos, qui vicissim eidem Leoni suam super ea re sententiam rescripserunt, & sanctorum communionem declararunt: idque quodammodo generali Concilio æquipollet. Epistolam Leonis Augusti & Episcoporum habes Tomo 11 Conciliorum, ad calcem Synodi Chalcedonensis, quas inter etiam exstat B. Leonis Papæ epistola ad Leonem Imperatorem, qua nominatim ait, *Regiam potestatem non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendat, & veram pacem his quæ sunt turbata restituat: depellendo scilicet pervasores juris alieni & antiquæ fidei Sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando.* Quæ quidem demonstrant, *Principes Christianos esse Episcopos communes exteriorum negotiorum Ecclesiæ*: adeo ut tanquam Dei ministri per jus meri imperii debeant vindices legis divinæ, naturalis, & canonicæ existere. Porro ex omnibus antiquis hæresibus nulla diuturnior & crudelior Eutychiana extitit: quæque tantas populorum strages ediderit, quoniam permulti Imperatores eam armis tutati sunt: sed Justinianus piissimus Princeps eam valde repressit dum Edicto cavit, ut fides quatuor primorum Con-

Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini primi, & Chalcedonensis in sacras Ecclesiæ tabulas ubique terrarum referretur, atque in Ecclesiis assiduo prædicaretur. A quo etiam ritu illa manasse consuetudo videtur, qua Episcopi Sedium Patriarchalium, statim atque essent inaugurati, sibi mutuo scriberent: ac speciatim profiterentur, se quatuor prima Concilia generalia velut quatuor Euangelia suscipere, & venerari, ut testis est S. Gregorius lib. 1. epistola 24. sub finem: & lib. VII. epistola 53. cujus meminit Gratianus, *Dist.* 15. *Can. Sicut.* Verum de Justiniano uberius cap. sequenti in historia quintæ Synodi.

Cæterum quoniam in hoc Concilio & aliis omnibus quorum historiam teximus sæpe hæc formula occurrit: *Sancta Synodus dicit*, &c. Hic pro Auctario notandum, quoties Episcopi inter deliberandum dicebant aliquid diversi quoad formam & modum, quamquam quoad rem & substantiam convenirent, Actuarios Synodi semper consuevisse nomina Episcoporum scribere in Actis qui ita censuissent. Si vero aliquis Patrum quidpiam diceret quod uno consensu à tota Synodo nemine refragante probaretur, tum Notarios Concilii non solitos scribere nomen illius Patris qui hoc primus dixisset; sed ejus sententiam toti Synodo attribuere consuevisse, cum hac formula: *Sancta Synodus dicit.* Cujus rationis

tionis agendi lectorem informandum putavi; ne tanquam hospes & peregrinus in lectione Conciliorum versaretur.

CAPUT. IX.

I. *Historia quintæ Synodi generalis, indicta Constantinopoli à Justiniano, ut tria capitula quibus Nestoriani ad sui erroris patrocinium abutebantur, synodice damnarentur, & de summo Justiniani studio ut Ecclesiæ unirentur.*

II. *Quamquam Vigilius* PP. *esset Constantinopoli dum haberetur quinta Synodus, tamen rogatus à Patribus & à Justiniano, eidem Synodo præsidere noluit.*

III. *Patres declarant nuspiam veritatem posse accuratius aut diligentius inveniri quam in Synodo.*

IV. *Sylvester apud Melchiorem Canum Auctor est, Ecclesiam & Papam, nisi diligentiam adhibeant necessariam in definiendis controversiis, earrare posse.*

V. *Rationes auctoris Præfationum historicarum, quibus ostendit Vigilium non debuisse quintæ Synodo præsidere, expenduntur.*

VI. *De primatu Arelatensis Ecclesiæ, unde & quando ortum habuerit & de B. Petri patrimonio quod colligebatur in Galliis.*

VII. *Edictum Justiniani contra tria capitula.*

VIII. *Ejusdem epistolam, qua declarat Romanum Pontificem caput omnium Ecclesiarum esse genuinam teste Cujacio.*

XI. *Utrum Imperatores statim atque evecti essent ad Imperium suæ fidei professionem mitterent Romam.*

X. *Singulos Patriarchas quamprimum essent consecrati, consuevisse suæ fidei professionem mittere ad alios Patriarchas: & nominatim declarare, se quatuor prima Concilia velut quatuor Euangelia venerari.*

XI. *De summa pietate Justiniani in asserenda fide orthodoxa; quem eam ob causam Agatho Papa, cum Synodo Romana omnibus aliis Imperatoribus anteponunt: & continuo ab eorum calumniis liberant, qui illum Eutychis errorem defendisse prædicant.*

XII. *Undenam ea manarint quæ Euagrius & Nicephorus de Justiniano quasi heretico enarrant.*

I. QUinto generale Concilium vocatur secundum Constantinopolitanum CLXV Patrum, habitum Constantinopoli circa annum Domini DXXXIV. idque ad profligandas reliquias hæresis Nestorii, & errores Origenis. Porro indictum fuisse à Justiniano Cæsare testis est Euagrius lib. IV historiæ, cap. 37. & Nicephorus lib. XVII. cap. 27. Idque amplius liquet ex ejusdem Imperatoris sacra epistola quæ legitur initio Concilii ubi narrat, se Metropolitas ad regiam urbem Constantinopolim vocavisse; & formam agendorum Patribus præscribit: quod est notabile. Quocirca Domninus Patriarcha Antiochenus dixit Patribus: *Piissima forma cujus mentionem fecit Theodorus Silentiarius vir magnificus competenter suscepta recitetur: Et cum suscepisset Stephanus Diaconus & Notarius instrumentarius recitavit, In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Imperator Cæsar, Flavius Justinianus, Alamanicus*, &c. Hæc autem notabilia continet. Primo narrat Imperator, hoc semper in more positum fuisse Cæsaribus, qui eum præcesserunt, ut hæreses diversis temporibus nascentes per congregationem Episcoporum amputarent, & in pace Sanctam Ecclesiam custodirent: eamque ob rem Constantinum Magnum Synodum adversus Arrium congregasse Nicææ. Theodosium seniorem congregatis

gatis in regia urbe centum quinquaginta Episcopis contra Macedonium & Apollinarem participem fuisse Concilii, & fecisse rectam fidem prædicare. Iterum Theodosium Juniorem congregavisse priorem Synodum Ephesinam contra Nestorium. Similiter piæ recordationis Marcianum congregavisse Chalcedone sanctos Patres adversus Eutychem, hisque per diversa tempora subsequutis, prædictos piæ recordationis Principes ea quæ in unoquoque concilio judicata sunt, legibus suis corroborasse & confirmasse: & hæreticos qui definitionibus prædictorum sanctorum quatuor Conciliorum resistere & Ecclesias conturbare conati sunt, expulisse. Defuncto autem Martiano, cum graves motus contra Synodum Chalcedonensem diversis in locis exsurgerent, Leonem Augustum Imperatorem ad omnes ubique sacerdotes scripsisse, ut unusquisque eorum propriam sententiam manifestaret de eodem sancto Concilio.

Secundo, recenset dehinc sequaces Nestorii & Eutychis tantas turbas in sanctis Dei Ecclesiis fecisse & schismata conservisse, ut Ecclesiæ Orientis nullam prorsus communionem ad se invicem haberent: se vero quamprimum est evectus ad Imperium, fundamentum sui Imperii fecisse, ut divos conjungeret sacerdotes ab Oriente usque ad Occidentem; atque omnem amputasse contentionem quæ

contra Chalcedonensem Synodum ab Eutychis & Nestorii sequacibus movebantur, ac dedisse operam ut fides quatuor Conciliorum generalium in Ecclesiis ubique prædicaretur: hacque ratione neminem palam ausum tueri errorem Nestorii & Eutychis. Sed aliquos repertos qui id clanculum & indirecte facere tentarent per Theodorum Mopsuestænum, & epistolam Ibæ ad Marim Persam, nec non etiam per redargutiones Theodoreti Cyrensis Episcopi adversus S. Cyrillum Alexandrinum: objicientes ejusmodi scripta non fuisse damnata à Synodo Chalcedonensi.

Tertio memorat, se de his tribus impiis capitulis, nempe Mopsuestæni, Ibæ & Theodoreti scripsisse ad omnes Episcopos in suis degentes Ecclesiis, quatenus suam sententiam de illis aperirent, eaque capitula condemnasse: verum quia post ejusmodi condemnationem factam extra Synodum, sequaces Nestorii non desistunt tria memorata capitula vindicare & asserere: narrat Justinianus se Episcopos Constantinopolim convocasse, ut communi consensu iterum suam ederent sententiam super præfatis capitulis.

Quarto, dicit Vigilium Papam sese Constantinopolim contulisse, ab eoque quid de tribus istis capitulis teneret petiisse: respondisse autem se ea & voce & scriptis anathematizasse, quando Rusticum & Sebastianum Diaconos Ecclesiæ Romanæ & Valentinianum

num Episcopum Scythiæ cum Aureliano Arelatensi Episcopo condemnavit, observatque Arelatem primam esse omnium Ecclesiarum Galliæ : quod notatu dignum est. Præterea Patribus congregatis Constantinopoli ait se per Judices suos & quosdam ex Episcopis mandavisse Vigilio Papæ ut una cum aliis Episcopis conveniret, & communiter disceptaret de prædictis capitulis & forma daretur rectæ fidei congrua quatuor sanctis Conciliis, &c. Vigilium autem mandavisse quod de prædictis tribus capitulis per semetipsum faciens quid sentiret porrigeret. Quocirca Imperator adhortatur Episcopos, ut in sacra Synodo de prædictis capitulis suam aperirent sententiam.

Quinto, profitetur se servare & defendere quæ in Nicæno Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi concilio definita; atque omnia damnare quæ illis Synodis contraria sunt, atque amplius sequi in omnibus sanctos Patres Ecclesiæ Dei Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium Theophilum, Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, Proculum, Leonem, & omnia quæ ab eis de fide recta, & ad condemnationem hæreticorum scripta sunt.

Sexto subjungit, Nestorianos, cum errorem suum aperte damnatum viderent, illum ex scriptis Theodori Mopsuestæni, Theo-

doreti Cyrenſis Epiſcopi, & epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, quaſi ignem cineribus conſopitum exſuſcitaſſe, ac per totum Orientem ſparſiſſe: ac proinde opus eſſe hæc ſcripta impia examinare : atque una videre, an liceat hæreticos poſt mortem anathemate ferire: docetque ſanctos Patres non modo viventes hæreticos condamnaſſe, ſed etiam poſt mortem illos qui in impietate ſua morerentur anathemate perculiſſe, ac injuſte damnatos abſolviſſe, & in ſacris diptychis ſcripſiſſe, ut de B. Chryſoſtomo, & Flaviano Epiſcopis Conſtantinopolitanis compertum eſt.

En ſumma totius epiſtolæ Imperatoris quæ ordinem & formam agendi Patribus delineat, ſicut antea factum eſt in prima Synodo Epheſina, & in Chalcedonenſi, ubi Senatus ab Imperatore Martiano conſtitutus διαταξίν præſcribebat, non autem legati Romani Pontificis: idque oſtendit, Imperatores non fuiſſe nudos & ſimplices executores voluntatis aut mandatorum Papæ vel Synodi, ut Vallius ex Curiæ Romanæ placitis vult perſuadere. Imo vero cum ſint Dei Vicarii & miniſtri, *Romanorum* 13. poſſunt univerſos, etiam ipſum Papam ad juris divini, naturalis & canonici exequutionem, rectumque ordinem ſervandum cogere, quod eſt ſæpius iterandum contra anarchiam quam novi Theologi ædificant.

II. Perlectis literis Juſtiniani ſancta Synodus dixit: *Certis conſtitutis* QUÆ LECTA IMPE-

PERIALI FORMA CONTINENTUR, *quoniam inter nos & Vigilium Sanctissimum antiquioris Romæ Papam ſcripta quædam facta ſunt ad præſentem cauſam reſpicientia, neceſſarium eſſe putavimus ante alia omnia hæc lectione manifeſtari. Et cum ſuſcepiſſet Stephanus Notarius & inſtrumentarius recitavit* : ſcilicet Epiſtolam Eutychii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Vigilium PP. qua illum nomine omnium Patrum obnixe precatur atque invitat, *ut Synodo præſidere dignetur ſub tranquillitate & ſacerdotali manſuetudine, propoſitis ſanctis Euangeliis, ut tria Capitula communiter tractentur, & finis quæſtioni proponatur Deo & quatuor primis generalibus Conciliis conveniens atque concordans*. Quæ quatuor ſancta Concilia Patres quintæ Synodi eadem epiſtola profitentur ſe per omnia atque in omnibus ſuſcipere & amplecti una cum epiſtolis Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ, tam aliorum quam Leonis, de recta fide ſcriptis, & de quatuor ſanctis Conciliis vel uno eorum. Cui epiſtolæ ſynodali Vigilius non clare & aperte ſed obſcure ad hunc modum reſpondet : *Quibus ita prædictis poſtulationibus veſtrum deſiderium cognoſcentes, annuimus ut de tribus capitulis ex quibus quæſtio nata eſt*, FACTO REGULARI CONVENTU, *ſervata æquitate, mediis ſacroſanctis Euangeliis, Collationem cum unitis fratribus habeamus, ut finis detur placitus Deo & conveniens his quæ à ſanctis quatuor ſunt definita Conciliis: ſcientes utique, ſicut & communis profeſſionis*

 teſti-

testimonio declaratur, memoratarum Synodorum in omnibus reverentiam custodiri. Deus te incolumem custodiat frater charissime. Porro hanc Vigilii responsionem Patres quintæ Synodi, in eam acceperunt partem,ut existimarent illum velle Synodo præsidere: quod secus evenit. Nam cum aliquanto post Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domninus Theopolitanus sive Antiochenus Patriarchæ, cum octodecim Episcopis sese nomine totius Synodi ad domicilium Vigilii contulissent, eumque impense obsecrassent, ut secundum epistolam à se scriptam vellet ad Synodum venire, quatenus fieret satis mandato Imperatoris qui exhortabatur Patres, ut de tribus Capitulis statuerent: Vigilius respondit; *se propter corporis infirmitatem non posse in præsentiarum huic petitioni satisfacere: & die sequenti pollicitus est, se quid sibi placeret de tali conventu declaraturum.* Qua de causa Patres diffundunt diem habendæ Synodo, & Vigilium expectant: hæcque summa est primæ Collationis aut Actionis Concilii, siquidem dividitur in octo Collationes sive Consessus, hodie vocant *Sessiones*.

Collatione secunda iidem Patres qui jam Vigilium adierant, referunt ad Synodum se post diem, quem Vigilius condixerat, illum iterato convenisse, & commonuisse juxta ea quæ ei scribere placuerat, ut ad Synodum veniret, &c. *Respondisse autem non posse una convenire,*

venire, eo quod plurimi ibi essent Episcopi Orientales, pauci vero Occidentales: se autem paratum esse per semetipsum in scriptis suam sententiam offerre piissimo Domino Imperatori: ideoque inducias postulasse ab ejus Serenitate ut intra eas suam voluntatem manifestaret. Ad hæc Orientales respondent, Vigilium debere promissa exsolvere, cum literis suis pollicitus esset Synodo præsidere, maxime vero quod cuncti Patres Synodi ejusdem plane essent sententiæ & communionis cum illo: neque æquum esse Synodum differri propter Occidentales Episcopos: cum in sanctis quatuor Synodis multitudo Episcoporum Occidentalium nunquam inventa fuerit: sed duo tantum vel tres Episcopi & Clerici. Instant præterea, multos Episcopos ex Italia, Africa & Illyrico esse Constantinopoli cum Vigilio: nihilque esse quod prohibeat quo minus Synodo juxta ea quæ epistola sua pollicitus erat, intersit, & præsideat: hoc si facere recuset contra sponsionem suam, necessium esse Patribus suam sententiam de tribus Capitulis synodice dicere, ne & Imperatori & populo Christiano ullum scandalum creetur ex ejusmodi cunctatione: interea Dominum Imperatorem certiorem faciendum de hac re.

Eadem Collatione narratur alio die Imperatorem multos ex Patritiis misisse ad Vigilium Papam, atque inter alios Petrum, Constantinum, Belisarium, Cethegum, Rusti-

cum, una cum duodecim Episcopis ex parte Synodi, qui Vigilium interpellarent, ut cum aliis Episcopis ad Synodum conveniret, & communi consensu de tribus Capitulis decerneretur. Cum vero ille postulasset sibi dari inducias ut solus responderet, ei oppositum fuisse, quod jam alias sæpe & verbo & scripto tria condemnasset Capitula, atque Imperatorem velle ut una cum aliis conveniret ad Synodum & de tribus Capitulis synodice statueretur. Quod si decrevisset seorsim quæ sentiret reserare, tamen necessium esse Episcopis ad Synodum convocatis suam hac de re sententiam synodice dicere: neque par esse ut Ecclesiam Dei in tanta confusione relinquerent. Cum ergo Vigilius noluisset Synodo interesse, Primasius Byzacenæ parœciæ Africæ Episcopus; qui tum erat Constantinopoli, rogatus ut Synodo adesset, respondit absente Papa se non posse interesse Synodo. Item multi alii Episcopi Illyricianæ provinciæ rogati ut adessent Synodo, responderunt Benenato Archiepiscopo suo absente non posse Synodo interesse. Et hinc discimus, consuetudinem fuisse ecclesiasticam, ut Episcopi solum metropolitanum suum sequerentur in Synodis, & illo absente sacris conventibus non interessent aut acta subscriptione sua firmarent: quod jam probatum est superius actione quarta Chalcedonensi: ubi Episcopi Ægyptii post damnatum Dioscorum actis sub-

ſubſcribere recuſarunt antequam haberent Metropolitam. Præterea ex reſponſione Primaſii Epiſcopi Africæ dignoſcitur Africam Patriarchatui Romano ſubditam. Verum his exploratis Patres quintæ Synodi decernunt, ſibi ex officio incumbere, ut rationem reddant ſuæ fidei omni poſcenti, atque optimi Principis deſiderio ſatisfaciant. Quamobrem à tertia Collatione ad ſeptimam tria ſigillatim examinant, & canonice damnant Capitula: deinde Collatione ſeptima actis inſerunt epiſtolas Vigilii ad Ruſticum & Sebaſtianum Diaconos Romanæ Eccleſiæ: item ad Valentinianum Scythiæ provinciæ Epiſcopum, & Aurelianum Arelatenſem Epiſcopum ſuper damnatione trium Capitulorum: quas epiſtolas Patres mandato Juſtiniani in acta quintæ Synodi conjecerunt.

III. Deinde Collatione octava ſententiam ſuam in hunc modum declarant: *Licet Sancti Spiritus gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi definire, priuſquam communiter congregati, divinarum ſcripturarum teſtimoniis unuſquiſq; ſua dicta confirmàverunt: unde communiter de eo ſententiam protulerunt ad gentes, ſcribentes: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil aliud imponere vobis oneris prӕterquam neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine & ſuffocato & fornicatione. Sed*

&

& sancti Patres qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt; certo constituto quod in communibus disceptationibus cum proponuntur quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptacionibus aliter veritas manifestari. Cum unusquisque proximi adjutorio indiget, sicut in Proverbiis dicit Salomon: frater fratri adjutorium præstans exaltabitur sicut civitas munita: valet vero sicut regnum fundatum. Et iterum in Ecclesiaste dicit: Optimi duo quam unus quibus est merces bona in labore ipsorum. Sed etiam ipse Dominus dicit, Amen dico vobis, si duo ex vobis convenerint super terram de omni re quamcunque petierint, continget illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum. Cum autem sæpius & a nobis omnibus invitatus religiosissimus Vigilius & insuper gloriosissimis judicibus missis ad ipsum à piissimo Imperatore promiserit per seipsum de iidem tribus Capitulis sententiam proferre: hujusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes, quod unusquisque pro se rationem reddet Deo, timentes autem & judicium imminens eis qui vel unum ex minimis scandalizaverit, quanto magis Imperatorem ita Christianissimum, & populos & Ecclesias totas: & quod dictum est a Deo ad Paulum. Ne timeas, sed loquere, & ne taceas quoniam ego sum tecum, &

nemo

nemo poterit nocere tibi. Actor. 18. Congregati ante omnia confessi sumus fidem illam tenere quam Dominus noster Jesus tradidit Sanctis suis Apostolis, &c.*quam latius exposuerunt trecenti decem & octo sancti Patres Nicææ congregati,* &c. quæ videbit. Lector.

Verum ut Collectanea nostra in quintam Synodum exhibeamus. Primum, miror qua fronte Ciaconius in vita Vigilii PP.memoret; illum quintam Synodum indixisse, eique præfuisse, cum Menna. Profecto neque Vigilius indixit, neque ei pariter interfuit, multoque minus Mennas qui diem supremum obierat, præfuit: tum enim Eutychius Mennæ Successor thronum Constantinopolitanum tenebat. Vigilius autem pertractus erat Constantinopolim tanquam reus exilii Sylverii, & cædis nobilis cujusdam adolescentis filii Consulis Asterii. Severinus Binius qui tantum narrationem Baronii in suam Collectionem conjecit, memorat *Vigilium Papam hanc Synodum auctoritate Pontificia indixiße, & Justinianum opera, studio ac favore suo eandem congregasse.* Sed si eam indixit cur interesse detrectavit? Certe nihilo magis indixit quam alii Pontifices quatuor præcedentia Concilia quę indicta & coacta sunt ab Imperatoribus, Papa Romano assensum suum præbente ut demonstratum est. Et ita potest concedi hanc Synodum assensu Vigilii indictam: quamquam acta id non dicant. Hercle ipse Binius post Baroni-

ronium confirmat, ne Vigilium quidem assensum præbuisse: *Huic Concilio Vigilius Pontifex*, ait, *neque per se neque per legatos interfuit: contradixit eidem, quando sine capite membra coirent: dum ageretur non consensit, absolutumque non statim, prout moris erat, ratum habuit: tamen ipsum nomen, titulum, & auctoritatem Oecumenici Concilii obtinuit, quando ipsius Vigilii & successorum Romanorum Pontificum sententia approbatum fuit: ut aliqua Synodus cui nec per legatos, nec per seipsum Pontifex interfuit, sed potius adversatus fuit, titulum Oecumenicæ obtineret: quando id fieri Romanus Pontifex volebat, novum non est. Supra enim tomo primo in notis Concilii Constantinopolitani primi sub Damaso notavi, quod illud Concilium sub Theodosio celebratum fuerit repugnante Damaso, qui illud celebrandum Romæ indixerat: sed cum postea Pontifex consentiret, factum esse Concilium Oecumenicum, quod intitio non legitime congregatum erat.* Hæc Binius ex Baronio ad annum Christi 553 numero 224. Ex quibus liquet quantum Curiales Romani sint districti & implicati in sua infallibili monarchia constituenda. Primum Binius actis supra fideliter prolatis, repugnat, asserens Vigilium ideo contradixisse quintæ Synodo, *quod membra sine capite coirent*: siquidem Patres Vigilium etiam atque etiam rogarunt atque invitarunt ut Synodo præesse dignaretur, idque etiam Justinianus Imperator per suos Judices curavit. Secundo mera est cavillatio & petitio prin-

principii dicere, aliquod Concilium titulum & auctoritatem habere Oecumenici Concilii, eo ipso quod à Papa auctoretur, non autem à consensu catholico & generali communione Sanctorum : quod ipsum clare Baronius & Binius docent asserentes primum Concilium Constantinopolitanum celebratum fuisse repugnante Damaso, qui illud Romæ celebrari volebat: hoc autem falsum est, ut ex historia Synodi Constantinopolitanæ liquet. Tertio, ex propria confessione adversariorum habemus, secundum & quintum Concilium generale, non robur habuisse à Papa, cum illo repugnante aut saltem non consentinte habita & conclusa sint, ut supra etiam de Canone XXVIII. Chalcedonensi & pragmatica sanctione docuimus. Vallius lib. de suprema potestate Papæ parte IV. quæst. 2. refert, *Synodum à Vigilio Papa auctoritate Pontificia indictam, sed Justiniani opera studio & favore congregatam fuisse*, quæ mutuatus est à Severino Binio. At auctor Præfationis Historicæ, in Romanis Conciliis longe verecundior est, quoniam actorum evidentia convictus tantum narrat *anno* XXVII. *Justiniani Imperatoris quintam Synodum indictam*, nulla facta mentione Vigilii. Et hactenus de indictione & convocatione quinti Concilii.

Secundo ex iis quæ commemoravimus claret Patres quintæ Synodi minime duxisse, Papam esse infallibilem monarcham Ecclesiæ,

cum

cum ei aperte dicant, quamquam seorsim & sigillatim de tribus Capitulis statuat, ut alias jam fecerat; attamen necessum esse Partibus synodice sententiam suam dicere, ut Imperatori & populo Christiano fieret satis.

Tertio innotescit quantum Patres laborarint ut persuaderent Vigilio quatenus adesset & præesset Synodo & communi omnium sententia de tribus Capitulis definiretur.

Quarto, neque Vigilium neque Patres quintæ Synodi censuisse à solo Papa auctoritatem celebrandorum Conciliorum generalium pendere: cum absque Vigilio quintam Synodum celebrarint, eumque graviter culpent quod præesse noluisset: & constet Vigilium nihil obtendisse in contrarium, neque dixisse Synodum se invito aut non consentiente haberi posse: satis enim est si Papæ consensus per indictionem petatur: ut ex historia superiorum Conciliorum innotescit: falsumque est quod Binius post suum Baronium causatur, Vigilium contradixisse, nisi forsan contradicere, nolle præsidere Synodo, appellet.

Quinto, ex conclusione Concilii discimus, veritatem non posse accuratius disquiri, aut reperiri quam in Synodo, idque propter Sympathiam communionis Sanctorum: ibi enim singula Ecclesiæ membra sibi invicem auxiliantur & communem Ecclesiæ spiritum fovent, atque excitant: causa hujus rei est, quod, ut alias docui, Ecclesia communi sua notione

mul-

multorum collectionem & unionem significet: unde ne membra Ecclesiæ torperent, Christus infallibilem facultatem decernendi unitati non uni contulit: atque communionem Sanctorum & charitatem finem totius regiminis Ecclesiæ esse voluit: quæ communio non imperari, sed doceri & suaderi potest. Qua de causa Deus se certo adfuturum pollicetur iis qui in suo nomine convenerint Matthæi 18. Et idcirco S. Cyprianus scribit, unum esse Episcopatum cujus à singulis in solidum pars tenetur: unde Bellarminus lib. 1. de Conciliis & Ecclesia cap. XI. legitur fateri *Synodum parvam aut magnam esse medium ordinarium à Christo relictum ad afflatum & assistentiam Spiritus Sancti promerendam* Ut enim in rebus controversis *Dominus Iudæos locum, quem elegerat, adire jubet. Deuteron.* 17. Ita Christus in Euangelio Synodum haberi vult, estque locus quem elegit. Quocirca ubi Synodus necessaria est, qui eam defugiunt aut impediunt, una etiam Sanctorum communionem, quantum illis est, labefactant, & communem Ecclesiæ spiritum opprimunt. Proculdubio *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: Ecclesia vero teste Bellarmino ubi supra, non censetur in definiendis controversiis facere quod in se est, nisi diligentiam ad id necessariam adhibeat: id est, nisi Synodos eo ritu & consuetudine celebret quo Apostoli & Patres Ecclesiæ primitivæ celebrarunt. Cæterum

rum Patres antiqui, ut monimenta diligentiæ necessariæ à se servatæ in Synodis ad posteros propagarent; consueverant Actis Conciliorum inserere viam & rationem procedendi à se servatam: ita ut primum constaret, omnes Metropolitas literis Imperatorum convocatos ad Concilium: Et quoniam ejusmodi literæ Imperatorum super indictione Synodi summam ordinis tenendi præscribebant, eam ob causam in exordio Concilii ut præfulgerent ordini servando legebantur; sicut videmus in Concilio Tridentino bullas Pontificis præmissas singulis sessionibus. Secundo, in ipso Concilii meditullio, sacra Euangelia proponebantur sub pulpito, ut Patres monerentur omnia ad libram Euangelii esse examinanda: quam etiam ob causam, in fronte Synodi omnes auctoritates scripturæ, quas ad rem definiendam conducere arbitrabantur, exhibebant. Tertio, sequebantur Decreta & Canones Conciliorum. Quarto, Patrum Sanctorum testimonia subnectebantur, ut supra in historia Synodi primæ Ephesinæ probatum est. Quinto, omnia capita controversiæ excitatæ & rationes quibus niterentur, sigillatim proponebantur & examinabantur. Sexto, omnes Patres non modo liberam habebant sententiæ dictionem, verum etiam illis plane liberum erat proponere & referre ad Synodum quicquid liberet. Septimo, omnium Episcoporum vota & subscriptiones super re pro-

proposita quasi in aciem explicabantur. Quæ omnia octo primis generalibus Conciliis, quorum sex posteriorum Acta integra habemus, servata fuisse exploratissimum est.

IV. Hæc autem qui considerare examinarit facile argumento Melchioris Cani Dominicani libro v. cap. 5. de locis, circa medium, satisdabit. Nam de summi Pontificis infallibilitate disputans, quærit. *An summus Pontifex & Concilia nisi diligentiam adhibeant errare possint? Cum nobis non constet*, inquit, *an summus Pontifex, Patresque Concilii præstiterint se diligentes & industrios ut via & ratione procederet inquisitio, ne constabit quidem an erraverint. Ita quæcumque definierint erunt incerta*, &c. *Hic vero scrupulus ita Sylvestri animo resedit, ut vix eum inde pellere potuerit: meliusque fuisset occulere quam stimulare cæteros quo ipse scrupulo pungebatur. Ac sunt etiam qui non obscure dicant quod si quando Romanus Pontifex in definitione fidei erraverit, inde evenire potuit, quod non tantam quantam debebat diligentiam adhibuit antequam sententiam proferret: quoniam vel rem non plene examinavit, vel non eos quos oportebat consuluit. Quibus si objicias Apostolicam Sedem errare in fide non posse: fatentur id quidem, sed ajunt Sedis Apostolicæ nomen non solum summum Pontificem significare, sed ipsum, ut facit ea quæ ad cathedram spectant: hoc est quatenus non ex suo sed ex consilio bonorum virorum & doctorum procedit. Ita Sedis Apostolicæ judicia intelligi, non quæ occulte, malitiose, incon-*

sulte per solum Romanum Episcopum, aut etiam cum paucis sibi faventibus proferuntur: sed quæ ab eo ex consilio plurimorum virorum sapientum plene prius re examinata prodeunt. Quæ res, ut de Conciliis quoque dicatur, subsunt omnino causæ eædem quas dixi paulo ante. Non enim exstimare debemus summum solum Pontificem, cum dormierit, errare, cum non dormierit verum dicere: Patres autem Concilii, sive dormiant sive vigilent, semper recta ingredi, & clausis quod ajunt oculis vel in tenebris obscura cernere. Commune est, crede mihi, omnibus judicibus Ecclesiæ, si decreta ediderint temeritate quadam sive judicio repentino quasi vento incitati nihil omnino conficiant quod solidum, quod grave, quod certum habeatur. En objectio quam Canus excitat, neque profecto aculeum quem Sylvester in hominum animos injecit, evellit: sed ubi multa atque inutilia effudit, frustra & incassum concludit, *se nunquam admissurum, aut Pontificem aut Concilium diligentiam aliquam necessariam quæstionibus fidei decernendis omisisse: cum tamen ipse fateatur aliquos Pontifices & inter alios Honorium errasse in fide:* sicque difficultatem non solvit, sed potius involvit atque incrustat, ut sæpe alias solet. Magister Andreas Vallius libro de Suprema potestate Papæ, parte 11 quæst. 5. post medium, disputans *quo modo dignosci possit Papam agere ut Papam, hoc est definire ex cathedra*, ait, *illum ea debere consulere, quibus fides pura & integra conservatur: cujusmodi sunt scriptura sacra, traditiones, Conciliorum defini-*

finitiones, decreta prædecessorum, unanimis Patrum & Doctorum consensus: denique consensus omnium fidelium, non tantum eorum qui vivunt, sed etiam qui jam è vivis excesserunt: quia in his tanquam in obsignatis quibusdam tabulis, fides conservatur, nutritur & corroboratnr. Quâ ſententiâ nullam in toto libro Vallii illuſtriorem & veriorem occurrere arbitror: utque compleatur, prudentiam, diligentiam, ſtudium, & judicium accuratiſſimum deſiderat: quæ omnia in ſynodis nomine Chriſti congregatis duntaxat concurrere & reperiri poſſunt. Ubi omnia libere abſque cujuſquam gratia aut odio peraguntur: à quibus humanis infirmitatibus plane impoſſibile eſt conſiliarios Papæ adſcititios, captatos & prenſatos, vacuos eſſe: cum ad ſolius Papæ nutum reſpondere cogantur. Hercle, praxis Eccleſiæ demonſtrat, Epiſcopos tantum ex Cathedra definire, quando una cum Epiſcopis & Presbyteris Chriſti cathedræ & ſacerdotii conſortibus, de rebus controverſis ſynodice ſtatuunt. Cardinalis Alliacenus cap. ult. de Eccleſiæ auctoritate, verſus medium, ſcribit, *ſolius univerſalis Eccleſiæ privilegium eſſe quod non poſſit errare in fide: hoc tamen pie credi de Concilio generali, videlicet quando innititur divinæ ſcripturæ vel auctoritati, quæ à Spiritu Sancto inſpirata, alias ſæpe erraſſe legitur,* inquit. Cui difficultati ut fiat ſatis, uno verbo reſpondendum cenſeo, hîc moralem & probabilem conjecturam, qualem rebus agendis

ſapientes impendere conſueverunt, ſufficere: atque ubi conſtat, liberum fuiſſe Concilium (libertas enim ſuffragii cauſa eſt eſſentialis in Synodorum celebratione) & Patres diligentiam adhibuiſſe neceſſariam, ut paulo ante ex octo generalibus Conciliis oſtendimus, plane acquieſcendum eſſe: neque contra ſententiam Concilii eſſe aliquid dicendum, niſi forte aperte conſtaret aliquid contra fidem eſſe patratum: legendus Gerſonius de examine doctrinarum parte I conſideratione V & axioma XXIII Apologiæ.

V. Auctor Præfationum hiſtoricarum Conciliorum Romæ editorum valde anhelat, ut Vigilium excuſet, eo quod cum aliis Patribus in Synodo quinta conſidere & præſidere detrectarit. *Vigilius*, inquit, *ut Synodo intereſſet etiam atque etiam rogatus eſt, primum quidem à tribus Patriarchis & ſeptendecim Epiſcopis id nomine totius Concilii ſuppliciter orantibus, deinde à tribus Patriciis ab Imperatore miſſis, nullis tamen precibus adduci potuit, ut à majorum ſuorum qui generalibus Synodis abſtinuerant, conſuetudine recederet: eo præſertim quod ex Apoſtolicæ Sedis dignitate non videbatur eſſe inter externos fere Epiſcopos conſidere: paucos enim ſecum duxerat ex Italia: quippe qui non ad Synodum ſed ad Imperatorem profectus fuerat. Prolixe tamen ſuam voluntatem & aſſenſum pollicitus eſt rebus omnibus quæ ſacro approbante Concilio legitime definitæ forent.* Hæc ille, cujus rationes ad tria Capita revo-

revocare possumus: Primum, quod non videretur ex Sedis Apostolicæ dignitate inter externos Episcopos considere, & paucos secum ex Italia Episcopos Vigilius duxisset. Secundum, quod esset contra majorum consuetudinem, Papam Synodis interesse: in cujus rei argumentum idem auctor ad oram præfationis quintæ Synodi laudat epistolam XIII & XLV Leonis Magni, quarum prior est ad Pulcheriam Augustam, posterior ad Theodosium Cæsarem. Tertium caput est, quod Vigilius sit pollicitus assensum suum rebus quæ à Concilio legitime definirentur.

Quod ad primum argumento ad hominem convincit, Vigilium non se existimasse monarcham Ecclesiæ universalis: multoque minus talem habitum ab aliis Episcopis. Ut enim Regi Galliæ præsertim in altissima pace & concordia omnium civium nullus Franciæ angulus externus aut peregrinus est, ita & monarchæ universalis Ecclesiæ, nulla diœcesis aut parœcia, nulli Episcopi peregrini sunt aut externi. Nam in Ecclesia Dei non est Gentilis & Judæus, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus cap. 3. ad Colossens. *qui dissolvit medium parietem maceriæ*, &c. Proculdubio Patres Synodi cum profecti sunt ad Vigilium ei ante omnia protestantur: *se per omnia & in omnibus tenere definitionem quatuor primorum Conciliorum generalium, atque ejusdem esse sententiæ & communionis cum*

illo, nec quicquam debere sinistri suspicari aut metuere: Deinde ut ostenderent, se ejus dignitatem & primatum comiter velle tueri, illum impense rogarunt, *ut Synodo præsidere dignaretur sub tranquillitate & mansuetudine sacerdotali, propositis in medio conventu de more sacrosanctis Euangeliis*. Heu, quid est Sedis Apostolicæ dignitatem, si hoc non est, servare! doceant adversarii. At si quæ ratio debuit Vigilium impedire quo minus adesset Synodo, hæc fuit, quod Canones vetent Episcopos absque Metropolitano suo, & Metropolitanos inconsultis Episcopis suffraganeis aliquid magni momenti agere. Quocirca non poterat Vigilius inconsultis Episcopis Occidentalibus interesse Synodo, quin accessionem præberet schismati: ratio est, quia Ecclesiæ Canone, non absoluta potestate, reguntur. Quam rationem Vigilius subticuit.

Secundæ rationi quæ B. Leonis epistolis roboratur, oppono, Leonem justam habuisse causam non proficiscendi ad Concilium Ephesinum: testimonium prioris epistolæ ejusmodi est: *Nam illud quod pietas Imperatoris etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri: quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tantæ urbis populis me abesse non sineret: & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ ecclesiasticæ viderer patriam & Sedem Aposto-*

Apostolicam velle deserere. Item epistola ad Theodosium XVII juxta Collectionem Binii: nam auctor Præfationum male citat XLV. *Unde quamvis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, quin nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem*, &c. *Tamen in quantum Dominus juvare dignetur, meum studium commodavi, ut Clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur*, &c. Hercle quidem tametsi Leo Magnus nullas alias causas excusandi se habuisset cum ad Synodum Ephesinam non pergeret quam longinquitatem itineris, id aliquo pacto erat dignum excusatione, cum tam longe quam Roma ab Epheso abesset: Vigilius autem tum erat Constantinopoli cum habebatur secundum Concilium Constantinopolitanum, ac proinde nulla est dignus excusatione. Hic obiter notarim, omnes qui aliqua historiæ Ecclesiasticæ cognitione tincti sunt, apprime nosse, plerisque Romanis Pontificibus hoc solenne fuisse, ut Synodos generales refugerent, nisi Romæ, aut ubi plenum haberent imperium, celebrarentur: & hinc illæ piorum hominum lacrymæ, ob Ecclesiæ reformationem in capite & in membris dicamne his moribus corruptissimis desperatam! Nicephorus lib. XVII. cap. 27. historiæ Ecclesiasticæ memorat, Vigilium secundæ Synodo Constantinopolitanæ noluisse præsidere, eo quod Euty-

chium Patriarcham Constantinopolitanum cum aliis Patriarchis & Episcopis missum fuisse nomine Synodi & Imperatoris ad Vigilium tanquam caput & primum Patriarcham Synodi: atque Vigilium eidem Eutychio respondisse & scripsisse hoc eodem nomine, id est, tanquam capiti Concilii. Nam inscriptio epistolæ Vigilii ad Eutychium sic est concepta: *Dilectissimo fratri Eutychio, & Episcopis sub te constitutis:* qui Episcopi sedebant in Synodo sub Eutychio: ibique tres erant Patriarchæ, nimirum Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, & Dominus Antiochenus, qui omnes Eutychium tanquam Patriarcham secundæ Sedis post Romanum habebant; & ita claret falsum esse quod Baronius, Bellarminus & alii Curiales scriptuniunt, Canonem de Sedis Constantinopolitanæ privilegio non obtinuisse, nisi trecentis annis post Synodum Chalcedonensem. Hercle auctor Præfationum historicarum diserte narrat, *tres Patriarchas & septemdecim Episcopos nomine totius Concilii missos ad Vigilium, quorum Eutychius erat primus, & nomine Synodi loquebatur Vigilio.*

Ad tertium quod Vigilius assensum suum pollicitus sit rebus quæ à Concilio definirentur, id non claret ex Actis aut responsione Vigilii narrantis duntaxat se alias damnasse tria Capitula, & scripto declaraturum quid sentiat. Hercle finita Synodo tandem ejusdem

Sy-

Synodi ſententiæ acceſſit privatim damnando tria Capitula : idemque etiam fecit Pelagius Papa. Curiales Romani id vocant Synodum confirmare : quaſi totum robur ei ex aſſenſu & comprobatione Pontificis Romani accederet, quod ſupra eſt à me non ſemel confutatum. Non hic eſt mandandum oblivioni, plurimos Epiſcopos, Occidentis præſertim, noluiſſe quintamSynodum recipere, quia exiſtimarent eam derogare definitioni Synodi Chalcedonenſis eo ipſo quod tria damnaret Capitula : cujus rei cauſa erat Vigilius qui Synodo quintæ præeſſe noluerat, neque Epiſcopos ſui Patriarchatus rerum geſtarum in quinta Synodo ſatis capaces reddiderat.Quare neceſſe fuit B. Gregorio hunc ſcrupulum ex EpiſcoporumOccidentalium animis evellere, & pro quinta Synodo ſcribere libro II epiſtola 10. lib. III epiſtola 1.2.3.4.37 & 49. Item lib. V epiſtola 2. & lib. VII indictione 2. epiſtola 53.

VI. Cæterum quando in epiſtola Juſtiniani Imperatoris & alias in Actis V Synodi *fit mentio Primatus Eccleſiæ Arelatenſis, quam primatem Eccleſiarum Galliæ vocat Juſtinianus* : de hac re amplius dicendum eſt. Hercle, quando & unde hic Galliarum primatus originem duxerit me legiſſe non memini : proclive autem eſt augurari, ſicut alias Metropoles &Sedes Patriarchales (primatum Petri tanquam jure divino conſtitutum excipio) ex antiqua

&

& insensibili consuetudine ortum habuisse, de qua consuetudine vide quæ supra cap. 2. in explicatione Canonis VI Nicæni observavimus. Optatus Milevitanus lib. 1. historiæ, & Augustinus epistola 162 ad Eleusium & Felicem Grammaticum narrant, cum Donatistæ petiissent à Constantino Imperatore controversias suas ab Episcopis Galliæ dirimi, Optimum Imperatorem hujus rei curam Arelatensi Episcopo demandasse: unde conjicio, jam tum temporis hunc primatum Arelatensem invaluisse: certe Ausonius *Arelatem Gallulam Romam*, & Hincmarus Rhemensis cap. 17 epistolæ ad Joannem VIII PP. *Constantinam* vocat, quia, ut ait Ortelius post Scaligerum, *Constantinus sic eam tanquam urbem Galliarum principem appellari voluit*: unde nihil mirum est ibidem Galliarum primatum defixum esse. At vero, cum Leonis Magni temporibus Hilarius Arelatensis Episcopus terminos à Patribus positos violasset, idem Leo auctor fuit Valentiniano Imperatori, non modo ut Hilarium cogeret in ordinem; verum etiam ut primatum Arelatensem funditus dirueret: consule Theodosianum Codicem libro Novellarum Titulo XXIV de Episcoporum ordinatione, cum epistola Leonis ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, quæ est 91. Collectionis Binii: qua in epistola Leo primatum hunc partiri conatur inter alios provinciæ Viennensis Episcopos: hoc posito fun-

fundamento ſæpe alias explauſo, ſcilicet, *Chriſtum à B. Petro quaſi à quodam capite juriſdictionem in totum Eccleſiæ corpus diffundi voluiſſe*: quod ſonat B. Petrum fuiſſe abſolutum Eccleſiæ monarcham : quæ opiniones natæ & adultæ ſunt Romæ, non Hieroſolymis, unde Euangelium ad nos dimanavit. Verum tamen contra Valentiniani edictum & conatus B. Leonis Arelatenſes Epiſcopos in ſuo primatu jugiter continuaſſe docent & Juſtiniani Imperatoris literæ, & S. Gregorii epiſtolæ : & primum quidem epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum reſponſione nona, cujus habes particulam 25. *quæſt.* 2. *Can. in Galliarum*. Item lib. IV epiſtola 51 & 52. ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, cui quidem lib. V. epiſtol. 53 & 55. dat facultatem colligendi *Patrimonium S. Petri in Galliis*, *tanquam legato Sedis Apoſtolicæ*. Quod patrimonium erant Collectæ pecuniarum quas pietatis cauſa Chriſtiani ſponte & ex pura devotione erogabant partim alendis pauperibus qui Romam undequaque confluebant, partim aliis uſibus piis: Ipſe Gregorius epiſtola 10. libri V. vocat *Solidos quoſdam*. Hoc autem patrimonium, ut nominatur à B. Gregorio, initium habuiſſe videtur à collectis quæ fiebant in Sanctos, ut mitterentur Hieroſolymam, 1 *Corinthior.* 16. Quam ſpontaneam & piam erogationem Gregorius VII transformare voluit in onus, tanquam aliquod jus Sedi Apoſtolicæ debitum.

Se-

Sequidem lib. VIII epistola ult. memorat *in Archivo Ecclesiæ S. Petri tabulas asservari, quibus Carolus Magnus jussit tribus in locis, puta, Aquisgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium annuatim colligi mille ducentas libras ad servitium Sedis Apostolicæ; excepto quod unusquisque propria devotione offerebat.* Quocirca Gregorius VII, sicut nunquam fuit negligens ampliandæ suæ potestatis, ita legatis suis imperat quos in Gallias mittit: *dicerent omnibus Gallis & per veram obedientiam præciperent, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvant B. Petro, si eum recognoscant Patrem & Pastorem suum more antiquo*: hæc ille. Sed quotusquisque non videt longe aliud esse Collectas ex mera devotione, vel regis mandato facere; & easdem tanquam jus aliquod debitum à Papa imperari, sicut his verbis eas Gregorius VII imperat: *Per veram obedientiam præcipiant*, &c.

Ad calcem actorum Synodi quintæ in editione Romana legitur edictum Justiniani continens ejus confessionem adversus tria Capitula, & errores Origenis: quod factum fuisse puto ante quintam Synodum postquam singulos Episcopos literis suis consuluit, quid de istis Capitulis sentirent, ut recte Binius notat ex Baronii collectaneis: ratio est, quia ibi nulla fit plane mentio quintæ Synodi: non dubito tamen post quintam Synodum Justinianum de ea in rem judicatam mittenda legem

gem sciviſſe, ut in aliis Conciliis solitum fuerat, idque Liberatus docet cap. ultimo Breviarii. In illo autem edicto quo Justinianus confeſſionem suæ fidei edit, inter alia plurima notatu digna hæc occurrunt: *scilicet, hæreticos, ut simpliciores decipiant, vocibus quidem uti quæ ab orthodoxis pie dicuntur, rectum autem earum intellectum & expositionem ad suam impietatem transferre, quoniam eædem voces, quando bene exponuntur & intelliguntur cum pietate sunt: quando autem male ab hæreticis intelliguntur & proferuntur, impietatem habent.* Hæc ibi: unde S. Hieronymus merito pertimescebat ne quid veneni lateret sub voce trium Hypostasium, epistola ad Damasum. Deinde aliquanto post eodem edicto Justiniani versus finem: *Oportet autem etiam illud attendere eos qui veritatem perscrutantur, quod forsitan in Conciliis quædam à certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: Nemo autem attendit ea quæ per partem à quibusdam dicuntur: sed sola illa quæ ab omnibus communi consensu definiuntur: Si enim aliquis voluerit attendere ejusmodi contraritates unaquæque Synodus invenietur semetipsam destruens.* Hæc Justinianus recte quidem ad veritatem orthodoxam: qua edocemur, facultatem infallibilem decernendi unitati non uni datam à Deo, *Matthæi* 18. & in Synodis videndum quidnam communione sanctorum statutum fuerit, non quid à singularibus deliberetur.

VIII.

assensum præbeant. Sed ut de Primatu ante dicamus, si Epistola Justiniani ad Joannem II vera est, hæc declaratio spectat ad limitationem atque exercitium extensionis primatus, sicut & quæ de Phoca Imperatore narrantur: ita ut sensus sit, ejusmodi constitutionibus Justinianum & Phocam voluisse tollere controversiam quæ tum Episcopos Constantinopolitanos cum Romanis Pontificibus committebat. Hocque ad declarationem non ad novi Juris institutionem spectat: quia, ut tam frequenter disputavimus, Primatus, quo ad essentiam, juris est divini: extensio vero administrationis, atque exercitii juris humani ab Ecclesia limitandi. Quod autem aliqui de veritate Epistolæ Justiniani dubitant, hoc inter Catholicos nihil derogat primatui, quem ut jure divino constitutum merito propugnamus. Causæ vero dubitandi de ejusmodi Epistola sunt: quod stilus & ratio scribendi Justiniani tam demissa, humilis hiulca, & plane differens sit à cæteris scriptis, legibus, atque edictis illius, quam stilus pueri ab oratione polita & nervosa viri docti, & judicio præditi. Præterea, ut hic omittam contentiones S. Gregorii cum Episcopis Constantinopolitanis de Titulo Episcopi universalis, idque post Justiniani edictum: Platina scribit, *Bonifacium* III. *Gregorii successorem magna contentione à Phoca obtinuisse ut Sedes B. Petri Apostoli, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, ita & diceretur & habe-*

retur ab omnibus : quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vindicare conabatur , &c. Verum si Justinianus id jam statuerat, ut *L. Inter claras* edicitur: quid tanta opus fuisset Bonifacio uti contentione ad impetrandum à Phoca quod jamjam erat à Justiniano constitutum : cujus sanctio saltem præibat Phocæ, qui tamen nullam ejus rei facit mentionem in suo Edicto. Non me latet doctissimum Cujacium l. XII. Observationum cap. 26. demonstrare, illam Justiniani epistolam esse genuinam atque Legem *Inter claras* verbum de verbo conceptam esse in Basilicis juris Orientalis. Sed contra excipi potest, memoratam legem *Inter claras* iam facile potuisse in Basilicas obrepere quam falsam donationem Constantini in Nomocanonem Photii & Balsamonis, ut observavimus lib. v. defensionis libelli de Ecclesiastica & Politica potestate.

IX. De alia difficultate, utrum Imperatores statim atque essent ad Imperium assumpti suæ fidei professionem Romam mitterent & undenam occasio id asserendi nata fuerit, explorandnm est. Certe Gelasius Papa, epistola 11 ad Laurentium Episcopum, nominatim scribit, *morem esse Romanæ Ecclesiæ, sacerdote noviter constituto formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prærogare : aitque hæc eadem compendiosa brevitate studuisse renovare, ut, sub qua fide vivendum sit, lector agnoscat.* Quæ consuetudo Pontificum Romanorum, & aliorum Episcoporum ut fidei

dei

dei suæ rationem ederent, statim atque essent ad Cathedram evecti, orta videtur postquam in toto præsertim Oriente tanti tumultus & conturbationes adversus Synodum Chalcedonensem factæ sunt. Quare Childebertus Franciæ Rex quamprimum Pelagius I. Vigilii successor ad B. Petri Cathedram cooptatus est, ab illo petit, *utrum teneat per omnia, B. Leonis Magni PP. tomum*, id est, definitionem Synodi Chalcedonensis, quæ complectebatur fidem Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam. Hic adscribam verba Pelagii, ex ejusdem epistola 16. relata in corpus Canonicum xxv. quæst. 1. Can. Satagendum: *Domino filio gloriosissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi*, &c. *Non est voluntas Patris vestri qui in cælis est, ut unus saltem pereat de pusillis*, &c. *Cum igitur etiam de pusillis ista forma præcepti sit: quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus: quibus nos etiam subditos esse Sanctæ Scripturæ præcipiunt. Veniens enim Ruffinus vir magnificus legatus Excellentiæ vestræ confidenter à nobis, ut decuit, postulavit quatenus vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum à nobis per omnia conservari significare debuissemus, aut propriis verbis nostræ confessionem fidei destinare. Et primam quidem petitionis ejus partem, quia facilior fuit, mox, ut dixit, implevimus: neque in omnibus prædicti præsulis tomum pro catholicæ fidei assertione conscriptum Deo propitio custodire manus nostræ*

ad vos professione signavimus. Ut autem deinceps *nullius, quod absit, suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem, quam memoratus Vir illustris Rufinus admonuit, facere maturavi: scilicet propriis verbis confessionem fidei, quam tenemus, exponens. Definitiones quoque de eadem catholica fide quæ in quatuor sanctis Conciliis statuta sunt, sed & memoratis Pontificis quas universalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos sancto Dei auxilio tenere atque defendere præsenti ad Excellentiam vestram colloquio intimandum necessario judicavi. Credo igitur in unum Dominum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Patrem scilicet omnipotentem,* &c. Ubi autem Pelagius suam fidem professus est, tandem ita concludit. *Hæc est igitur fides mea, & spes quæ in me dono misericordiæ Dei est, pro qua maxime paratos esse debere B. Petrus Apostolus præcipit ad respondendum omni poscenti nos rationem. Nunc convenit Excellentiam vestram pro fervere ejusdem fidei, quam vos in corde habere gaudemus, peculiarem curam per universas Galliæ vestræ regiones impendere, ne illic scandala seminantes, sicut in partibus istis facere conabantur frontis suæ procacitate impellente discurrant, & aliquos fratres & Episcopos nostros vel creditas eis plebes ad dissensiones exagitent,* &c. Item Pelagius II epistola v. ad Eliam & Episcopos Istriæ, cum pro tribus Capitulis damnatis in quinta Synodo pugnarent, eis pariter summam fidei suæ mittit. *Sed quia inimicus humani generis usque in finem seculi non quiescit, in Domini Ecclesiam bono semini*

super-

superseminare zizania : Ideoque ne forte quisquam maligno studio aliqua de fidei nostræ integritate diaboli instigatione fingere præsumpserit, & argumentari & ex hoc vestri fortasse videantur animi perturbari : necessarium judicavimus per præsentem epistolam nostram, & ad viscera vos matris Ecclesiæ ut reverti debeatis cum lacrymis exhortari, & de fidei nostræ integritate vobis satisfactionem nostram mittere : quatenus nulla possit in cordibus vestris de nobis manere suspicio: ut in divini tremendique judicii die de taciturnitate mea reus inveniri non possim, &c. Postea profitetur se tenere fidem quatuor Conciliorum generalium & epistolam B. Leonis ad Flavianum *quæ Tomus appellatur*, inquit, &c.

X. Porro ex hac consuetudine tandem obtinuit mos ut ad fidei & Ecclesiæ unitatem retinendam, singuli Patriarchæ quamprimum essent ordinati sibi invicem Synodicas epistolas mitterent : quibus summam fidei suæ exponerent. B. Gregorius lib. 1 epistola 24. ad quatuor Patriarchas sub finem : *Præterea quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancte Euangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicænum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense. Et cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror*, &c. *Cunctas vero quas præfata vene-*

randa Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, Anathema sit. Vide *Dist.* 15 *Can. Sicut sancti Euangelii.* Deinde epistola 25. ejusdem libri I. ad Anastasium Patriarcham Antiochenum: *Præterea sicut Patriarchis aliis vel fratribus, ita & Synodicam vobis epistolam direxi*, &c. Item epistola 53 libri VII indictione II; *Hinc etiam est quod, quoties in quatuor præcipuis Sedibus Antistites ordinantur: synodales sibi epistolas vicissim mittant in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur*, &c.

Ut autem causam hujus professionis fidei factæ ab Patriarchis & aliis Episcopis, indagemus, primo sciendum, ut jam docui, in historia Chalcedonensis Concilii sub finem: post conturbationes & seditiones Ægyptiorum atque Orientalium adversus Synodum Chalcedonensem, omnes orbis Christiani Episcopos rescripsisse ad Leonem Imperatorem pro Chalcedonensis Concilii vindiciis: & Leonem ac cæteros Imperatores, qui fidem orthodoxam amplectebantur, edicta sua promulgasse in eam rem, eaque omnibus Patriarchis atque judicibus suis misisse quatenus exequutioni mandarentur: contra autem Imperatores qui Chalcedonensi Concilio erant infesti, consuevisse pariter edicta contraria facere

facere adverſus Chalcedonenſem Synodum: idque eſt quod Symmachus PP. in apologia adverſus Anaſtaſium Imperatorem epiſtola VII ſub finem reprehendit in Anaſtaſio Imperatore, quippe qui Synodo Chalcedonenſi adverſaretur. Quod autem ſcribit, *omnes Catholicos Principes ſive cum Imperii gubernacula ſuſceperunt, ſive cum Apoſtolicæ Sedi novos agnoverunt præſules inſtitutos, ad eam ſua protinus ſcripta miſiſſe, ut ſe docerent ejus eſſe conſortes: & qui hoc non fecerunt ab eadem ſe profiteri alinos*, &c. id quidem quonam ſenſu capi debeat, clariſſime demonſtrant literæ Pelagii I. ad Childebertum Franciæ Regem: atque Symmachum hic fimbrias ſuas ampliare: ſicut & alios qui augendæ poteſtatis Papæ ſtudio Juſtinianum miſiſſe ad Agapetum ſuæ fidei confeſſionem prædicant: hæc enim omnia cum primitus per charitatem, atque unionis retinendæ cauſa fierent, ut ſciretur etiam cujuſnam fidei & communionis eſſet Romanus Epiſcopus, eique ſecure communicaretur: tum demum illa Romani Pontifices, ſicut & quamplurima alia, ad poteſtatem ſuam altius defigendam uſurparent: adeo ut obedientia quam illis ſtatim poſt ſuam cooptationem ad Pontificatum hodie Chriſtiani Principes exhibent, hinc primum nata, & pedetentim aucta credatur: unde maximo veritatis privilegio, & ſingulari bono Principum Chriſtianorum, epiſtola memorata Pelagii ad

 Fran-

Franciæ Regem edita in lucem videtur: qua quidem Pelagius asserit, *se pro auferendo suspicionis scandalo, obsequium confessionis suæ Regibus ministrare; quibus nos etiam subditos esse sanctæ scripturæ præcipiunt*, inquit. Quæ scribendi forma demonstrat illum vere fuisse humilem spiritu, sicut & S. Gregorium: qui quidem similiter professionem suæ fidei ingenue mittit ad alios Patriarchas: fateturque se ab illis vicissim accipere, quod sanctorum communionem indicat, atque dominatum ab Ecclesia excludit. Observet historiæ ecclesiasticæ studiosus quæ primitus charitative fiebant in Ecclesia, tandem in potentatum & fastum mundanum degenerasse ambitiosorum hominum vitio: & Curiam Romanam nullam occasionem prætermisisse dominatum, quo hodie utitur fruitur, aucupandi, etiam via facti & dolo malo, suppositis in eum finem multis scriptis adulterinis, ut propriis locis demonstravimus.

XI. At vero, non est huic capiti clausula externa addenda priusquam Justinianum Principem à Vallii convitiis propugnaverimus. Qui tertia parte libri de Suprema potestate Papæ quæst. II. versus finem in piissimum Principem invehitur, eo quod leges pro disciplina Ecclesiastica tanquam communis Episcopus exteriorum negotiorum sciverit: *nam*, ait, *illum in fœdissimam hæresim Eutychianorum prolapsum, & multarum calamitatum per totum Impe-*

Imperium causam fuisse, &c. Quem succum loliginis & maledicentiæ desumpsit ex Baronio, unde tamen poterat, si voluisset, medicinam contra ejusmodi convitia haurire Justiniano. Quoniam ubi Baronius multa in illum ex Euagrii historia lib. IV. capite 38. intemperanter scripturivit, tandem stilum invertit & mitigat Tomo VII ad annum Domini 565. aitque Justinianum in extremo spiritu pœnituisse, eamque ob rem laudari à S. Gregorio & Agathone PP. in sexta Synodo. Certe B. Gregorius illum passim piæ memoriæ Imperatorem nuncupat, lib. II. epistola 10. & lib. III. epistola 4. in sexta autem Synodo Actione IV. ubi refertur suggestio Synodi Romanæ cui Agatho præfuit, Justinianus Constantino Magno, utrique Theodosio & Martiano his conceptis verbis præponitur: *Et sicut extremi quidem præstantissimi, tamen omnium magni illius Iustiniani, cujus & virtus ita & pietas omnia in meliorem ordinem restauravit.* Verum quis credat S. Gregorium Agathonem & Patres Synodi Romanæ, qui Justiani seculo vixerunt, in tantum errorem impegisse, ut in ea Synodo qua Monotheletas, hoc est reliquias Eutychianæ hæresis damnabant, ipsum Justinianum fautorem ejusdem erroris omnibus aliis Principibus Christianis anteferrent: si modo Justinianus talis fuit qualem eum primus omnium depinxit Euagrius, deinde post Euagrium Nicephorus: qui tamen perhibet Justinia-

num in extrema vitæ clausula de hoc errore pœnituisse.

XII. Hercle vel adversariorum judicio synodale testimonium Agathonis, & Patrum Synodi Romanæ, unius Euagrii narrationi jure anteferri debet: cum Sanctissimi Patres sextæ Synodi eodem quo Justiniani seculo vixerint: scitumque est quosdam Historicos non ex rei veritate sed plerumque ex vulgi rumoribus sæpissime narrationes de principibus texere. Dum autem hoc synodale testimonium indubitatum cum Euagrii narratione comparo, mihi aliquando venit in mentem, multa eorum quæ Euagrius de Justiniano refert conficta ab iis, qui tria Capitula, quæ Justinianus damnari curaverat, propugnabant: in quos propugnatores Justinianus teste Liberato severissime animadvertebat: hincque causa odii in illum: partim etiam quia permulti putabant Justinianum aliquid adversus Synodum Chalcedonensem, quæ Eutychem damnaverat, molitum fuisse: eamque ob causam quintam Synodum, quam Justinianus in rem judicatam mittebat, nolebant recipere, ut supra ex B. Gregorio docui. Adjungo insuper rationem, ob quam Vallius simia Baronii, Justinianum ita insectatur, esse, quia vindex acerrimus disciplinæ Ecclesiasticæ extitit: hoc enim graviter dolet Baronio: & tamen S. Gregorius & Synodus Romana hac ipsa de causa Principem optimum tanti faciunt,

ciunt, ut illum omnibus aliis Principibus anteponant. Procul dubio, qui Historiam Ecclesiasticam considerate legerit, compertum habebit post datam pacem Christianæ religioni, nunquam mores Ecclesiasticorum melius & castius habuisse, atque regimini & disciplinæ Ecclesiæ felicius & accuratius consultum quam dum Christiani Principes Constantinus Magnus, uterque Theodosius, Martianus, Justinianus, atque alii singularem curam regendæ disciplinæ Ecclesiasticæ proportionatim cum clericis susceperunt: atque dum Ecclesiastici leges ab Imperatoribus accipere, quam illis, ut fit hodie, dare maluerunt: contra vero sensim omnia cœpisse inclinare, postquam Ecclesiæ regimen & cura disciplinæ soli Ecclesiasticorum & præsertim Curiæ Romanæ arbitrio & dominatui post occasum Imperii & Religionis in Oriente permissa sunt. Cæterum Ecclesiasticos quondam ab Imperatoribus leges accipere quam eis dare maluisse hæc historia, atque inter alia dissidia Episcoporum relata ad Constantinum Magnum, ut ea definiret, clarissime docent.

CAPUT X.

I. *Historia VI Concilii generalis, quod indictum est à Constantino Pogonato adversus Monotheletas: eamque in rem literas misit ad Dominum Papam cui Agatho successit.*

II. *Imperator edicit Romano Pontifici ut mittat de Concilio suo usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos: & de sua privata Ecclesia Romana usque ad tres personas: Idque argumento est Papam considerari ut Patriarcham, & ut pri-*

privatum Episcopum: atque Cæsarem præditum auctoritate imperandi Romano Pontifici.

III. *Epistola Synodalis Mansueti Mediolanensis Episcopi ad Cæsarem, qua suæ Ecclesiæ sententiam declarat de errore Monotheletarum.*

IV. *Constantinum Pogonatum indixisse Synodum eique præsedisse cum suo Senatu, sicut antea Martianus Augustus Synodo Chalcedonensi.*

V. *Suggestio Agathonis Papæ ad Cæsarem Pogonatum, qua ejus Edicto de Indictione Concilii respondet: eumque Dominum appellat, ac se pro obedientiæ debitæ satisfactione rescribere ait.*

VI. *S. Gregorius se servum esse dicit Imperatoris jure reipublicæ.*

VII. *Suggestio Synodi Romanæ ad Cæsarem Pogonatum qua ejus Edicto super Concilii Indictione respondet, eique tanquam Domino suo paret.*

VIII. *Hanc suggestionem cum epistola Agathonis datam legatis Sedis Romanæ pro sufficienti Instructione: quippe quæ sententiam totius Ecclesiæ Occidentalis contineret.*

IX. *Quando Concilium Apostolicæ Sedis Romanæ habet sibi subjacentes Synodos Ecclesiarum Septentrionalium & Occiduarum partium, sequitur necessario Septentrionem atque Occidentem subjacentes esse Patriarchatui Romano.*

X. *Agatho cum aliis Patribus Synodi Romanæ Justiniani Cæsaris pietatem omnibus aliis Imperatoribus anteponunt.*

XI. *Italiæ Episcopos in suis subscriptionibus dicere se gratia Dei Episcopos, nulla facta mentione Papæ aut Sedis Apostolicæ: & de Vallii infantia qui putat veteres Galliæ Episcopos in literis suis scripsisse se gratia Dei & S. S. Apostolicæ Episcopatum obtinuisse.*

XII. *Macarius* Patriarcha *Antiochenus locos* Patrum *corrumpit quibus ad Monotheletismi patrocinium uti vult, hocque proprium esse hæreticorum* Patres *pronunciant.*

XIII. *Actione* XIII Patres *canonice examinant sententiam Agathonis & Synodi Romanæ: quod testimonio est auctoritatem Concilii generalis eminere supra* Papam.

XIV. *Literæ Honorii PP. ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum canonice examinantur, & cum ipso Honorio damnantur Monotheletismi.*

XV. *Ana-*

XV. *Analysis epistolæ Honorii qua manifeste demonstratur Honorium fuisse Monotheletam.*

XVI. *Qua ratione Honorius possit ab errore Monotheletarum excusari, & quam viam pii viri aliqua nascente controversia antequam sufficienter definiatur, tenere debeant, ut se errore minime induant.*

XVII. *Testimonium Maximi monachi pro Honorio ex Vaticana Bibliotheca nuper expromptum dogmatice expenditur.*

XVIII. *Neminem qui audiri velit esse Concilio excludendum: in cujus rei probationem* Patres *Synodi* VI *patiuntur quendam monachum Monotheletam suæ fidei periculum facere in cadaver hominis quem se suscitaturum à mortuis ille monachus jactitabat.*

XIX. *Imperator petit à* P*atribus, utrum communi omnium sententia definitio fidei facta esset: respondentque factam esse: petuntque nominatim ab Imperatore Actorum confirmationem.*

XX. *Quinque exempla Actorum ab omnibus* P*atribus & Imperatore obsignata quinque Sedibus* P*atriarchalibus traduntur, quæ Apostolicæ Sedes vocantur, sicut & Romana.*

XXI. *Imperator suo edicto Acta confirmat, & pœnas temporales clericis in rectam fidem peccantibus irrogat.*

XXII. *Christianam Rempublicam mille atque amplius annorum spatio nunquam pœnas capitales hæreticis imposuisse.*

XXIII. *Utrum Macarius Antiochenus Episcopus Monotheleta missus sit Romam.*

XXIV. *Leo* II *PP. successor Agathonis Synodum* VI *confirmat atque Honorium Monotheletismi nominatim damnat: quod pariter* VII *atque* VIII *Concilio generali confirmatur.*

XXV. *Argumenta Bellarmini, Baronii, Binii, & Vallii pro Honorii defensione expenduntur atque diluuntur.*

I. CIrca annum Domini 681, vel ut alii putant 670, sextum generale Concilium celebratum est Constantinopoli: unde vocatur tertium Constantinopolitanum vel sexta Synodus in Trullo, propterea quod habitum est in basilica sive palatio Imperatoris, quod à for-

ſorma concamerationis tecti qua ædificatum erat, *Trullum* vocabant. *Trulla* autem pelvim aut vas quoddam ſignificat. Porro non ſatis inter auctores convenit de Patrum numero qui in hac Synodo ſederunt: alii 289, alii multo pauciores puta 150 aut 171 numerant. Indictum fuit ad Monotheletas ſive reliquias hæreſis Eutychianæ profligandas. Quandoquidem Monotheletiſmus eſt tanquam appendicula & ſurculus erroris Eutychianorum: qui contendebant, in Chriſto unicam duntaxat, eamque divinam non humanam voluntatem fuiſſe. Ex quo etiam ſequebatur Dominum humanas operationes minime exercuiſſe: & continuo vere hominem non fuiſſe. Quam ob cauſam fides & religio Chriſtiana funditus evertebatur. Conſtantinus Pogonatus nepos Heraclii hanc Synodum indixit atque in ea cum ſuis Magiſtratibus & viris Patriciis præſedit. Hercle ordo ſedendi ac procedendi hujus Concilii omnino conformis eſt ordini ſervato in Chalcedonenſi Synodo: totamque hiſtoriam ex editione Romana Conciliorum reſerabimus ne ab aliquo controverti poſſit: quamquam tamen monitum velim Lectorem, eandem penitus eſſe rationem Collectionis Binii & Surii cum Romana editione: ubique enim XIIX habentur Actiones. In veſtigio Concilii *Divalis ſacra*, id eſt, literæ Imperatoris ad Donum Papam occurrunt: quæ antequam Romam deferri potuiſſent Donus

è vi-

è vivis excesserat: quocirca Agatho Papa successor recepit, sicque inscribuntur:

In nomine Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, Imperator Flavius Constantinus, fidelis, magnus Imperator, Sacra Dono sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ universali Papæ. Data pridie Idus Augusti Constantinopoli Indictione VI. Primo narrat necessitatem habendæ Synodi ex eo natam quod populus orthodoxus propter quasdam novitates vocum in schisma incidisset: & eam ob causam multos Episcopos tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiæ illum invitasse ad Synodum indicendam generalem; nihilominus cum videret tempus id non pati, & futurum quod ex particulari contentione non solum unitas fieri non posset, sed magis malum accresceret, supersedisse: tandemque postquam Theodorus electus est in Episcopum Constantinopolitanum, hunc sibi suggessisse quod suspicaretur futurum, si ex more usitato suam Synodicam epistolam ad Romanum Pontificem dirigeret, ut à Papa repudiaretur, sicut jam factum fuerat sub Patriarchis qui Theodorum præcesserant: eamque ob causam Theodorum Constantinopolitanum Episcopum epistolam adhortatoriam misisse Romam, &c.

Secundo ait, postquam Theodorus illam misit epistolam, se hunc cum Macario Patriarcha Constantinopolitano interrogasse quibusnam de causis Sedis Romana cum sedibus Orien-

rientalibus altercaretur, & utrum aliquod enatum esset dissidium propter quinque sanctas universales Synodos: & qua via & ratione hoc dissidium sedari posset. Illos autem respondisse: quod verba quædam novitatis excogitata essent: aliquibus ex imperitia introducentibus, aliquibus vero incongrue scrutantibus incomprehensibilia opera Dei: & quia ex quo hæc verba moveri cœperunt utrasque Sedes inter se minime convenisse, ut inquirentes sibimet satisfacerent pro veritate, &c.

II. Tertio monet, omnem deponendam contentionem & zelum pravum, omnemque invidiam, ut veritati consulatur: *Deponentibus nobis omnem Zelum & omnem contentionem omnemque invidiam, veritati concurramus: Veritas enim Deo chara est & secundum Domini vocem. Quicunque voluerit omnium primus esse, sit omnium minister. Et in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Postquam igitur tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam Beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram dirigere viros utiles & modestos notitiam habentes totius Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, ejusque Concilii: deferentes & libros qui oportent proferri: & omnem auctoritatem habentes, quatenus convenientes cum hic posito sanctissimo ac beatissimo Patriarcha, & Macario SS. Patriarcha Theopolitanæ Civitatis, per-*

perscrutentur cum omni mansuetudine & modestia, & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus eis qui huc advenerint ex parte Sedis vestræ per præsentem nostram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non est apud nos partis cujuslibet favor, sed æqualitatem utrisque partibus conservabimus: nullatenus necessitatem facientes in quocumque Capitulo eis qui à vobis dirigentur quoquo modo: sed & omni honore cum competenti munificentia & susceptione dignos eos habebimus. Et si quidem utrique convenerint, ecce & bene: sin autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus: de cætero nos excusantes in judicio Dei, imminente nobis juxta quod constituti sumus servare fidem sanctam & immaculatam, quam percepimus, unoquoque proprio sensu abundante, & rationem reddituro ante sanctum & terribile tribunal Dei nostri. Invitare enim & rogare possumus ad omnem commendationem & unitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. Personas vero quæ dirigentur à paterna vestra Beatitudine ita decernat: ex vestra quidem sancta Ecclesia, si utique videtur ei, tres personæ sufficiant: quod si & plures, quantæ ei placuerint, dirigat. De Concilio vero usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos. De quatuor vero monasteriis Byzansenis ab unoquoque monasterio monachos quatuor. Nam si reciperet tempus ut dictum est, & perfectam congregationem studuissemus facere: sed quoniam tempus non admittit, Deus autem noster proprio consilio

 pro-

protulit quod nos differebamus in hoc tempore: per omnia jubemus vestram paternam Beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere, &c. Græce πάντως κελεύομεν τὴν ὑμετέραν πατρικὴν, &c. Unde Collectio Surii & Binii legit *per omnia jubemus*: quod verbum editio Romana sic emollivit *per omnia volumus vestram Beatitudinem, minime effici impedimentum*, &c.

Quarto notat hoc terribile videri, plebem quæ ad sanctas accedit Ecclesias ut sanctificetur, videre Antistitum inter sese dissonantiam; atque Gregorium Constantinopolitanum & Macarium Patriarcham Theopolitanum multam sibi fecisse instantiam ut ejiceretur Vitalianus Papa ex sacris diptychis, quando Honorius iisdem retineretur: verumtamen noluisse eorum petitioni acquiescere quousque inter utrasque Sedes facta esset conquisitio veritatis. Addit præterea se operam dedisse & injunxisse Theodoro Patricio & Exarcho Italiæ ut navibus, commeatu, alliisque rebus atque impensis necessariis Episcopos Italiæ ad Synodum venientes juvaret.

Hæ literæ quibus Imperator Romanum Pontificem evocat ad Synodum, novem continent animadversione digna. Primum quod in titulo *Donus vocatur Papa œcumenicus sive universalis*: de qua voce amplius in septima Synodo generali. Secundo, Imperator Romam suam vocat, *Dono Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ*, &c. Unde & in extrema clausula ait, se

ſe provinciam dediſſe Theodoro Exarcho Italiæ, ut ſubſidio eſſet Epiſcopis venientibus ad Synodum. Ex quo patet fabulam de Conſtantini Magni donatione illo tempore nondum adoleviſſe: hoc enim poſt Caroli Magni donationem increbuit. Tertio hinc edocemur Imperatorem quamquam Imperio Romano cadente (nam ſola Italia excepta tum Imperatores in toto Occidente nihil poſſidebant) tamen ex aliorum Imperatorum conſuetudine, qui eum præceſſerant, Synodum Romano Pontifici indixiſſe, & adhuc imperaviſſe Romæ. Quarto, monet Papam, ut omni zelo, contentione, invidiaque depoſita, veritati conſulat, atque hujus vocis Dominicæ recordetur: *Quicunque voluerit omnium primus eſſe, ſit omnium miniſter.* Etſi enim pluraliter loquatur Imperator, hoc tamen de Romano Pontifice intelligi cuique minime obnoxio pronum eſt conjicere. Quinto pollicetur Concilium fore liberrimum, nec ſe cuiquam vim aut impreſſionem facturum. Sexto ex illorum temporum diſciplina Papam tribus modis poſſe conſiderari demonſtrat: quando ab eo petit ut ad Synodum de ſua privata Eccleſia tres perſonas aut plures, ſi velit, mittat: & ex ſuo Concilio uſque ad duodecim Metropolitas & Epiſcopos. Nam Papa, ut Patriarcha, plures habet ſub ſe Metropolitas: ut autem eſt Archiepiſcopus, & Eccleſias regit ſuburbicarias, ſolummodo Epiſco-

pis suffraganeis more aliorum Metropolitarum præest: quod est notandum contra illos qui Episcopi Romani Primatum aut Patriarchatum ecclesiarum suburbicariarum angustiis coërcent: Et hæc magis infra ex Agathonis Papæ responsione ad hanc Imperatoris Epistolam explendescent. Septimo quando Imperator petit, ut monachos Byzanzenos mittat; dubium est num sit legendum *Byzacenos*; quod ita arbitror: quoniam Africana Concilia frequenter meminerunt Byzacenæ provinciæ sub Innocentio I. Itaque hic erunt intelligendi monarchi Africæ, quoniam Africa subdita erat Patriarchæ Romano. Octavo, quando Vitalianus Papa cum Honorio componitur, & uterque relatus erat in sacras tabulas Ecclesiarum Orientis: atq; Georgius Constantinopolitanus & Macarius Antiochenus Patriarchæ suaserunt Imperatori ut Vitalianum expungi atque nomen Honorii retineri juberet: Id argumento certissimo est utrumque, Gregorium dico & Macarium in errorem Manotheletarum propendisse: atque pridem ante Synodum sextam Honorium ab omnibus pro Monotheleta habitum: & continuo falsum esse quod Bellarminus & alii propugnatores infallibilitatis Papæ asserunt, istam hæresim Honorio ex Græcorum æmulatione affingi, hic enim duo Patriarchæ censent Honorium velut orthodoxum in sacris diptychis retinendum, contra autem Vitalianum abraden-

dendum. Certe Georgius Constantinopolitanus Patriarcha errorem Monotheletarum in ipsa Synodo abjecit, Macarius autem Antiochenus pertinaciter retinuit usq; ad mortem, ut statim ostendetur. Nono observandum, has literas Imperatoris ad Agathonem Doni successorem, ut jam dixi, delatas, illum suam statim coëgisse Synodum, ut mandato Imperatoris satisfaceret: atque Vicarios suos cum sua & Synodi suggestione misisse ad Imperatorem.

Post sacram jussionem Imperatoris ad Donum & Agathonem PP. epistola ejusdem Imperatoris ad Georgium Constantinopolitanum legitur, qua eum similiter hortatur ut omnes Metropolitas & Episcopos Sedi Constantinopolitanæ subjectos evocet ad Synodum; maxime vero quod jam Agatho Papa antiquæ Romæ suos miserit Vicarios Constantinopolim cum duabus suggestionibus, de quidus quarta Actione.

III. Dehinc sequitur epistola synodalis Mansueti Episcopi Mediolanensis ad Imperatorem sic inscripta: *Domino serenissimo atque tranquillissimo & à Deo coronato religiosissimo Constantino Imperatori Mansuetus Mediolanensis Metropolitanæ Ecclesiæ indignus Episcopus: vel universa sancta Episcoporum fraternitas, quæ in hac magna regia urbe convenit, æternam in Domino salutem.* Narrat postea, quinque Concilia auctoritate Imperatorum Constantini Magni, utriusque Theodosii, Martiani & Justiniani, ad debel-

landos errores Arrii, Macedonii Apollinaris, Nestorii, Eutychis & trium Capitulorum indicta: rogatque Cæsarem Pogonatum ne patiatur illa Concilia ulla ratione convelli & infirmari: subjicit deinceps professionem fidei Patrum Mediolanensis Synodi quinque memoratis Conciliis generalibus conformem, concluditque Dominum nostrum Jesum Christum duas habere naturales voluntates atque operationes, divinam & humanam, quippe qui perfectus Deus & homo sit. Et hoc erat caput inter Orthodoxos atque Monotheletas controversum. Porro ex hac epistola primum cognoscimus in more positum fuisse Patribus antiquis, cum habenda essent generalia Concilia, prius suas Synodos provinciales celebrare, atque ibidem quid sentirent de rebus controversis inquirere & statuere, idque mittere ad Concilium universale: ut enim Romanus Episcopus, ita & Mediolanensis suam Synodum provincialem cogit ad decernendum de errore Monotheletarum Secundo hinc facile est conjicere illo tempore Imperatores potitos adhuc Mediolano, quia Mansuetus regiam urbem & Cæsarem Pogonatum Dominum suum vocat. Hæc igitur octodecim actionibus Concilii sexti præmittuntur. Cæterum Mansuetus Episcopus Mediolanensis interfuit Synodo Romanæ quam Agatho habuit, de qua statim.

IV. Hic exscribam primæ Actionis exordium.

dium. *In nomine Domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus à Deo coronatis & serenissimis nostris Dominis Flaviis, Constantino quidem piissimo & à Deo decreto, magno Principe, perpetuo Augusto, & Imperatore, anno* XXVII, & *post consulatum ejus à Deo instructæ mansuetudinis anno* XIII. *Heraclio vero atque Tiberio à Deo conservandis ejus fratribus anno* XXII. *die* 7 *mensis Novembris Indictione* IX. PRÆSIDENTE EODEM *piissimo & Christo dilecto magno Imperatore Constantino in secretario sacri Palatii, quod cognominatur Trullus, & ex jussione ejus à Deo instructæ Serenitatis, præsentibus & audientibus Niceta glorioso exconsule Patricio & magistro Imperialium officiorum, Theodoro glorioso exconsule Patricio & comite Imperialis obsequii, & substratego Thraciæ, Sergio glorioso exconsule patritio, Paulo glorioso exconsule patritio, Iuliano glorioso exconsule patricio & militari logotheta*, &c. *Conveniente quoque sancta & universali Synodo quæ* SECUNDUM IMPERIALEM SANCTIONEM *congregata est in hac a Deo conservanda regia urbe, id est, Theodore & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Joanne venerabili diacono vicem agentibus Agathonis sanctissimi & beatissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ, & Georgio venerabili ac sanctissimo Archiepiscopo magnæ Constantinopoleos novæ Romæ, & Petro Deo amabili Presbytero & monacho locum servante Sedis magnæ Civitatis Alexandriæ, & Macario venerabili Archipiscopo Theopoleos Antiochiæ, & Georgio religioso Presbytero,*

 manac-

monacho & Apocrisario Theodori venerabilis Vicarii Sedis Hierosolymorum, Joanne Episcopo Portuensi, Abundantio Episcopo Civitatis Paternensis, Joanne Episcopo Civitatis Rhegitanæ, locum præsentantibus centum viginti quinque venerabilium Episcoporum sancti Concilii antiquæ Romæ, qui & per proprias subscriptiones demonstrantur in suggestione ab eis facta ad piissimum Imperatorem Constantinum, & Theodoro religioso Presbytero & locum agente Thodori Deo amabilis Archiepiscopi Ravennæ, Basilio Episcopo Gortyniæ Insulæ Cretæ, &c. *Residentibus gloriosis Patriciis & Consulibus ex latere piissimi & Christo amabilis nostri Imperatoris Constantini, & ex læva quidem ejus parte residentibus venerabilibus Vicariis Agathonis sanctissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ, & qui ex persona ejus Synodi erant Deo amabiles Episcopi, Theodoro Presbytero, & locum agente Theodori Deo amabilis Archiepiscopi Ravennæ & Basilio Episcopo Civitatis Gortinæ, & Georgio Presbytero & monacho & Apocrisario Theodori venerabilis Vicarii Sedis Hierosolymorum, & cæteris Episcopis Concilii sanctissimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis, à dextera vero ejus parte Imperatoris nimirum similiter residentibus Georgio sanctissimo Archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & Macario sanctissimo Archiepiscopo Theopoleos Antiochiæ, & Petro Deo amabili Presbytero, monacho & loci servatore Sedis magnæ Alexandriæ Civitatis, & Theodoro Episcopo Ephesi; & reliquis Deo amabilibus Episcopis, tam qui sub Sede sanctissimi Archiepiscopi Constantinopo-*

tinopolitani, quam qui sanctissimi Archiepiscopi Theopoleos Antiochiæ: propositis in medio Sacrosanctis Christi Dei nostri Euangeliis. Theodorus & Georgius Deo amabiles Presbyteri & Joannes Deo amabilis Diaconus, locum præsentantes sanctissimi Papæ Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ Agathonis, nec non qui ex persona Synodi ejus erant, dixerunt: Benignissime Domine secundum directam Sacram ab a Deo instructa vestra Fortitudine ad sanctissimum Papam, demandati sumus ab eo ad piissima vestigia à Deo confirmatæ vestræ Serenitatis, una cum ejus suggestione, nec non & cum altera ejus synodica suggestione æque facta ad a Deo custoditam vestram Pietatem & subjacentibus ei veneralibus Episcopis, quas & obtulimus a Deo coronatæ Fortitudinis vestræ. Quoniam igitur ante hos quadraginta sex plus minus annos, quasdam novitates vocum contrarias orthodoxæ fidei introduxerunt qui pro tempore fuerunt præsules hujus regiæ & a Deo conservandæ vestræ civitatis, id est, *Sergius, Paulus, & Pyrrhus, & Petrus, nec non & Cyrus quondam Alexandrinæ civitatis Antistes, insuper & Theodorus qui fuit Episcopus civitatis, cujus vocabulum est Pharan, & alii quidam qui eos secuti sunt, non modice quæ per totum orbem terrarum est Ecclesiam turbaverunt, unam voluntatem in incarnationis dispensatione unius sanctæ Trinitatis Domini nostri Jesu Christi, unamque operationem dogmatizantes, & multoties servili vestra, quæ secundum nos est, Apostolica Sede de hac repulsante, dehinc supplicante & minime valente usque hacte-*

nus a tali sensu pravæ æstimationis eos abstrahere: quæsumus a Deo coronatam vestram Fortitudinem, ut dicant qui ex parte sunt prædictæ sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, unde hujusmodi vocum adinventa est novitas. Constantinus piissimus Imperator dixit: Audientes Georgius sanctissimus Archiepiscopus nostræ civitatis, & Macarius Antiochenæ civitatis, & ei adjacens Synodus, quæ à parte Apostolicæ magnæ Romæ Sedis dicta sunt, quæ eis videntur prosequantur: Macarius Antiochenus cum ei adhærentibus pro sua & Constantinopolitana Sede respondit: Nos quidem vocum novitates non edidimus, sed quicquid percepimus tam à sanctis universalibus Synodis & Patribus sanctis, quam à præsulibus hujus regiæ urbis Sergio, Paulo, Pyrrho, & Petro, nec non & Honorio, qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyro qui fuit Papa Alexandriæ, hoc est de voluntate & operatione: sic & credimus, & prædicamus & docemus, & parati sumus hoc ostendere. Quocirca in eam rem Macarius Acta primæ Synodi Ephesinæ laudavit, sed perperam accepta à se.

En primæ Actionis initium, cui omnium aliarum septemdecim actionum exordia plane congruunt. Verum septem digna observatione capit: Primo Imperatorem sacra sua jussione aut edicto Synodum indixisse, convocasse, & coëgisse quod ipsum etiam illico Agathonis Papæ testimonio confirmabitur, qui in sua suggestione os durissimum Vallii obtundit: siquidem parte IV quæst. 2. libri sui de Suprema Potestate Papæ, id ipsum, quod alias dixit, inculcat: *nimirum aliud esse congregare, aliud*

indi

indicere Concilium, licet nonnunquam pro eodem usurpentur. Nam congregare exequutionem sonat, indicere vero præceptum & auctoritatem : unde etiamsi interdum dicantur Concilia generalia ab Imperatoribus congregata, hoc duntaxat de via exequutionis non præcepti & auctoritatis intelligitur ut sexcenties dixi: vel si aliquando Concilia ex auctoritate Imperatores coëgerint & indixerint, uno verbo dico eos contra jus, ut pleraq; alia fecisse. Hæc ille. At vero, magister, quoties hæc effudisti, toties in veritatem peccasti: neque ulla probatione sed sola petitione principii tuas scripturitiones roboras, supponens Papam jure divino id esse quod vides hodie: & idem esse primatum quod absolutam monarchiam: quæ figmenta sunt hominum male feriatorum atque ambitiosorum. Hercle Auctor Præfationum historicarũ, multa verecundior Baronio & Binio quos sequitur Vallius: nam Actorum & veritatis evidentia convictus, quantum potest mollibus verbis veritatem involvit, aitque, *Imperatorem egisse primum cum Dono summo Pontifice, deinde cum Agathone ejus successore de œcumenico Concilio Constantinopoli cogendo, præsentibus Apostolicis Legatis: & Agathonem annuisse suamque adhibuisse auctoritatem*, &c. Hæc ille. At supra docui Imperatorem tanquam juris divini, naturalis & canonici vindicem, atque ordinis publici assertorem, jus habere indicendi & congregandi Concilium, omnesque repugnantes, etiam ipsum Papam tanquam

quam ſibi jure divino & naturali in temporalibus & civilibus ſudbitum cogendi, ſi parere recuſet. Et ita proprie loquendo auctoritas reſidet in Imperatore, non in Papa, qui ut Papa, neminem vi externa cogere poteſt: unde niſi valde improprie & æquivoce Papa dicitur habere auctoritatem indicendi & cogendi Concilia. Inſuper accedit tempore Agathonis Papæ, Romanos Pontifices ſolum habuiſſe auctoritatem in Epiſcopos & Metropolitas ſui Patriarchatus, juxta ſextum Canonem Nicænum. Et idcirco Agatho teſtificatur *ſe Synodos ſubjacentes Concilio Apoſtolicæ Sedis urbis Romæ convocaſſe*: quas Synodos Occiduis & Septentrionalibus provinciis nominatim definiri perhibet, ut mox patebit. Secundo diſcimus ex hac Actione Conſtantinum Pogonatum eo modo ſextæ Synodo præſediſſe, quo Martianus Chalcedonenſi Concilio, de qua re ſupra in hiſtoria Synodi Chalcedonenſis. Quarto Conſeſſus idem plane eſt cum Synodi Chalcedonenſis conſeſſu, quia Imperator cum ſuis Patriciis & Senatoribus ſedet in loco honoratiore, puta in meditullio Aulæ Trullenſis & præſidet Concilio, eodem jure quo illud indixit & convocavit, ut etiam factum eſt in Synodo Chalcedonenſi: nimirum ad ordinem vindicandum, & ad judicandum in quæſtione facti. Notandumque hoc jus Imperatoris ſedendi & præſidendi in Conciliis, non fuiſſe controverſum ante Greg. VII. dictatu illius

XVI: Et multa quæ in primitiva Ecclesia jure ab Imperatoribus Christianis fiebant & servabantur, desiisse fieri atque observari sub Carolo Magno & aliis Regibus Galliæ, qui extraordinarium honorem Romanis Pontificibus detulerunt, eosque amplissima ditione prophana cum magna disciplinæ ecclesiasticæ & bonorum morum ruina locupletarunt: quoniam Pontifices postquam Domini temporales & politici effecti sunt, majorem curam rerum temporalium quam spiritualium gesserunt, seque supra benefactores suos nimium quantum extulerunt, ut experientia docet & alias demonstrabitur. Quinto ad sinistrum latus Imperatoris, Vicarii Agathonis Papæ cum legatis Synodi Romanæ, & Vicario Sedis Hierosolymitanæ: ad dexterum autem Patriarcha Constantinopolitanus, Antiochenus, & Vicarius Sedis Alexandrinæ consident. Ubi notandum in hac Synodo Patriarcham Constantinopolitanum semper Sedis atque suffragii prærogativam obtinere post Vicarios summi Pontificis, juxta 28 Canon. Chalcedonensem. Sexto in medio consessu Sacro sancta Euangelia erecta in throno resident, ut in aliis Synodis notatum est superius. Septimo Macarius Antiochenus ad postulata Vicariorum Sedis Apostolicæ ideo respondet pro se & Georgio Constantinopolitano: qua erat antiquior, & quæ anteactis temporibus gesta essent à Sedis Constantinopolitanæ Patriarchis,
opti-

optime noverat, ſiquidem Georgius nuper ad thronum Conſtantinopolitanum evectus fuerat.

Actione ſecunda recognoſcuntur & profe-runtur acta Synodi Chalcedonenſis contra Macarium Antiochenum; oſtenditurque ex epiſtola B. Leonis PP. Chriſtum duas habuiſſe voluntates & operationes naturales, divinam ſcilicet & humanam. Contra opponit Macarius ſe cum B. Dionyſio dicere Chriſtum habuiſſe *Deivirilem operationem*: petitque ab illo Imperator quomodo intelligeret *Deivirilem operationem*, reſpondet, *ſe non ſuper judicare*: hic obiter notarim tribus primis Actionibus Concilii hujus explicate haberi, Vicarios Sedis Apoſtolicæ *loqui ſtantes & exurgentes*: ſed id factum potius videri ardore contentionis, quam ullam aliam ob cauſam, quicquid dicat Cardinalis Cauſanus lib. 11 de Concordantia, cap. 20. Nam penes Patriarchas erat imperium & moderatio Synodi quoad Actionem: & quoad ordinem penes Imperatorem ejuſque Senatum: neque repugnat, Patres ſalutandi Imperatoris cauſa initio orationis ſuæ ſurrexiſſe.

Actione tertia proferuntur libri v Synodi è Charthophylacio Patriarchæ Conſtantinopolitani valde corrupti & adulterati: illis enim inſertus erat ſermo Mennæ ad Vigilium Papam, & viciſſim duo libri falſo adſcripti Vigilio: quorum librorum alter ad Juſtinianum

Im-

Imperatorem, alter ad Auguſtam Theodoram Juſtiniani uxorem dirigebatur. Quibus falſi convictis, tandem Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & quæ ſub eo erat Synodus, id eſt, Epiſcopi totius Patriarchatus Conſtantinopolitani petunt ab Imperatore vellet juberetque Agathonis Papæ ejuſque Synodi ſuggeſtionem recitari : quatenus omnes cognoſcerent ea quæ illis continebatur.

Quarta Actione recognoſcuntur nec dum tamen examinantur duæ epiſtolæ, prior Agathonis, poſterior Synodi Romanæ ad Conſtantinum Imperatorem : quæ ideo ſuggeſtiones nominantur, quod Agathonis & Concilii Romani ſententiam ſuggerant, & declarent. Prior ad hunc modum inſcribitur :

V. *Dominis piiſſimis & ſereniſſimis, Victoribus ac triumphatoribus, chariſſimis filiis, amatoribus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti Conſtantino majori Imperatori, Heraclio, & Tiberio Auguſtis; Agatho Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.* Primum narrat quanta ſit affectus conſolatione, *eo quod Deus eam mentem inſpirarit Imperatoribus ut ad ſtabilitatem Chriſtianæ reipublicæ illis divinitus commiſſæ curent & quærant immaculatæ fidei veritatem, ſicut ab Apoſtolis atque Apoſtolicis Patribus eſt tradita, eamque velint in omnibus Eccleſiis ſervari & obtinere. Et ne quemquam tam pia lateret intentio, atque ſuſpicio perterreret, aut quiſpiam æſtimaret Impemtorem poteſtate compuliſſe, non plena ſerenitate & manſuetudine commonuiſſe*

ſuper

super Euangelicæ & Apostolicæ fidei prædicatione, ait Agatho, *divales apices missos ad Donum suum prædecessorem à Spiritu sancto calamo imperialis linguæ dictatos: humaniter commonere non opprimere, satisfacere non perterrere, exhortari non affligere: ac Deum omnium conditorem & redemptorem imitari, qui cum posset in suæ divinitatis majestate veniendo in seculum mortales perterrere, maluit humanitate assumpta nos redimere*, &c. *His itaque mansuetissimi rerum Domini divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus sum meliori confidentia paulatim iis quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ Sacram dudum præcepta sunt efficaciter promptam obedientiam exhibere: ut personas quales secundum temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri*, PRO OBEDIENTIÆ SATISFACTIONE *inquirerem, & cum consilio confamulorum meorum Episcoporum, tam de propinqua hujus Apostolicæ Sedis Synodo, quam de familiari clero amatores Christiani Imperii & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissima tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortarer: Secundo monet, nisi longus provinciarum ambitus in quibus humilitatis suæ Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingessisset, olim hoc quod vix tandem nunc fieri potuit, studiosa obedientia sui famulatus implevisset. Sed dum de diversis provinciis* FAMILIARE NOBISCUM CONCILIUM CONGREGATUR, ait, *& dum personas quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi*

mi

mi Principatus Romana urbe, vel de proximo dirigere procuramus, quasdam de longe positis provinciis, in quibus verbum Christianæ fidei ab Apostolicis exiguitatis meæ prædecessoribus missi prædicabant, remeare præstolamur, non parvus temporum cursus elapsus est: ut corporales ægritudines mei famulatus silentio transeam, in quibus nec vivere licet, nec libet assiduis ægrimoniis laborantem. Ideoque Christianissimi Domini & filii secundum piissimam jussionem à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ, PRO OBEDIENTIA QUAM DEBUIMUS, *non pro confidentia eorum scientiæ quos dirigimus præsentes confamulos nostros Abundantium, Joannem, & Joannem reverendissimos fratres nostros Episcopos, Theodorum & Georgium dilectissimos filios nostros Presbyteros, cum dilectissimo filio nostro Joanne Diacono, & Constantino Subdiacono sanctæ hujus spiritalis matris Apostolicæ Sedis: nec non & Theodorum Presbyterum legatum sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, & religiosos servos Dei monachos cum supplici cordis devotione curavimus demandare.* Tertio declarat, *hoc unum se semper habuisse in votis, ut nihil de iis quæ regulariter definita sunt, mutetur vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata custodiantur.* Quarto, *se iis quos misit ex Ecclesia sua, aliquot dedisse testimonia sanctorum Patrum quos Apostolica Ecclesia Romana suscipit cum libris, quatenus ex iisdem libris & testimoniis fidem Romanæ Ecclesiæ prædicarent & assererent. Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum*

vestrum Imperium dum jusserit ejus clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare. Pro quibus flexo mentis poplite suppliciter vestram ad mansetudinem semper intentiam clementiam deprecamur, ut juxta benignissimam Imperialis Sacræ promissionem, &c. *illos illæsos tam in rectitudine nostræ Apostolicæ fidei quamque corporum sospitate in propriis restituere jubeat*, &c. *Non enim nobis eorum scientia confidentiam dedit, ut ad pia vestra vestigia eos auderemus dirigere: sed hoc Imperialis vestra benignitas clementer jubens hortata est : & nostra pusillitas quod jussum est obsequenter implevit.* Quinto transit ad professionem fidei Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ secundum formam & regulam in quinque Synodis generalibus traditam, *per quas*, inquit, *fundamenta Catholicæ Christi Ecclesiæ firmata atque stabilita sunt : hic igitur status est Euangelicæ atque Apostolicæ fidei regularisque traditio ut confitentes sanctam & inseparabilem Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Sanctum Spiritum unius Deitatis*, &c. Sexto hac fidei professione explicata Agatho refert, *B. Petrum trina commendatione pascendas oves suscepisse à Christo, ejusque adnitente præsidio, hanc Apostolicam ejus Ecclesiam nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexisse, ejusque auctoritatem, utpote qui esset princeps omnium Apostolo-*

stolorum, semper omnem Catholicam Ecclesiam & universales Synodos fideliter amplexas esse. Deinde aliquanto post, *hæc est*, ait, *veræ fidei rugula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia : quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit : sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit, ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata, fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Euangeliis fatus est. Petre, Petre, inquiens, Ecce Satan expetivit ut oribraret vos sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum : quorum & pusillitas mea licet impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero*, &c. Itaque ostendit, *illos sanctæ Incarnationis mysterium confundere, qui Deitatis & Humanitatis Christi unam naturam dicunt*, &c. Utque duas habere naturas & differentes ope-
 ratio-

rationes ſecundum utramque naturam demonſtret, varia proponit ſacræ Scripturæ & Patrum Antiquorum teſtimonia: quæ omnia Actione VIII & X ſynodice & canonice examinantur à Patribus Trullanis, & cum libris originalibus, unde exprompta fuerant ab Agathone, diligenter conferuntur. Septimo ita claudit & ſubſcribit ſuam ſuggeſtionem *Piiſſimorum Dominorum Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eiſque omnium gentium colla ſubſternat.*

Verum hæc Agathonis Papæ epiſtola tria præſertim nos manifeſte docet: primum Titulus hic notandus venit *Dominis piiſſimis, & ſereniſſimis Victoribus, Conſtantino*, &c. Item quod Imperatori gratias agat, quia, cum poſſent abſolute imperare, maluerit tamen ſuadendo atq; clementer exhortando præcipere: quocirca ait ſe *illi efficaciter promptam exhibere obedientiam quam debuit*: idque duobus in locis repetit: & in priori, editio Romana hoc Græcum vocabulum ὑπουργία vertit *obſequentiam*: ſic enim miniſterium & obedientiam quam Papa Imperatori tanquam Romæ Domino reddere tenetur, declinare voluit: ſed fruſtra, quia paulo poſt Agatho *Romam vocat ſervilem provinciam, & pro obedientiæ ſatisfactione*, ſe eos miſiſſe homines quos tempus perferre potuit, declarat: ſubjungit quoque, *Imperatorem clementer jubendo hortatum eſſe, & ſuam puſillitatem quod juſſum eſt obſequenter impleviſſe*, &c. Quibus verbis Agatho huic clauſulæ Imperatoris

ſupra

ſupra laudatæ reſpondet : *jubemus veſtram paternam Beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei*, &c.

VI. Quid ad hæc Vallius & abſolutæ monarchiæ Patroni opponent ? ſcilicet Agathonem hæc per humilitatem, non ex officio & rei veritate dixiſſe : fabulæ typhum ſeculi redolentes ! Quandoquidem ratione poteſtatis ſpiritualis, qua Agatho erat inſtructus, Imperatorem vocat filium : ratione autem meri imperii & poteſtatis temporalis, quam jure divino Cæſari ineſſe noverat eundem & quidem merito Dominum appellat S. Gregorii imitatione lib. 11 epiſtola 62. *Ego indignus pietatis veſtræ famulus*, inquit Mauritio Cæſari, *in hac ſuggeſtione neque ut ſervus jure reipublicæ, ſed jure privato loquor* : *quia ſereniſſime Domine ex illo jam tempore Dominus meus fuiſti*, &c. Qua in clauſula hæc apprime notanda veniunt : *ut ſervus jure reipublicæ*, &c. quandoquidem omnia effugia Bellarmini & aliorum obſtruunt, qui cavillantur S. Gregorium tyrannide Mauritii oppreſſum hæc ſcripſiſſe : at nihil erat opus S. Gregorio dicere ſe ſervum eſſe Mauritii jure reipublicæ, ut imperata Mauritii mitigaret. Accedit præterea hæc, *ſervus jure reipublicæ*, cauſis eſſentialibus utriuſque poteſtatis congruere, ut alias dicetur. Hic obiter notandum, Romanos Pontifices prout humiles ſpiritu, atque à dominandi ſtudio alieni fuerunt, ingenue in ſcriptis ſuis, & dum ſcri-

berent Imperatoribus, se eis subditos in temporalibus agnovisse: alios vero miro verborum aucupio & æquivocis vocabulis rei veritatem involvisse, ne pateret: unde arbitror Sabinianum Papam quoniam S. Gregorii humilitas in suis epistolis ei cordi non esset, omnia ejusdem viri sanctissimi opera comburi voluisse, ut refert Platina. Secundo observandum Agathonem excusatione uti, quod non potuerit petitioni Imperatoris exacte satisfacere, hoc est, *mittere de Concilio suo usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos*, &c. Respondetque *dum de diversis provinciis familiare suum Concilium congregare voluit, & dum personas quasdam tum de proximo Concilio* ecclesiarum suburbicariarum scilicet, *tum de longe positis provinciis, ad quas miserat homines, expectare & mittere voluit non parvum temporis cursum elapsum esse*, &c. Quæ quidem responsio ea confirmat quæ supra dixi de patriarchali Concilio Papæ: nimirum quod se extendat ad provincias Occidentis, hocque clarius innotescet suggestione Synodi Romanæ de qua paulo post. Certe ut alias docui, Papa tanquam Archiepiscopos aut Metropolita nullos sibi habebat Archiepiscopos & Metropolitas subditos, sed duntaxat Episcopus ecclesiarum suburbicariarum qui affines erant Romæ: unde nihil expectandum fuit, aut non longum temporis spatium decurrit in hujusmodi congregandis Episcopis: & ita vana esset Agatho-

gatho-

gathonis excuſatio, ſi tantum de ſuo Concilio Archiepiſcopali & non de Patriarchali loqueretur. Tertio ex hac ſuggeſtione claret Conſtantinum Pogonatum more majorum ſuorum Synodum indixiſſe Agathoni, eique numerum Epiſcoporum & perſonarum quas mitteret ad Synodum præſcripſiſſe, ut de Cæſare Theodoſio ſupra notavimus in hiſtoria utriuſque Synodi Epheſinæ.

VII. Poſt Agathonis ſuggeſtionem eadem Actione quarta extat ſuggeſtio Synodi Romanæ obſignata ab Agathone & aliis Epiſcopis, quæ inſcribitur : *Piiſſimis Dominis & ſereniſſimis, Victoribus, ac Triumphatoribus, dilectis Filiis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino magno, Imperatori, Heraclio, & Tiberio Auguſtis, Agatho Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis.* Primum declarant, *ſpem omnium bonorum tum affulgere dum Imperiale faſtigium veram ejus confeſſionem cognoſcit à quo ſe coronatum & hominibus præpoſitum ad ſalubriter gubernandum, eamque inquirit fideliter & vivaciter amplecti deſiderat. Et hoc Dei eſſe præſtantiſſimum munus à quo procedit omne quod bonum eſt. Et quoniam ab Apoſtolica Sede & eccleſiis ei ſubjacentibus eam poſtulavit : omnes nos exigui eccleſiarum Præſules veſtri Chriſtiani Imperii famuli in Septentrionalibus vel Occiduis partibus conſtituti, licet parvi & ſimplices ſcientia, fide tamen per Dei gratiam ſtabiles pro iis quæ per divalem Sacram perceptam cognovimus,*

 Deo

Deo gratiam stabiles pro iis quæ per divalem Sacram perceptam cognovimus, Deo pro hujusmodi pio proposito cum intimis cordis fletibus gratia reddere cœpimus, quod tam laudabile, tam mirificum, tam singulariter Deo præ omnibus terrenis sacrificiis acceptabile Tranquillitas vestra opus creditur concupivisse: quod à multis quidem pietate & justitia præditis Regibus desideratum, paucissimis tamen raroque ad effectum Deo placitum cum sinceritate Apostolicæ fidei perduci possibile demonstratum est, &c. *Igitur quia tranquillissimæ Fortitudinis vestræ Clementia personas de Episcopali numero dirigi jussit vita atque scientia omnium scripturarum præditas, de vitæ quidem puritate quamvis quisquam munditer vixerit, confidere tamen non præsumit: perfecta vero scientia si ad veræ pietatis scientiam redigatur, sola est veritatis cognitio*, &c. *Et sola est nostra substantia fides nostra, cum qua nobis vivere summa est gloria, pro qua mori lucrum æternum est. Hæc est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicæ atque Apostòlicæ fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mentis costodia conservemus, credentes in Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ*, &c. Nam professionem suæ fidei edunt conformiter ad Synodos generales: atque amplius se Decretum Concilii Romani, quod sub Martino Papa celebratum est, contra Monotheletas tenere profitentur, &c. Secundo, ut imperatis Constantini satisfaciant, se excusant de tarditate personarum quas miserunt ex suo Concilio:

Pri-

Primum quidem *quod numerosa multitudo nostrorum usq; ad Oceani regiones extenditur, cujus itineris longinquitas in multi temporis cursum protelatur. Sperabamus deinde de Britannia Theodorum confamulum atque Coëpiscopum nostrum magnæ insulæ Britanniæ Archiepiscopum & Philosophum cum aliis qui ibidem usque hactenus demorantur exinde ad nostram humilitatem conjungere, atque diversos hujus Concilii Episcopos in diversis regionibus constitutos, ut à generalitate totius Concilii servilis nostra suggestio fieret, ne si tantum pars quod agebatur cognosceret, partem lateret: & maxime quia in medio Gentium tam Longobardorum quamque Sclavorum nec non Francorum, Gallorum, & Gothorum, atque Britannorum, plurimi confamulorum nostrorum esse noscuntur; qui de hoc curiose satagere non desistunt, ut cognoscant quid in causa Apostolicæ fidei peragatur: qui quantum prodesse possunt, dum in consonantia fidei nobiscum tenentur, nobisque concorditer sentiunt: tantum quod absit, si quid scandali in fidei capitulo patiantur, inveniuntur infesti atque contrarii,* &c. *Personas autem de nostræ humilitatis ordine prævidimus dirigere ad vestræ à Deo protegendæ Fortitudinis vestigia, quæ omnium nostrum, id est, universorum per Septentrionales & Occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua & Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus offerre debeant; non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atq; immutabilia compendiosa definitione proferre: suppliciter obsecrantes ut à Deo coronato vestro*

Imperio ſavente hæc eadem omnibus prædicari atque apud omnes obtinere jubeatis, &c. Hæc ſi faciat Imperator, Patres Synodi Romanæ futurum ſpondent, ut laudes Conſtantini Pogonati celebrentur, ſicut & Magni Conſtantini, Theodoſii utriuſque, Martiani, & Juſtiniani, quem omnibus aliis ita præferendum narrant. *Et ſicut extremi quidem præſtantiſſimi, tamen omnium Magni illius Juſtiniani, cujus & virtus ita & pietas omnia in meliorem ordinem reſtauravit: cujus inſtar fortiſſimæ veſtræ Clementiæ Principatus virtutis quidem conatibus Rempublicam Chriſtianam tuetur & reſtaurat in melius pietatiſque ſtudiis Catholicæ ſuccurrit Eccleſiæ*, &c. In fine hujus ſuggeſtionis leguntur ſubſcriptiones centum viginti quinque Epiſcoporum qui Synodo interfuerunt: atque omnium primus Agatho Papa ita ſubſcribit: Agatho *Epiſcopus Sanctæ Dei Catholicæ atque apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ huic ſuggeſtioni cum generalitate totius Apoſtolicæ Sedis Concilii pro rectitudine Apoſtolicæ confeſſionis facta, ſicut ſuperius continetur, conſenſi, & ſubſcripſi.* Andreas *gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Oſtienſis Eccleſiæ in hanc ſuggeſtionem quam pro apoſtolica noſtra fide unanimiter conſtruximus, ſimiliter ſubſcripſi.* Angnellus *gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Terracinenſis provinciæ Campaniæ in hanc ſuggeſtionem quam pro apoſtolica noſtra fide unanimiter conſtruximus, ſimiliter ſubſcripſi.* Agnellus *gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Fundanæ Eccleſiæ provinciæ Campaniæ, in hanc ſuggeſtionem*, &c.

&c. Adeodatus *gratia Dei Episcopus sanctæ Formianæ Ecclesiæ provinciæ Campaniæ in hanc suggestionem*, &c. Petrus *gratia Dei Episcopus sanctæ Cumanæ Ecclesiæ provinciæ Campaniæ in hanc suggestionem quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi.* Agnellus *gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Misenatis provinciæ Campaniæ in hanc suggestionem quam pro apostolica nostra fide*, &c. Gaudiosus *gratia Dei Episcopus sanctæ Puteolanæ Ecclesiæ provinciæ Campaniæ in hanc suggestionem quam pro apostolica*, &c. Stephanus, *gratia Dei Episcopus sanctæ Locrensis Ecclesiæ hanc suggestionem quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi.*

VIII. Porro multa observatione digna in hanc Synodi Romanæ suggestionem sese offerunt: & primo quidem comprobatur atque illustratur quod in omnibus aliis Synodis docuimus, scilicet ubi necessitas habendæ Synodi occurreret, Imperatores solitos eas indicere omnibus Patriarchis, & unumquemque Patriarcham suos Metropolitas & cæteros Episcopos sibi subjacentes, Synodo habendæ idoneos convocare consuevisse ad Concilium & synodice atque canonice statuere de rebus agendis & controversis. Secundo hanc epistolam synodicam legatis Agathonis & Synodi Romanæ pro sufficienti instructione creditam: unde in epigraphe illius hæc leguntur cum in editione Romana Conciliorum, tum

tum in Collectione Binii, & Surii : *Epistola Agathonis & Romanæ Synodi 125 Episcoporum, quæ fuit velut instructio legatorum qui missi sunt ad Synodum sextam celebrandam.* Et revera quidem, loco amplissimæ atque sufficientissimæ instructionis extitit: quoniam omnes Ecclesiæ Occidentis & plagarum Septentrionalium repertæ sunt unius fidei hac in controversia: contra autem Orientis, ut ingenia hominum illorum calidiora & leniora sunt, erant sic divisæ ut tamen majore ex parte essent orthodoxæ. Proculdubio non difficile erat hanc controversiam ex definitione fidei Chalcedonensis Synodi dirimere: quæ docet Christum quoad humanam naturam nobis esse *consubstantialem* : & *Sicut anima rationalis & caro humana in Christo unum faciunt hominem: ita Deum atque hominem unum facere Christum, non conversione divinitatis in carnem sed assumptione humanitatis in Deum* : ut loquitur Symbolum B. Athanasii ex quo insurgit, utriusque naturæ proprietates integras remanere, nec non pariter utriusque naturæ & voluntatis divinæ ac naturalis operationes. Hanc vero synodalem epistolam datam pro instructione conceptis verbis Patres Synodi Romanæ declarant, dum perhibent *se offerre Imperatori confessionem suæ apostolicæ fidei, non tanquam incertam sed velut certam atque immutabilem.* Agatho autem *Legatis fuisse injunctum* ait, *ne aliquid augerent, minuerent, vel mutarent, sed traditionem Apostolicæ*

licæ Sedis ſinceriter enarrarent. Quæ omnia ſicut infallibilitatem Papæ dilapidant, ita demonſtrant, *quid ſit definire ex cathedra*; atque longe aliud eſſe in definiendis controverſiis de Papa & de Sede Apoſtolica verba facere: quoniam cathedra neceſſario de Synodo Patriarchali ſubjacenti Sedi Apoſtolicæ intelligitur. Tertio, eadem plane eſt ratio inſcriptionis hujus epiſtolæ atque ſuggeſtionis Agathonis, quia & Agatho & Patres Imperatorem Dominum ſuum nuncupant. Deinde in ipſo corpore epiſtolæ: *Omnes nos exigui Eccleſiarum Præſules veſtri Chriſtianiſſimi Imperii famuli, in Septentrionalibus vel Occiduis partibus conſtituti, licet parvi & ſimplices ſcientia*, &c. Quæ formula deſignat Papam & Epiſcopos ſe illo tempore agnoviſſe ſubditos Imperatori in temporalibus ut jam paulo ante obſervatum eſt. Quarto hæc alia in eadem inſcriptione apprime notanda faciunt: quæ ut ab omni faſtu aliena ſunt ita etiam poteſtatem eccleſiaſticam eſſe miniſterialem convincunt: *Agatho cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis*: non dicit ſubjectis aut ſubditis Concilio Sedis Apoſtolicæ: quia verba ſubjectionis Imperio temporali & feudalibus magis propria ſunt. Ex quo fit, ut Metropolitani Epiſcopos ſuæ Metropolis non ſubditos ſed ſuffraganeos ideo vocitent, quod ſub illis & poſt illos ſuffragium & vota ferant. Hæc qui volet cum hodierno faſtu & pompatica Curiæ

Curiæ Romanæ majeſtate conferat.

IX. Quinto hæc eadem verba *cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis*: ea comprobant quæ jam ſæpe frequentavimus: puta Epiſcopum Romanum tanquam Patriarcham univerſas habere ſibi ſubjacentes Occidentis atque Septentrionis Eccleſias: quod capi debet facta comparatione Eccleſiarum Græciæ & aliorum Patriarchatuum, qui erant in plagis Orientalibus, ſi cum Romano Patriarchatu conferantur: *Omnes nos exigui Eccleſiarum Præſules veſtri Chriſtiani Imperii famuli in Septentrionalibus vel Occiduis partibus conſtituti*, &c. Accedit inter ſubſcriptiones Epiſcoporum, Adeodatum Epiſcopum Lucorum Epiſtolam tum ſuo tum nomine Synodi conſtitutæ per Gallias obſignaſſe: atque Wilfridum Eboracenſem inſulæ Britanniæ Epiſcopum legatum Synodi Britanniæ ſimiliter pro Synodo Britannica: item Felicem Epiſcopum Arelatenſem legatum Synodi per provincias Galliarum: nec non Taurinum Diaconum Eccleſiæ Telonenſis legatum Synodi per Galliarum provincias: item Manſuetum Epiſcopum Mediolanenſem, & Valentinum Aquenſis Eccleſiæ Epiſcopum, ſuo atque eccleſiarum ſuarum nomine Actis ſubſcribere. Ex quo inimus, Gallias & cæteras provincias ab Romano Patriarchatu remotiores, cum Synodo Romanæ, quam Agatho celebrabat, intereſſe non poſſent, ſuas privatim ha-

habuiſſe Synodos provinciales ſuper controverſia qua de agebatur, atque ſententiam ſuam per legatos ad Agathonem Patriarcham ſuum miſiſſe, juxta ea quæ notavi capite 1 hujus hiſtoriæ : idque amplius declaratur his verbis : *Sperabamus deinde de Britannia Theodorum confamulum atque Coëpiſcopum noſtrum Magnæ Inſulæ Britanniæ Archiepiſcopum & Philoſophum cum aliis qui ibidem uſque hactenus demorantur exinde ad noſtram humilitatem conjungere : atque diverſos hujus Concilii Epiſcopos in diverſis regionibus conſtitutos : ut à generalitate totius Concilii ſervilis noſtra ſuggeſtio fieret ; ne ſi tantum pars quod agebatur cognoſceret, partem lateret, & maxime quia in medio gentium tam Longobardorum, quamque Sclavorum nec non Francorum, Gallorum, & Gothorum atque Brittanorum plurimi confamulorum noſtrorum eſſe noſcuntur, qui & de hoc curioſe ſatagere non deſiſtunt, ut cognoſcant quid in cauſa apoſtolicæ fidei peragatur*, &c. Verum hinc clariſſime confutata remanet illorum opinio, qui Patriarchatum Epiſcopi Romani ſolis eccleſiis ſuburbicariis circumſcribere nituntur. Sexto inde liquet, Agathonis ſeculo, Papam in rebus eccleſiaſticis nihil motu aut ſpiritu proprio, ſed tantum communi & generali Eccleſiæ ſpiritu ſynodice inito de controverſiis naſcentibus ſtatuere ſolitum. Nam ut legatos quos miſſurus erat ad Concilium ſufficienter informaret, pro more avito Eccleſiæ, Synodum antea habuit: quod ſimiliter factum obſer-

obſervavi à Cœleſtino I ante primam Synodum Epheſinam, & à Leone Magno ante Chalcedonenſem: idque os quamquam duriſſimum obſtruere debet adverſariis.

X. Septimo quando omnes Patres Synodi Romanæ atque inter alios ipſum Agathonem qui eam primus obſignavit, ſingularem pietatem Juſtiniani Cæſaris commendare, eumque omnibus aliis Imperatoribus qui eum præceſſerunt anteferre video, hercle non poſſum ſatis, ut jam dixi capite præcedenti, confidentiam Valli demirari, quod Juſtinianum *ſacrilegum*, *rerum divinarum invaſorem*, *& fautorem hæreſis Eutychianæ appellet*: de qua re ſatis ſupra diſputatum eſt. Octavo hæc formula ſubſcribendi Agathonis, *Agatho Epiſcopus ſanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ*, &c. nos edocet, illis adhuc temporibus cæteras Patriarchales Eccleſias vocatas fuiſſe Apoſtolicas: unde ad diſtinctionem illarum Agatho ſcribit: *Epiſcopus ſanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ.*

XI. Nono maxime notanda formula ſubſcribendi octo Epiſcoporum Italiæ qui poſt Agathonem epiſtolam obſignarunt. Andreas *gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Oſtienſis Eccleſiæ*: Agnellus *gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Terracinenſis*, & ita de aliis. Enimvero ſupinam Vallii ignorantiam comdemnat: quem non puduit aſſerere formulam hanc qua hodierni Epiſcopi utuntur in ſuis literis ſcribendis, *N.*

Dei

Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus, esse antiquissimam: *quia*, inquit, *Galli acerrimi semper fuerunt suæ libertatis vindices, neque hoc jugum sibi passi fuissent imponi, nisi una cum nascente Ecclesia ortum habuisset*: parte III quæst. 6. de Suprema potestate Papæ. Ex quo efficere vult jurisdictionem Episcopalem à solo Papa non à sacris electionibus conferri. At si homo exiguæ lectionis hujus rei veritatem minus ex Antiquis haurire potuit monimentis, saltem Regius Theologiæ Professor suum Magistrum sententiarum legisse debuerat, apud quem in fronte articulorum Parisiensium epistolam Stephani Episcopi Parisiensis ita inscriptam reperisset: *Universis præsentes literas inspecturis Stephanus permissione divina Parisiensis Ecclesiæ minister indignus, Salutem*, &c. Ivo pariter Carnotensis passim in suis epistolis eadem utitur inscriptione. At Stephanus Parisiensis florebat anno 1287 & Ivo 1088. Hercle dum Vallius memoratam formulam à se laudatam ab Ecclesiæ incunabulis ortam ariolatur: seipsum pueri irridendum exponit, qui eam ex perniciosissima semente Concordatorum Bononiensium fruticari, atque hominum ambitiosorum adulationibus quotidie irrigari & adolescere norunt. Profecto, quamquam Episcopus Parisiensis in suis literis Vallii formula hodie utatur: nihilominus æque suam auctoritatem & jurisdictionem immediate à Deo derivat quam Papa: & dum aliquem à peccatis

 absol-

absolvit, aut leges condit, id gratia & auctoritate divina immediate facit, sicut & Paulus V Pontifex maximus: ratio est, quoniam utrique nimirum & Henrico Gondio & Paulo V, Christi & Ecclesiæ auctoritate potestas immediate una cum ordinis Episcopalis & tituli collatione confertur: licet hæc fiant & administrentur hominum ministerio. Ex quo accidit ut neque Pontificis, neque aliorum Episcoporum ecclesiasticæ actiones ratæ esse possint in cœlo, nisi nomine, auctoritate, proposito, & intentione Ecclesiæ cujus sunt ministri atque dispensatores, gerantur. Siquidem Ecclesia collectim sumpta claves & jurisdictionem tamquam per dominium, proprietatem, originem, & ad modum causæ efficientis possidet: unde eas conservat & propagat: Papa autem & Episcopi distributive & seorsim capti, illas solummodo ministerialiter, quoad usum, exequutionem, & exercitium capessunt: quam in rem uberrime disseruimus in defensione libelli de ecclesiastica & politica potestate, atque omnia argumenta adversariorum difflavimus; sunt enim *puræ putæ nebulæ sine aqua, quæ à ventis ambitionis circumferuntur: arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris*: quoniam solis elenchis & phantasticis imaginationibus hominum ambitiosorum fulciuntur. Cæterum postquam singulos apices harum duarum suggestionem attente & dogmatice consideravi,

ravi, nihilque monarchici in eis reperire potui, quod Curiæ Romanæ placitis faveret, rogatos velim adversarios, forsitan enim in sua causa oculatiores & magis lyncei erunt ut vel tenuem umbram suæ absolutæ monarchiæ hic nobis designare occipiant; magnam quidem apud me inibunt gratiam.

Actione v & vi Constantinus Imperator qui Synodo præsidebat, Macario Antiocheno Patriarchæ ejusque assеclis qui Monotheletissmum propugnabant, imperat, ut, quæcumque ex sacris Scripturis, Conciliis, & Patribus Antiquis, pro suæ opinionis defensione luberet, expromerent. Nam hic mos erat tum usitatus in definiendis controversiis, ut supra probatum est, in prima Synodo Ephesina. Ubi autem Macarius quæ sibi visa sunt collegit atque exhibuit, ea Princeps optimus & piissimus sigillo suo, ne quid immutaretur, communiri ac diligenter asservari præcepit.

Actione vii legati Agathonis, testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus suggestio Agathonis referta est, exponunt. Enimvero hoc inter Agathonis & Synodi Romanæ suggestionem positum est discrimen, quod Agatho allatis testimoniis rationem suæ fidei reddat: Synodus vero rem nude ac simpliciter explicet atque definiat: nihil enim ineptius est lege cum prologo: siquidem definitio Synodalis vim habet legis: non autem simplex scriptio aut narratio Papæ, cui tan-

tum creditur quantum est juri divino, naturali & canonico conformis.

Actione VIII Imperator cum à Georgio Constantinopolitano, & Macario Antiocheno petiisset, an sensum suggestionum directarum ab Agathone ejusque Synodo admitterent, Georgius Constantinopolitanus respondit, se illa testimonia laudata ab Agathone cum auctoribus genuinis, unde excerpta fuerant, in Patriarchio Ecclesiæ Constantinopolitanæ contulisse, eaque vera comperisse, ac proinde se ejusdem esse prorsus sententiæ cum Agathone: unde cum antea auctor fuisset Imperatori cum Macario Antiocheno ut Vitalianum Papam ex sacris diptychis deleri juberet, supplex ab Cæsare petit, quatenus jubeat nomen Vitaliani retineri in sacris Ecclesiæ tabulis. Quare tota Synodus in has exclamationes laudatorias personat: *Constantino Magno Imperatori multos annos*, &c. Agathoni orthodoxo PP. *multos annos: Georgio orthodoxo Patriarchæ multos annos.*

XII. Quibus ita gestis sancta Synodus petit à Macario Antiocheno ut suæ fidei rationem reddat, ac plane & distincte dicat: utrum confiteatur in Christo duas operationes naturales, inconfuse, & indivisibiliter, & sequi velit suggestiones ab Agathone ad Imperatorem missas, &c. Ad hæc Macarius eadem quæ actione prima respondet: nimirum se cum Præsulibus Constantinopolitanis Sergio, Paulo,

lo, Pyrrho, & Petro, nec non etiam cum Honorio ſentire & credere: nec duas dicere naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, etiamſi membratim incideretur, aut in mare projiceretur. Quibus confectis teſtimonia ab eodem Macario prolata leguntur, collataque cum authenticis exemplaribus corrupta atque detruncata reperiuntur. Quare Imperator ſic Macarium affatur: *Edicat Macarius Deo amabilis Archiepiſcopus, ut quid hæc quæ neceſſaria ſunt circumcidit de teſtimoniis ſanctorum Patrum à ſe productis? Ego*, inquit, *illa teſtimonia quæ defloravi, ſecundum proprium intentum defloravi.* Qua ex reſponſione hominis hæretici verſipelle ingenium dignoſcitur. Sancta autem Synodus contra illum pronunciat: *Non congruere orthodoxis ita circumtruncatas ſanctorum Patrum voces deflorare: hoc potius proprium eſſe hæreticorum:* Contra Macarius rependit, *ſe id feciſſe quia propriam ſententiam ſtabilire quæreret.* Quæ velim conſiderate perpendantur à Vallio qui in nulla ducit religione, ſententias & Patrum teſtimonia quibus pro ſua opinione firmanda utitur, caſtrare, adulterare, in alium ſenſum à genuino violenter detorquere, ac mihi ipſi ea imponere quæ non dico: *ut dum perhibet me docere Chriſtum claves dediſſe bajulis, laniis*, &c. de quibus propriis locis actum eſt.

Actione IX Patres declarant, Macarium

cum asseclis ab omni sacerdotali dignitate & ministerio esse alienos quod doctrinam Patrum corrupissent, atque hæreticorum sensum assumpsissent.

XIII. Actione x Patrum testimonia in suggestione Agathonis prolata, nec non pariter alius codex, quem legati ejusdem Agathonis super eadem controversia obtulerant, cum libris authenticis coram tota Synodo conferuntur, & verissima comprobantur: quod examen publicum & Synodale est: illud autem cujus octava actione mentionem fecimus, singulare & proprium fuit Georgio Constantinopolitano Archiepiscopo. Ex hac vero forma synodice examinandi sententiam Agathonis & Concilii Romani, quatuor colligimus: Primum, Patres sextæ Synodi clare docere, quidnam tenendum sit de propriis motibus Papæ, atque infallibili auctoritate, quam curiales ei arrogant: si enim Synodus generalis acta Synodi Romanæ diligentissime examinat, quanto magis quæ à solo Papa proficiscuntur expendi debent. Secundo, cognoscimus etiam, decreta synodalia Concilii Patriarchalis Papæ nequaquam obligare Ecclesiam universalem, nisi hæc nominatim consensum præbeat. Tertio, merum esse commentum Curialium, Papam jure divino esse absolutum monarcham Ecclesiæ universalis: hoc enim si esset, Patres omnium Synodorum generalium graviter peccassent in jus divinum, quando

quando decreta Synodorum Romanarum, quibus Romani Episcopi præfuerunt; ad incudem examinis revocarunt. Quarto hinc planum redditur ecquid de hac regula Agathonis tenendum sit, Dist. 19. Can. *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ*. Quandoquidem, per Apostolicas sanctiones non privati motus, sed decreta synodalia consensu Ecclesiæ recepta & approbata intelligere oportet.

Actione XI epistola synodica Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani ad Sergium Constantinopolitanum, qui Monotheletismum propugnabat, enucleatur à Patribus. Et sub finem actionis ejusdem, Imperator significat se propter graves occupationes non posse reliquis conventibus interesse: interea tamen Constantino & Anastasio Patriciis provinciam mandat ut vicem suam in Synodo obirent.

XIV. Actione XII epistola Sergii Patriarchæ Constantinopolitani ad Honorium PP. & vicissim Honorii ad Sergium legitur atque expenditur; verum quia recentiores, ut proclivius sua dogmata de infallibilitate Papæ defendant, animose & pervicaciter negant Honorium fuisse Monotheletam, imo contendunt orthodoxe docuisse: ut veritas pateat, hîc summam ejus epistolæ propriaque illus verba exscribam, si prius ex Severo Sulpitio lib. II Historiæ sacræ monuero; quemadmodum in Synodo Ariminensi colore sta-

biliendæ pacis & vitandæ novitatis vocabuli ὁμοούσιος, fides Nicæni Concilii homonymiarum & ambiguitatum involucris pene ab Arrianis est obliterata: similiter Honorium Papam literis suis ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham, specie pacis fovendæ, fidem & decreta Synodi Chalcedonensis adversus Eutychem & Nestorianos omnino antiquasse. Enimvero, Sergium nominatim laudat, quod novitatem vocabuli duarum voluntatum atque operationum in Christo ad ineundam concordiam populorum dissidentium sustulerit: fundamentum Honorii est quod, licet Christus duas habuerit naturas cum differentia utriusque naturæ, & operationum divinarum, atque humanarum, nihilominus illum voluntatem humanam à divina voluntate discrepantem habuisse penitus esse impossibile: cum humanam assumpserit naturam non peccato corruptam vel fomite concupiscentiæ & lege membrorum quam Apostolus velut Tyrannum execratur, contaminatam. Qua in re graviter lapsus est Honorius, atque alios vel in suo errore confirmavit, vel eis occasionem graviter peccandi suppeditavit: docens, libertatem atque operationem naturalem humanæ voluntatis in Christo, sublatam fuisse unione Verbi cum natura humana: hoc enim non obscure indicat, quamquam tecte & involute loquatur, dum affirmat, *Christi humanitatem cum divinitate è cælo descendisse*: quæ Apol-

pollinarii fuit opinio erronea. Insuper errat, docens, *fomitem & legem membrorum ad humanam voluntatem non ad deordinationem & corruptionem naturæ peccato contaminatæ spectare*, quod diserte perhibet. Præterea hæc & similia Christi oracula, *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris*, Joannis 6. Et, *Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater*, Matthæi 26. ait minime capienda de diversa voluntate humanitatis Christi à voluntate divina: sed de dispensatione humanitatis assumptæ: ita ut Christus his locis atque aliis similibus per quandam Antropopathiam, condescensionem & accommodationem ad nostram infirmitatem usus sit, ut nos edoceret voluntati divinæ obtemperandum: unde continuo inferebat Honorius, neminem his locis uti posse ad dogmata fidei constituenda; quos proinde Grammaticis relinquendos esse statuit. Et in hoc versatur nodus totius quæstionis, quem adversarii quantum possunt devitant, & more ipsius Honorii æquivocationibus aut similibus effugiis obtegunt: sed hominem audiamus.

Scripta fraternitatis vestræ suscepimus, per quæ contentiones quasdam & novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quendam tunc monachum, nunc Episcopum Hierosolymitanæ urbis, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ Antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi prædicantem. Qui denique Sophronius ad

vestram fraternitatem veniens, querelamque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus petiit de his quæ à vobis fuerat instructus paginalibus sibi syllabis reserari: quarum literarum ad eundem Sophronium directarum suscipientes exemplar & intuentes, satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse laudamus, novitatem vocabuli, auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Nos enim in quo percepimus oportet ambulare, &c. *confitentes Dominum Jesum Christum mediatorem Dei & hominum operatum divina media humanitate Verbo Deo naturaliter unita: eundemque operatum humana infallibiliter atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate: & qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est & carneus effectus, plene Deus & homo, passiones & opprobria patitur, unus mediator Dei & hominum. In utrisque naturis Verbum caro factum, & habitavit in nobis, ipse Filius hominis de cœlo descendens*, &c. *Dum perfecto divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti: sed propter ineffabilem conjunctionem humanæ divinæque naturæ, idcirco & ubique Deus dicitur pati:* ET HUMANITAS DE COELO CUM DIVINITATE DESCENDISSE: UNDE ET UNAM VOLUNTATEM FATEMUR DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI: *qua perfecto à divinitate assumpta est nostra natura non culpa: illa profecto quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. Christus enim Dominus in similitudinem carnis peccati*

ve-

veniens, peccatum mundi abstulit, & de plenitudine ejus omnes accepimus, &c. *Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus: sed venit quærere & salvare quod perierat*, id est, *vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis. Et siqidem scriptum est*, NON VENI FACERE VOLUNTATEM MEAM, *sed ejus, qui misit me, Patris. Et non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, & alia ejusmodi, non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus: pius Magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem. Via igitur regia incedentes, ducum nostrorum semita gradientes, etsi forte quidam balbutientes, formantes se in specimen meritorum, ut possent mentes imbuere auditorum*, NON OPORTET AD DOGMATA *hæc ecclesiastica retorquere: quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt explanasse: ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare: quas neque euangelicæ vel apostolicæ literæ, neque synodalis examinatio super his habita visæ sunt terminasse: nisi fortassis, sicut præfati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt: condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum: quæ ad ecclesiastica dogmata trahi non debent: quæ unus-*

unusquisque in suo sensu abundans videtur secundum propriam sententiam explicare. Nam quod Dominus Jesus Christus Filius ac Verbum Dei per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenæ sunt literæ luculentius demonstrantes. Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent: relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vendidare. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum ejusque Sanctum Spiritum sacris literis percepimus: sed multiformiter cognovimus operatum, &c. Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare: illa videlicet refutantes quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare: ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur: aut certe si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus: stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur: præcaventes ne quorum inania arma combusta sunt, cineres redivivos ignes denuo renovent, &c. Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus: hortantes vos ut unius vel geminæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus fide orthodoxa & unitate

tate catholica prædicetis. Et subscriptio: *Deus te incolumem custodiat, dilectissime atque sanctissime frater.*

XV. Hujus epistolæ Honorii analysim sex articulis complectemur, quibus evidentissime probabitur illum fuisse Monotheletam. Et primo observandæ sunt circumstantiæ personarum, quæ illi ansam hujus scribendæ epistolæ præbuerunt: nimirum Cyrus Alexandrinus, Sophronius Hierosolymitanus, & Sergius Constantinopolitanus patriarchæ: quorum Cyrus primus docuit Christum unicam duntaxat habuisse voluntatem: idque ubi Sophronius accepit, cum esset simplex monachus, Cyro acriter obstitit, & postea factus Episcopus Hierosolymitanus Synodum habuit, atque synodicam epistolam ad Sergium Constantinopolitanum de Cyri errore misit: sicut tum moris erat, ut enim aliquo membro corporis humani laborante, cætera membra ei medicam opem ferre solent: ita nascente aliqua controversia in quadam provincia, Episcopi provinciæ aut eidem affines, & potissimum Sedes patriarchales, & Metropolitanæ, ad sanctorum communionem confugere in more habebant, ut controversia definiretur: quandoquidem ecclesiæ singulares de se invicem solicitæ esse debent; eamque ob causam Christus illas aristocratico regimine gubernanari voluit. At vero Sergius Constantinopolitanus, non modo Cyrum Alexandrinum scri-

ſcriptis ſuis defendit, verum etiam Honorium Papam, ut Cyrum tueretur, atque errorem Monotheletarum propugnaret ac orthodoxam Sophronii ſententiam damnaret, excivit. Equidem Honorius initio ſuæ epiſtolæ ad Sergium, cum de Sophronio verba facit, illum propter ſententiam quam aſſerebat ita habet contemptui, ut contra morem uſitatum, ne quidem conſacerdotis, coëpiſcopi, aut fratris nomine, vel aliquo alio humano & civili titulo eum ſalutet: quod teſtimonio eſt ſententiam orthodoxam Sophronii valde exoſam fuiſſe Honorio: cujus hæc ſunt verba: *Contentiones quaſdam & novas vocum quæſtiones cognovimus introductas per Sophronium quendam tunc monachum, nunc vero ex auditu Epiſcopum Hieroſolymitanæ urbis*, &c. Verum quando Patres ſexti Concilii, epiſtolam ſynodicam Sophronii, quam damnavit Honorius, laudant atque approbant, Cyrum vero & Sergium, quos Honorius propugnabat & laudabat, velut hæreticos condemnant, neceſſario inſurgit, Honorium eodem condemnationis telo etiam confodi; dato etiam quod nominatim non damnatus fuiſſet hac Synodo. Secundus articulus eſt, Honorium in exordio ſuæ epiſtolæ dulce atque ſpecioſum nomen pacis obtendere, & ab omni vocabulorum novitate abſtinendum proclamare, atque aliquas propoſitiones orthodoxas defigere; interea dum tamen illas, ut facilius errorem atque venenum

num

num ſuum inſinuet, quibuſdam æquivocis dictionibus involvere: *Confitentes*, ait, *Dominum Jeſum Chriſtum mediatorem Dei & hominum operatum divina media humanitate Verbo Deo naturaliter unita*, &c. uſque ad hæc verba: *Non eſt itaque aſſumpta ſicut præfati ſumus à Salvatore natura quæ repugnaret legi mentis ejus, ſed venit quærere & ſalvare quod perierat*, &c. Tertio pro ſuæ opinionis auctoramento ſtatuit, *in utriſque naturis verbum caro factum, & humanitatem Chriſti è cœlo cum divinitate deſcendiſſe*: ac proinde Chriſtum unam duntaxat voluntatem habuiſſe: *quoniam à divinitate aſſumpta eſt noſtra natura non culpa: illa nimirum quæ ante peccatum creata, non quæ poſt prævaricationem vitiata eſt. Nam lex alia aut voluntas diverſa non fuit vel contraria Salvatori: quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis*, &c. Hæc ille, quid autem clarius dici poteſt ad confirmationem erroris Monotheletarum? Putavit enim Honorius, quemadmodum natura humana Chriſti in unico ſuppoſito aut perſona divina ſubſiſtit: ſic fieri potuiſſe ut utriuſque naturæ unica tantum eſſet voluntas, ſicut unica eſt ſubſiſtentia & perſona. Quare fieri poſſe non duxit ſecundum legem mentis, & rectæ rationis, id eſt, ſecundum humanam voluntatem, ut Chriſtus refugeret aut reformidaret mortem, ſed tantum juxta corruptionem naturæ & legem membrorum: quod eſt falſiſſimum atque erroneum: & in hujus erroris confirmationem

hæc

hæc oracula Christi, *Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*, &c. sic interpretatur ut neque de divina, neque de humana voluntate Domini intelligenda esse sed per quandam accommodationem ad nostram infirmitatem dicta esse censeat: nimirum ut Christus nos facilius edoceret ac demonstraret omnem curam esse impendendam quo divinæ non nostræ voluntati obtemperemus. Hoc insuper advenit incommodi, quod Honorius ambiguitate hujus vocis fallat: *Non est itaque assumpta à Salvatore natura quæ repugnaret legi mentis ejus*, &c. Nam si naturam fomite concupiscentiæ & lege membrorum corruptam intelligit, verum est quod dicit: si autem putat impossibile humanam voluntatem à divina voluntate dissentire, ut revera id asserit, valde errat quoniam certissimum est, Christum secundum humanam naturam fuisse liberrimum: atque in procinctu passionis orando Patrem ut calicem quem erat bibiturus à se transferret, voluntatem humanitus à divina voluntate omnino discrepantem habuisse: quippe qui mortem naturali propensione secundum lumen rectæ rationis, qua omnia conservationem sui appetunt, extimesceret ac refugeret: sicque se vere hominem esse contra errorem Apollinarii ostendebat: qui error Eutychianis & Monotheletis, quasi pro fundamento erat. Quarto, dum urget Honorius nihil synodice definitum de duabus voluntatibus Christi, earumque operatio-

rationibus, fallit aut fallitur: quia in Synodo Chalcedonensi disputatum atque definitum est, *Christum secundum divinitatem esse Deo Patri consubstantialem: & secundum humanitatem B. Virgini matri & nobis omnibus consubstantialem: vere perfectum Deum & hominem anima rationali & corpore constantem: per omnia nobis similem absque peccato*, &c. Vide Actionem v Synodi Chalcedonensis: & Actionem 1 folio 26 Surianæ, 12 Bnianæ, & 75 Romanæ Collectionis, statim post libellum confessionis Eutychis: ubi *Basilius Episcopus Seleuciæ dixit Anathema partienti, anathema dividenti duas naturas post adunationem: anathema autem qui non agnoscit naturarum proprietatem*, &c. Verum quotusquisque nescit voluntatem esse naturæ proprietatem, & consequenter peculiarem habere operationem à divina voluntate & natura distinctam? Ex quo relinquitur, cognitionem & definitionem hujusmodi controversiæ facile colligi posse ex Conciliis, nisi reliquiæ Eutychianorum rectæ fidei semper obstitissent. Cæterum eo ipso quod Honorius affirmat, neque synodalibus apicibus, neque canonicis auctoritatibus hanc controversiam fuisse explanatam, liquido demonstrat quantæ tum fuerint auctoritatis apud omnes, & præsertim Romanos Pontifices Synodi atque Canones: & nullo modo fuisse persuasum hominibus Papam esse infallibilem Ecclesiæ monarcham: quæ opinio tantum invaluit post-

quam Synodi desierunt celebrari, in quorum locum Curia Romana suum commentum de Papæ infallibilitate substituit, ut expeditius de omnibus Ecclesiæ negotiis monarchice decerneret.

XVI. Prætera hinc etiam colligimus nulla alia ratione Honorium qui in errorem Monotheletarum incidit, posse validius excusari ab errore, quam quod illum defenderit antequam essent sufficienter, id est, synodice, ut tum moris erat, definitus: siquidem nascente aliqua controversia, priusquam sit sufficienter & synodice explicata & decisa; nemini, si modo unitatem & pacem Ecclesiæ, cum proposito Ecclesiam audiendi servet, vitio aut crimini esse potest, quod contra orthodoxam veritatem sentiat: ratio est, quia tum ignorantia invincibili laborat: quam solam Concilia generalia sufficienter illuminare possunt juxta apostolicam atque Ecclesiæ primitivæ disciplinam. Et hanc, inquam, sola ratione Bellarminus atque alii Curiales Honorium ab hæresi liberare possunt: qua tamen excusatione uti nolunt ne magnum vulnus & præjudicium Papæ infallibilitati infligant. Quinto, quod ait Honorius relinquendum Grammaticis, *utrum una an duæ voluntates aut operationes dici debeant in Christo, propter opera divinitatis & humanitatis quæ à Christo uno divinitatis & humantitatis operatore exercebantur*. Hercle ostendit se Theologiæ & Philosophiæ penitus ignarum:

rum: quoniam hoc ipſum quod Grammaticis relinquit, quantum quantum eſt ad Theologiam non ad Grammaticam pertinet. Annon Theologorum eſt aſſignare differentiam & proprietates divinæ atque humanæ naturæ Chriſti? Sexto, iſta Concluſio, *hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus*, &c. aperte demonſtrat, Honorio propoſitum fuiſſe dogma condere, vel ut recentiores loquuntur, *ex cathedra decernere ac definire*: quid enim eſt ſi hoc non eſt de cathedra definire, injungere alicui prædicationem publicam alicujus doctrinæ?

XVII. Actione XIII Patres ſententiam adverſus Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Petrum Paulum & Honorium Monotheletas ſtatuunt, quos anathemate feriunt, eorumque nomina à ſancta Dei Eccleſia projici jubent: & ſpecitatim declarant Honorium epiſtola ſua ad Sergium, in omnibus Sergii mentem atque impia dogmata ſequutum fuiſſe & confirmaſſe. Prætera ſynodicam epiſtolam Sophronii Hieroſolymitani damnatam ab Honorio, quæ Actione XI recognita atque Sergio Conſtantinopolitano miſſa fuerat, approbant, & cum vera fide, ſcriptis Apoſtolicis, & ſanctorum Patrum omnino concordare declarant Concilia Romæ edita in margine hujus Actionis XIII ubi ſententia contra Honorium refertur, notant *S. Maximum monachum Græcum doctorem & martyrem, per hæc tempora ſcri-*

psisse Honorium Papam in dialogo cum Pyrrho dixisse unam voluntatem Domini, non divinitatis ejus & humanitatis, sed solius humanitatis: cum enim scripsisset Sergius esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsit Honorius Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, & spiritus, ut nos habemus post transgressionem, sed unam tantum quae naturaliter humanitatis ejus est nota essentialis. Hæc ibi. Bellarminus quarto de Romano Pontifice cap. XI memorat, hunc dialogum Maximi extare in Vaticana Bibliotheca, quem Baronius paucis abhinc annis ad calcem Tomi VIII Annalium suorum edi curavit ex Francisci Turriani Jesuitæ versione. Severinus Binius illum pariter conjecit in suam collectionem Conciliorum Tomo II: ejusdem quoque meminit Photius in sua Bibliotheca: qui tamen non dicit Maximum aliquid pro Honorio excusando scripsisse. At vero, præterquam quod hæc quæ Maximus pro Honorio scripsisse dicitur sunt ambigua & æquivoca: Lectori insuper considerandum relinquo, an sit rationi consentaneum hoc Maximi monachi privatum & singulare testimonium, ex Vaticana Bibliotheca in causa Curiæ Romanæ pro Papæ infallibilitate nuper exprumptum, opponi & comparari certissimo, antiquissimo & locupletissimo trium Synodorum generalium judicio: quod ipsorum Romanorum auctoritate robur habuit, ut paulo post ostendetur?

Por-

Porro hac eadem Actione XIII, sub finem, secunda epistola Honorii PP. ad Sergium Constantinopolitanum examinatur & damnatur.

Actione XIV postulantibus legatis Agathonis, actio septima quintæ Synodi generalis, quæ supra actione tertia sextæ Synodi lecta fuerat, recognoscitur, & tanquam adulterina damnatur: propterea quod in eam liber suppositius Mennæ Constantinopolitani Patriarchæ ad Vigilium PP. & vicissim Vigilii ad Justinianum & Theodoram Augustam Justiniani uxorem irrepsisset: qui liber cum ejusdem libri auctoribus anathemate feriuntur.

XVIII. Actione XV monachus quidam Monotheleta nomine Polychronius auditur patienter à Patribus: *quamquam se fidei suæ professione mortuum suscitaturum stolide atque impie gloriaretur, Deum tentans.* Quem hominem cum Patres suaviter & secundum potestatem ministerialem sibi traditam à Christo vellent ad unionem invitare, atque ex Christi præcepto ovem errantem ad ovilia reducere, *in præsentia totius Synodi populo inspectante illum suæ fidei super cadaver hominis frustra periculum facere patiuntur.* Idque confirmat quod à bono Gersonio de potestate Ecclesiastica, consideratione XI dicitur, *neminem qui audiri velit in Concilio esse excludendum*: ut amplius disputatum est à me Axiomate XXII Apologiæ, Nihilominus iste Polychronius audacissimus atque impiissimus non propterea errorem suum ejuravit: ideoque una cum aliis Monotheletis

damnatur Actione XVI, quos inter quidam etiam Presbyter extitit, qui se *Henoticum*, id est, viam & rationem unitatis & concordiæ ineundæ reperisse jactitabat.

XIX. Actione XVII Definitio fidei conditur: cujus lectio & recognitio in Actionem XVIII, cui Imperaror Constantinus interfuit, rejicitur: Itaque omnes Patres & Princeps optimus qui propterea ad Synodum redierat, illam suis syngraphis muniunt, Cæsare ad hunc modum Patres alloquente: *Edicat sanctum & universale Concilium, si cum consensu omnium Episcoporum promulgata est definitio quæ ad præsens relecta est: Sanctum Concilium exclamavit: Omnes ita credimus, una fides: Omnes idipsum sentimus: Omnes consentientes & amplectentes subscripsimus: Orthodoxe omnes credimus: Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum: hæc est fides Orthodoxorum: multos annos Imperatori: Integritates duarum naturarum tu declarasti: Luminarium pacis Domine conserva, Martiano novo Constantino nova memoria: Novo Justiniano æterna memoria: Omnes hæreticos tu effugasti*, &c. *Theodoro Pharanitæ, & Petro anathema: Sergio & Honorio anathema: Pyrrho & Paulo anathema: Cyro & Petro anathema: omnibus hæreticis anathema*, &c. quæ Lector recognoscet: sunt enim ad typum conclusionis Synodi Chalcedonensis expressa, & clare convincunt, decreta & canones Conciliorum à communi Patrum consensu & universali sanctorum communio-

munione, non ab unius monarchæ infallibilis poteſtate robur habere. Dehinc ſequitur ſermo proſphoneticus ſive acclamatorius ad Conſtantinum Imperatorem, quo ſummatim Acta in omnibus antecedentibus Conciliis generalibus enunciantur: videlicet Conſtantinum Magnum & Sylveſtrum Papam congregaviſſe Synodum Nicænam contra hæreſim Arrii: Theodoſium Magnum & Damaſum in prima Synodo Conſtantinopolitana obſtitiſſe Macedonio: Theodoſium Juniorem cum Cœleſtino & B. Cyrillo Neſtorium dejeciſſe in prima Synodo Epheſina: Leonis PP. tuba tanquam rugitu Leonis à grege monachico Eutychem projectum Imperatoris Martiani auctoritate & Anatolii Conſtantinopolitani antiſtitis atque aliorum Epiſcoporum Eutychis & Dioſcori intelligentiam diſſipatam. *Poſtremo Vigilium PP. Juſtiniano conſonuiſſe, & quintum Concilium conſtitutum, ac tria capitula repleta abominatione damnata fuiſſe*, &c. Deinde tranſit ad geſta ſextæ Synodi *contra Theodorum Pharanitanum, Sergium, & Paulum, Pyrrhum, & Petrum Conſtantinopolitanos præſules, Cyrum Alexandriæ, & Honorium qui fuit Romæ præſul*, &c. Demum ſub finem *Patres excurrunt in laudes Imperatoris quod unitatis Eccleſiarum mediator effectus ſit: ſed benigniſſime Domine & amator juſtitiæ ei qui tibi potentiam largitus eſt hanc gratiam recompenſa*, inquiunt: ET HIS QUÆ A NOBIS DEFINITIA SUNT SIGNA-

 CULUM

CULUM TRIBUE: *vestram in scripto Imperialem ratihabitionem, & per edicta divalia atque per pias constitutiones* EX MORE, EORUM OMNIUM FIRMITATEM *quatenus nullus his, quæ gesta sunt, aut contradicat, novamve quæstionem machinetur,* &c· Qua oratione Patres explicate & nominatim flagitant ab Imperatore, ut de more aliorum Imperatorum qui eum præcesserunt atque alia Concilia confirmarunt, & in rem judicatam sigillis atque edictis suis mitti voluerunt, sextam Synodum sigillo suo & auctoritate corroboret. Quid si Vallius aut Curiales, tale testimonium de confirmatione actorum ab suo infallibili monarcha quæsita proferre possent, quantis Deus bone exultarent gaudiis! quas turbas contra me & ornatissimum virum Simeonem Vigorium exciretur! Verum enimvero ad Patres sextæ Synodi redeo, qui ubi gesta obsignarunt, aliquanto post supplices ab Constantino Pogonato postulant, ut ad majorem orthodoxæ fidei stabilitatem & confirmationem, exempla definitionis Synodi cum Patrum & Cæsaris subscriptionibus jussu ejusdem Cæsaris quinque Sedibus Patriarchalibus traderentur. *Constantinus piissimus Imperator dixit: Quod etiam nunc à sancto & universali vestro Concilio petitum est pie conficiemus. Itaque Imperator hoc ordine præbet exempla definitionis Synodi* SUA OBSIGNATA MANU *quinque Sedibus Patriarchalibus:*

Apostolicæ Sedi sancti & Principis Apostolorum Petri

Petri nempe Agathoni sanctissimo Papæ senioris Romæ.

Sedi sanctissimæ Catholicæ & Apostolicæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, sive Georgio sanctissimo & beatissimo Patriarchæ.

Apostolicæ Sedi sancti Euangelistæ Marci qui honoratur in Alexandrinorum magna civitate per Petrum Deo amabilem Presbyterum monachum & Vicarium.

Sedi Antiochensium sive Theopolitarum magnæ civitatis, per Theophanem venerabilem & sanctissimum Patriarcham.

Sedi Sanctæ Christi Dei nostri Resurrectionis, id est, Hierosolymorum, obtinente locum ejusdem honorabilissimæ Sedis Theodoro Deo amabili Presbytero per Georgium Presbyterum monachum Sebastenum qui postea Patriarcha Antiochenus fuit.

Hæc in editione Romana leguntur Actione XVIII, nosque primum edocent, ordinem Sedium Patriarchalium atque Sedem Constantinopolitanam secundas obtinere post Romanam, ut etiam liquet ex omnibus actionibus & subscriptionibus, in quibus Georgius Constantinopolitanus loquitur & subscribit post Vicarios Agathonis PP. Secundo demonstrant, omnes Sedes Patriarchales dici Apostolicas: Quare in Analysi XVI Actionis Synodi Chalcedonensis, Leo Magnus frustra causabatur Constantinopolitanam effici non posse Sedem Apostolicam in præjudicium Canonum Nicænorum atque aliarum Se-

dium. Tertio nomen Papæ uni Agathoni hic defertur, quamquam olim commune esset omnibus Episcopis, ut liquet ex Cypriani, Augustini, & aliorum Patrum epistolis.

Verum in editione Binii & Surii statim post Synodi conclusionem, & Patrum atque Imperatoris subscriptiones obvium habemus edictum Constantini Pogonati super actorum comprobatione & confirmatione: deinde subsequitur epistola ejusdem Cæsaris ad Agathonem, præterea in collectione Surii habetur epistola synodalis ad Agathonem: quæ neque apud Surium, neque in aliis antecedentibus editionibus extat. Utut sit, genuinus ordo servatus à Patribus est, ut edictum Imperatoris ejusque epistola ad Agathonem præcedant, ob ea quæ in prima Synodo Ephesina & Chalcedonensi super eadem re notavimus. Veruntamen in editione Romana epistola synodalis ad Agathonem Edicto Imperatoris præponitur: in quo hæc apprime notanda se offerunt, quibus Princeps acta omnia confirmat.

XXI. Et primo, ubi narravit Theodorum Pharensem Episcopum, Sergium Constantinopolitanum, Honorium antiquæ Romæ Episcopum, Cyrum Alexandrinum, &c. Macarium quoque Antiochenum damnatos fuisse à Patribus sextæ Synodi, paulo post hæc subjicit: *Idcirco & nos quæ ab eis* DEFINITA SUNT CORROBORARE ATQUE FIRMARE CUPIENTES,

TES, *præsens pium Edictum edidimus, vera circa divinitatem fidei secundum ecclesiastica statuta adnuncians confessionem: Credimus in Partem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate, unam substantiam in tribus subsistentiis*, &c. quæ facta sunt imitatione Justiniani qui in suis edictis confessionem suæ fidei conformiter ad Concilia generalia inclusit. Et hoc Curiales, ut in historia quintæ Synodi generalis notavimus, ad suum commodum rapiunt: quasi Cæsares esse non possent, nisi suæ fidei professionem mitterent Romam. Verum hujusmodi edicta non soli Romano Pontifici sed & omnibus aliis Patriarchis, imo & Magistratibus ut in rem judicatam venirent, dirigebantur, unde Constantinus Pogonatus ita edictum suum claudit: *Si quis vero hominum personis gratiam exhibet; Charitatis autem in Deum æmulatorem se non demonstrat, præsentemque nostram piam constitutionem non recipit, si quidem Episcopus est vel Clericus, aut monachico circumdatus est habitu, deportationis pœnam exsolvet. Si vero in ordine dignitatum insertus est, supplicio proscriptionis multabitur, eique cingulum adimetur. Si autem idioticæ sortis est, ex hac regia omnique penitus nostra civitate extorris addicitur, & super hæc omnia etiam terribilis atque inexpiabilis judicii non effugiet cruciatum.* Hæc autem plane conformia sunt edicto Martiani Cæsaris super confirmatione Actorum Synodi Chalcedo-

cedonensis: qui quidem pariter temporales statuit pœnas Clericis atque Episcopis in rectam fidem peccantibus: quod & à Constantino Pogonato similiter fieri videmus.

XXII. Hic obiter notandum, Christianam rempublicam mille atque amplius annorum decursu, nunquam pœnas capitales religionis ergo inflixisse: neque Arrium, Macedonium, Nestorium, Eutychem, aut Dioscorum, cæterosque hæresiarchas cum suis asseclis, alio genere pœnæ quam excommunicatione & exauctoratione gradus atque dignitatis sacerdotalis multavisse: relicta Principibus politicis facultate pœnas temporales inferendi: qui solo exilio & deportatione aut multa pecuniaria in hæreticos animadvertebant: ut historiarum lectione compertum est. At hodie Curia Romana sibi potestatem etiam pœnas capitales in hæreticos & Reges ipsos decernendi arrogat. Proculdubio hæretici omnium primi *Imperium in Ecclesiam effuderunt*, ut ait S. Athanasius: hoc est, vi atque armis religionem cogere docuerunt; Arriani nimirum, Donatistæ, Vandali, atque alii, quos tamen Orthodoxi primis seculis nunquam imitari voluerunt: eamque ob causam SS. Athanasius & Hilarius graviter de Constantino Imperatore, quod religionem vi atque armis cogeret, conqueruntur. Severus autem Sulpitius lib. II Historiæ sacræ sub finem, & Dialogo III refert S. Mar-

S. Martinum nunquam ſe illorum Epiſcoporum communioni immiſcere voluiſſe, qui auctores fuerant Maximo Imperatori ut Priſcillianiſtas ferro exſcinderet : *Siquidem contendit ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati Eccleſiis pellerentur : novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ judex ſeculi judicaret.* Hæc autem divino afflatu dicta & facta à B. Martino eventus perdocet, quoniam S. Martinus *cum ad horam coactus fuiſſet cum Ithacio & aliis Epiſcopis communicare, qui Imperatori conſulebant, ut ferro in Priſcillianſtas ſæviret, ſenſit detrimentum divinæ virtutis : atque Angelum conſolatorem habuit, qui illum ſic eſt affatus : Merito Martine compungeris, ſed aliter exire nequiviſti; repara virtutem, reſume conſtantiam, ne jam non periculum gloriæ ſed ſalutis incurreris.* Hic forſan objiciet aliquis Sozomenum lib. 1. cap. 20. memorare, *Conſtantinum Magnum edixiſſe, ut qui aliquem librum Arii occultare deprehenderetur, ac non illico productum incenderet, capitis multaretur ſupplicio.* Reſpondebis primum hoc ad interminationem ſpectare, ut ex eodem capite liquet, ubi nominatim dicitur *Conſtantinum minatum eſſe ſe illum ſupplicio affecturum qui Arrianos vel laudare, vel eorum doctrinam amplecti aggrederetur.* Secundo Imperatorem & Principem politicum jus habere capitaliter eos puniendi qui edicta ſua violant pervicaciter, hic enim eſt manifeſtus poteſtatis politicæ contemptus, atque ordinis publici ac pacis conturbatio,

tio, quæ gladio ſarciri debet: verum obiter monendus lector, falſo Canonem *Qui contra* 24. *quaſt.* 1. attribui Liberio Papæ: quo edicitur, *ut hæretici, quique pacem Eccleſiæ turbant, dignitatibus, bonis temporalibus, verberibus, exilio, atque aliis ejuſmodi pœnis corporalibus multentur*. Hac enim poteſtate Eccleſia minime prædita eſt, quare ille Canon plane adulterinus habetur, ſicut & epiſtola Liberii unde excerptus perhibetur.

At vero poſt Cæſaris Pogonati edictum, legitur ejuſdem epiſtola ad Synodum Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ; idque ſecundum collectionem Binii & Surii: Romana autem editio præmittit ejuſdem Conſtantini Pogonati epiſtolam ad Leonem II Papam, qui Agathoni ſucceſſit: ſed male; quoniam altera epiſtola ad Synodum Apoſtolicæ Sedis ſub Agathone debet præire ſicut Agatho Leonem præceſſit. Cæterum memorata epiſtola Imperatoris ad Leonem non extat in collectione Surii, ſed duntaxat in Romana & apud Binium inter Leonis II epiſtolas, ubi notat ſuſpectam eſſe teſte Baronio Tomo VIII ad annum Chriſti 683, numero 6.

XXIII. Itaque quod eadem epiſtola dicitur *omnes Patres ſextæ Synodi precatos Imperatorem, ut Macarium Antiochenum Romam mitteret: ſicque ſe feciſſe*, ait Conſtantinus: *veſtro paterno judicio omnem ejus cauſam permittentes*, &c. eſt ſuſpectæ fidei: videturq; fabricatum ex ambigua

gua voce quæ legitur in epiſtola ejuſdem Imperatoris ad Synodum Apoſtolicæ Sedis ſub Agathone cujus ſupra memini, ubi de Macario ita loquitur: *Hic quidem qui Antiochenſium factus eſt præſul Macarius, quem non oportet dicere Macarium, & qui cum ipſo de ordine Chriſti diſceſſerunt: cujus univerſalis conventionis communi ſententia de ſacerdotali dignitate repulſi ſunt, &* PROBATIONI SANCTISSIMI PAPÆ *traditi ſunt.* Hæc ibi. Scio Petrum Vicarium Adriani I PP. Actione I ſeptimæ Synodi verſus finem referre, Benedictum Papam *Leonis II ſucceſſorem dediſſe quadraginta dies eidem Macario ad reſipiſcendum, & per ſingulos dies ad eum miſiſſe Bonifacium ſuum Conſiliarium, ut illum flecteret ad pœnitentiam, atque Macarium nullo modo induci potuiſſe ad rectam fidem*, &c. Sed veriſimile eſt hoc eadem manu ſcriptum qua ſuperior epiſtola, quæ narrat Macarium miſſum Romam. Idque confirmatur lectione actorum ſeptimæ Synodi: Nam cum Actione I aliquot Epiſcopi qui errorem Iconoclaſtarum imbiberant, atque Taraſio Conſtantinopolitano vim intulerant, ſe ad ſeptimam Synodum contuliſſent, ut errorem ſuum abjurarent: hinc Patres ſeptimæ Synodi occaſionem ceperunt quærendi & diſputandi, *quidnam conſtituendam eſſet de iis qui ab hæreſi ad ſanctam Catholicam Eccleſiam accederent: nec non etiam de iis qui ordinati fuerant ab hæreticis?* quam in rem varios Canones & ſententias Patrum proferunt: quandoquidem

dem illi Episcopi qui se errore Iconoclastarum inquinarant, aliquos sacris ordinibus donarant: in hac ergo disquisitione Canonum & sententiarum, Petrus Vicarius Adriani omnino importune & extra rem memorat, *Benedictum PP. dedisse quadraginta dies Macario ad resipiscendum, & per singulos dies ad eum misisse suum Consiliarium Bonifacium*, &c. quæ tam aliena sunt à proposito, ut nullus sit qui id non videat: ratio est, quia neque antea neque post ullum verbum de Macario Antiocheno ab aliis Patribus emittitur. Hercle cum de Papæ potentia agitur, lector debet diligenter ad testimonia quæ in eam rem proferuntur attendere: atque antecedentia & subsequentia, & utrum his postremis seculis edita sint in lucem, considerare. Si enim Bellarminus de infallibili Papæ judicio disputans lib. IV de Romano Pontifice cap. 1, laudansque caput 17 Deuteronomii, *Veniesque ad sacerdotes Levitici generis qui indicabunt tibi judicii veritatem:* In nulla religione duxit sacram Scripturam corrumpere, & singularem pro plurali in favorem Papæ hoc modo substituere: *Veniesque ad sacerdotem Levitiei generis*, &c. Profecto debemus valde esse circumspecti in examinandis omnium auctorum testimoniis, quæ auctoritati Pontificiæ aut contra aut supra Canones aliquid adscribunt: cum à multis annis Romani scriptores suam absolutam monarchiam meditentur, *& eum in finem mutent quadrata rotun-*

rotundis, inducant, illinant, castrent, expurgent, supponant, &c. *sine ulla quidem verecundia.* Cæterum nisi Baronii notæ ad epistolam Constantino ad Leonem II adscriptam me suppositionis monuissent, certe ad relationem Petri Vicarii Adriani prima actione septimæ Synodi minime attendissem, eamque pro genuina admisissem. His præterea accedit, Leonem II epistola qua Synodum sextam comprobat, aut in aliis suis epistolis, nullam facere mentionem Macarii ad se Romam missi. Sed ut ad institutum revertar, in editione Binii post epistolam Constantini directam ad Synodum Romanam legitur epistola synodalis sexti Concilii ad Agathonem, quem Patres *Antistitem universalis Ecclesiæ nominant:* Idque ad oram Epistolæ notavit Binius: quo de vocabulo *Oecumenico*, scilicet agetur in Historia septimæ Synodi. Deinde Patres narrant se ex sententia Agathonis & Synodi Romanæ lata secundum eorum suggestiones anathemate feriisse Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, Petrum, &c.

XXIV. Dum autem hæc agerentur à Patribus sextæ Synodi, contigit ut Agatho viam universæ carnis ingrederetur, & Leo II in illius locum sufficeretur: qui eam ob causam literas Patrum sextæ Synodi ad Agathonem recepit, eisque respondit literis quas misit ad Constantinum Pogonatum: quæ habentur in

fine sextæ Synodi secundum editionem Romanam & Surianam: apud Binium vero inter epistolas Leonis II, hæcque Leo narrat *se cum divalibus apicibus Imperatoris, gesta Synodalia magno cum jucunditatis gaudio in Domino exultantes suscepisse & cum gratiarum actionibus exclamare cœpisse: Domine salvum fac regem & exaudi eum in die in qua invocaverit te*, &c. *Igitur gestorum synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula quaque gesta sunt flagitantes eadem quæ Apostolicæ Sedis legati narraverant scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim quod sancta & universalis & magna sexta Synodus quæ per Dei gratiam imperiali decreto in regia urbe nuper congregata est, eadem quæ & universum Concilium, alludens huic sanctæ Sedi Apostolicæ cujus ministerio fungimur, senserit atque decreverit sub orthodoxæ fidei integritate, regulisque Majorum: atque concorditer nobiscum confessa est, unum esse de sancta & inseparabili Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum, ex duabus & in duabus naturis inconfuse, inseparabiliter, indivise consistentem*, &c. Item aliquanto post. *Idcirco & nos per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer & unanimiter his quæ definita sunt ab ea consentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram qui Christus est & ab ipso Domino adeptis firmitatem. Propterea sicut suscepimus atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia Concilia, Nicænum*, &c. *Ita & quod nuper in regia urbe pio vestræ Serenitatis adnisu celebratum est*

san-

sanctum sextum Concilium, ut eorum pedissequum, & ea interpretans pari veneratione atque censura suscipimus, & hoc cum eis digne connumerari tanquam una & æquali Dei gratia congregatum decernimus: & qui in eo fideliter convenerunt Christi Ecclesiæ sacerdotes, inter sanctos Ecclesiæ Patres atque Doctores adscribendos æque censemus, &c. *Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores magis quam Præsules: necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed prophana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. Et omnes qui in suo errore defuncti sunt*, &c.

Porro quoniam in hac Leonis II epistola pro confirmatione gestorum sextæ Synodi Honorius PP. damnatur hæreseos, & continuo mortale vulnus infallibilitati monarchæ absoluti infertur: ideo Baronius atque Binius in notis suis, ad memoratam epistolam Leonis, eidem epistolæ repudium dicere laborant: sed frustra, quando damnatio Honorii robur habet à communi & synodico consensu Patrum, non à confirmatione Papæ, ut superius ostendimus. Deinde ut argumento ad hominem Baronium atque alios Curiales confodiamus: apud illos invaluit Sedem Romanam acta omnium Synodorum illibata servavisse, & ex ejus scriniis istarum rerum veritatem,

non aliunde, hauriendam: quod multo magis locum habere debet in ſexta Synodo quam in omnibus aliis: propterea quod Officium Romanum in feſto B. Leonis II, die XXVIII Junii in lectionibus refert *Leonem probaſſe acta Synodi præſidentibus legatis Apoſtolicæ Sedis præſente quoque Conſtantino Imperatore & duobus Patriarchis Conſtantinopolitano & Antiocheno, ac centum ſeptuaginta Epiſcopis, eamque in Latinum tranſtuliſſe*: Propria ſunt verba, quæ demonſtrant Curiales fruſtra eſſe in probando Acta ſextæ Synodi à Græcis Sedis Romanæ æmulis corrupta & nomen Honorii in Acta falſo conjectum: cum hic nominatim doceamur, Leonem acta ex Græco in Latinum tranſtuliſſe. Quis autem credat Sedem Romanam ejuſmodi Acta à S. Leone converſa non diligenter aſſervaſſe: & ſi animadvertiſſet Græcos exempla adulterina protuliſſe, non ſtatim illa falſitatis accuſaturam, atque genuina à Leone II converſa exhibituram contra Græcorum falſitatem? hoc autem cum neque his poſterioribus ſeculis à Baronio, Bellarmino, aut aliis factum fuerit: id certiſſimo eſt teſtimonio, Acta ſextæ Synodi, quæ habemus, eſſe integerrima, & nulla alia extare in Vaticana Bibliotheca, quam quæ à multis ſeculis terimus manibus: quæque à paucis annis Romæ edita ſunt cum aliis Conciliis. Nemo certe qui ſtudium atque diligentiam Curialium in tutanda abſoluta Papæ monarchia nove-

noverit, sibi unquam persuadebit, illos hac in parte tam oscitantes aut negligentes fuisse, ut quamprimum ejusmodi Acta (si ulla alia extarent) cum disputatione quam S. Maximus monachus cum Pyrrho habuit, non evulgassent. Equidem Honorium fuisse Monotheletam tam certum est quam quod certissimum: ecquis enim post testimonium sextæ, septimæ & octavæ Synodi generalis hoc in ambiguum vertere audebit, nisi impius, suumque privatum & singulare judicium judicio totius Ecclesiæ Catholicæ anteponens, atque viam omnibus hæreticis instruens, ad revocanda in dubium omnia, quæ generalibus Conciliis definita sunt? vide Melchiorem Canum lib. VI de locis Theologicis cap. ult. Verum Imperator Pogonatus *non tantum præsens fuit in sexto Concilio*, ut habet Officium Romanum; *sed etiam ibidem cum suis Judicibus & Patritiis præsedit*, sicut Martianus in Synodo Chalcedonensi: hoc enim ex omnibus Actionibus sextæ Synodi exploratissimum redditur.

XXV. His ita de sexta Synodo constitutis, superest ut in causam Honorii PP. altius inquiramus, quem Curiales velut orthodoxum mordicus defendunt: & quoniam argumenta Bellarmini lib. IV de Romano Pontifice cap. 11. plus videntur in speciem habere roboris, unde alii scriptores ea communiter proferunt, de illis sigillatim disputabimus. Et primo quidem Bellarminus ut Cani argumen-

tis satisfaciat respondet, epistolas Honorii ad Sergium *forte confictas esse à Græcis*: genuina sunt verba: quæ confirmare tentat, quod solenne sit hæreticis permulta alia adulterare, ut patet ex Actione septima quintæ Synodi, de qua egimus Actione III & XIV Concilii sexti. Sed rependo Bellarminum adjectione adverbii dubitandi *fortasse*, suam causam pessumdare, ac sese hominibus judicio præditis irridendum præbere. Et dato quod Acta quintæ Synodi corrupta fuissent à Græcis, ut corrupta fuerunt, non continuo probatum manere nomen Honorii obrepsisse in Acta sextæ Synodi: cum præsertim videamus statim atque Acta quintæ Synodi pro auctorando Monotheletismo prolata sunt, legatos Agathonis exclamasse Acta illa esse corrupta: contra vero ubi audiunt Macarium Antiochenum citare Honorium Papam pro sui erroris tutela, & epistolam Honorii ad Sergium examinari atque damnari communi consensu, sponte dant manus veritati atque Honorium cum aliis condemnant. Adde insuper epistolam Constantini ad Donum Papam testari, antequam ulla esset mentio habendæ Synodi, Gregorium Constantinopolitanum & Macarium Antiochenum auctores fuisse Imperatori ut nomen Vitaliani Papæ ex sacris tabulis abradi, atque nomen Honorii retineri juberet: ipsumque Gregorium Constantinopolitanum ubi testimonia in Agathonis suggestione prolata re-

recensuit, priorem sententiam mutavisse, & rogasse Imperatorem, ut nomen Vitaliani retineretur in sacras tabulas. Hercle cum in viginti diversis locis atque amplius, nomen Honorii ex professo native insitum sit actis sextæ Synodi; impossibile est illud esse obreptitium aut suppositium ut liquido acta mature legentibus, constabit.

Secundo obtendit Bellarminus, in epistolis Honorii *nullum errorem contineri: quia Honorius confitetur quod ad rem attinet duas in Christo voluntates & operationes: & solum prohibet nomina unius vel duarum voluntatum, quæ tunc erant inaudita, idque prudentissimo consilio.* Attexit in epistola secunda quæ Actione XIII extat, *Honorium utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices, & divinam quæ Dei sunt operantem, & humanam quæ carnis sunt exequentem proferri*, &c. Respondeo Bellarminum hic pro certo assumere quod est maxime inter nos controversum: imo repugnare definitioni sextæ Synodi quæ epistolas Honorii tanquam erroneas, ut revera sunt, damnat. Superius Actione XII proposuimus Analysim prioris epistolæ Honorii, qua sole clarius est illum fuisse Monotheletam: neque quisquam singulas ejus clausulas examinarit, qui id negare possit. Quod attinet ad secundam epistolam: Honorius quidem uno in loco confitetur *utramque naturam in Christo unitate natura-*

li copulatam cum alterius communione operantem, &c. Verumtamen statim post subnectit: *Non oportere unam vel duas operationes prædicare, sed pro una operatione oportere unum operatorem Christum in utrisque naturis confiteri: & pro duabus operationibus ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis & carnis assumptæ in una persona unigeniti Filii Dei inconfuse, indivise & inconvertibiliter prædicare*, &c. Quibus vocibus plane ambiguis atque involutis venenum suum tegit. Fallit autem Bellarminus à divisis ad conjuncta, quia non conjunctim sed separatim propositiones Honorii capit: eaque dividit quæ simul conjungi & interpretari debent. Hinc pariter promptum erit sophisticas Valli argutias demoliri, qui II parte quæst. IV. libri de Suprema potestate Papæ fingit *Honorium definivisse esse abstinendum à nominibus duarum aut unius voluntatis Christi, sicut Clemens* VIII *statuit ne quispiam in quæstione de auxiliis alterutram partem condemnaret*. Quæ argutia satis Actorum veritate & lectione epistolarum Honorii confutatur. Adde præterea Honorium illo tempore non id potuisse statuere quod Clemens VIII. quoniam tum absoluta Pontificum Imperia non fervebant, sed omnia Synodis & aristocratico regimine peragebantur in Ecclesia: Pontifices autem ea exequutioni mandabant quæ statuta synodice fuerant.

Tertio, Bellarminus exhibet S. Maximi mona-

monachi testimonium qui tempore Honorii vixit in dialogo quem habuit cum Pyrrho Monotheleta: quo de argumento dictum est supra Actione XII & in responsione ad secundum, ubi docuimus quid ex rei veritate de Honorii epistolis sit tenendum.

Quarto, iterum contendit, in Epistolis Honorii nullum esse errorem, quod satis depulsum est Actione XII & responsione ad secundum argumentum Bellarmini.

Quinto urget, nomen Honorii Actis sextæ Synodi insertum ab æmulis Ecclesiæ Romanæ: idque tribus probat conjecturis. Primum, quia hoc testatur Anastasius Bibliothecarius in Historia sua ex Theophane Isauro. Secundo, quia mos fuit Græcorum fere ordinarius corrumpendi libros, ut patet ex quinta Synodo in quam epistolas Mennæ ad Vigilium & vicissim Vigilii ad Justinianum falso inseruerant. Attexit & conquestionem S. Leonis atque Gregorii Magni: quorum ille epistola 83 ad monachos Palæstinos de nonnullis queritur, qui aut imperite aut maligne ejus epistolam ad Flavianum ex Latina in Græcam linguam transtulerant: hic vero lib. V epistola 114 ad Narsem Comitem asserit Constantinopolitanos adulterasse Synodum Chalcedonensem, ac idem suspicari de Ephesina: Romanos autem neque acumina, neque imposturas habere. Tertio Nicolaum I in epistola ad Michaëlem Imperatorem idem testari. *Si ergo*, ait

Bellarminus, *Græci corruperunt tertiam, quartam, quintam & septimam Synodum, quid mirum si etiam sextam corruperint?* O plumbeum argumentum! dato enim quod Græci quædam acta quintæ Synodi adulterarint an sequitur hanc Synodum qua de agimus interpolasse? quia ex vulgari axiomate Dialecticorum, adferre incommodum non est solvere argumentum. Hercle ante hæc tempora quibus absoluta infallibilis monarchia Papæ pro dogmate Catholico venditatur, nemini unquam venit mentem de Actis sextæ Synodi, qua parte Honorium Monothelismi convincunt dubitare.

Et primum, ut de Anastasii Bibliothecarii testimonio dicamus, atque adversarios argumento ad hominem debellemus: idem Anastasius nominatim in Historia octavi Concilii Tomo III Romanæ editionis cavet, ne ulla fides aliis Actis Synodi octavæ habeatur, quam illis ipsis quæ ex Græco in Latinam linguam convertit, atque scriniis Romanis conclusit. At illa ipsa sunt Acta quæ in editione Crabbina, Suriana, Biniana & Romana leguntur: quæ explicate narrant Actione VII Synodi octavæ, alloquutione tertia, *Honorium fuisse de hæresi accusatum, eique ab Orientalibus post mortem Anathema dictum*: ut pluribus declarabitur in Analysi octavi Concilii. Qua ex testificatione evidenter cognoscimus Adriani II Papæ atque Anastasii Bibliothecarii seculo neminem

minem ambegisse quin Honorius jure damnatus fuerit Monotheletismi. Quandoquidem Adrianus Papa instat, nefas fuisse in Honorium sententiam proferre, nisi primæ Sedis Apostolicæ auctoritatis præcessisset: ut revera si non præcessit saltem accessit. Quæ à me dicuntur argumento ad hominem: *quoniam ex verissima scholæ Parisiensis doctrina, Ecclesia congregata in Synodum generalem, non modo Papam hæreticum, sed etiam notorie scandalizantem Ecclesiam exauctorare potest, Sessione* IV *&* V *Synodi Constantiensis.* Itaque hinc colligimus, Adriani II Papæ confessione, Honorium à Sede Apostolica Romana, hoc est, à Leone II damnatum fuisse hæreseos, sicut acta clamant. Sed monendus Lector, Binium ad oram hujus tertiæ alloquutionis Synodi octavæ, ubi Adrianus refert Honorium præeunte Sede Apostolica damnatum hæreseos, isthæc notari curavisse, scilicet: *Honorius nunquam hæreticus fuit, nunquam erravit: lege defensionem Achilleam Roberti Bellarmini de Romano Pontifice* lib. IV, cap. II *toto de Honorio.* Hæc Binius, nimium quantum opinionum præjudiciis anticipatus: ut propterea videre non potuerit quam arundinea sint Bellarmini argumenta, quæ ipsemet in suas notas sæpe conjicit. Et hæc in depulsionem primæ conjecturæ Bellarmini.

Ad secundam de B. Leone Magno; non certo definit suam epistolam fuisse corruptam: tantum ait, *in rebus subtilibus & difficilibus explican-*

can-

candus, quales erant mysteria quæ epistola ad Flavianum explicavit, *vix sibi etiam in sua lingua disputatorem quemcumque sufficere*: & proinde concludit, non temere injiciendam fuisse manum ad illam epistolam Græce reddendam: aitque se ignorare utrum imperitia translatoris errata commissa sint. Et ita claret Bellarminum perperam hîc testimonium Leonis Magni usurpasse, ut imperitos falleret, atque libros suos auctiores efficeret: quia nihil plane ad rem facit. Cæterum fateor me non satis intelligere quidnam S. Gregorius Magnus per Synodi Chalcedonensis falsationem, nisi forte Canonem 28, designet. Quod, si ita est, vir sanctissimus, non tam ex rei veritate, quam ex prædecessorum suorum præjudiciis certat. Procul dubio, acta quæ superius fideliter explicavi, ut de iis rationem coram Christo judice reddam, demonstrant, nullum crimen falsi posse hac in parte adscribi Ecclesiæ Constantinopolitanæ: quod viri sanctissimi pace & reverentia dictum velim. *Nam sanctitas alicujus viri nos minime obligat ut quæcumque dixit aut scripsit pro articulis fidei habeamus, sicut norunt Theologi*: legendus Gersonius *de Examine doctrinarum parte* 1. *consideratione* 1. Verum per acumina Græcorum Accentus indicat Gregorius, quorum varia transpositione sæpe sensus vocum atque orationis immutatur, ut compertum est his vocibus θεότοκος & θεοτόκος *ex Deo natus*, & *qui Deum genuit*, ut beata virgo.

Ter-

Tertio Nicolai Papæ teſtimonium deGræcorum ingeniis nullius eſt momenti in hac cauſa ad id probandum quod Bellarminus intendit.

Sexto perhibet, ſextum Concilium non potuiſſe damnare Honorium hæreſeos, quin pugnaret cum ipſa Agathonis epiſtola quæ præivit omnibus Actis ſextæ Synodi, & lecta eſt Actione quarta : quoniam memorata epiſtola diſerte docetur Chriſtum dediſſe Petro facultatem fratrum confirmandorum, ac pro illo rogaſſe ut nunquam ejus fides deficeret Lucæ 22. eamque ob cauſam, Pontificem ut Pontifex eſt,non poſſe aliquid decernere contra fidem : & conſequenter, prædeceſſores ſuos quorum fuit Honorius, ſemper hæreſibus reſtitiſſe, ac fratres in fide confirmaſſe. Cum ergo Patres Synodi ſextæ Actione XVIII exclament, non tam Agathonem quam B.Petrum per Agathonem loquutum, Bellarminus inde infert ſextam Synodum damnare non potuiſſe Honorium,quin una epiſtolæ Agathonis quam approbarat, perſpicue contradiceret.

En ſumma Collectionis Bellarmini quam tanti facit, ut Nilum Theſſalonicenſem Epiſcopum ei non potuiſſe ſatisfacere dicat. Verumtamen nihil eſt infirmius atque fallacius : quando quidem nos ludificatur à diviſis ad conjuncta, & à ſingularibus ad generalia. Etſi enim ſuggeſtio Agathonis relata fuerit

in

in Acta sextæ Synodi, & Patres conceptis verbis pronunciarint, non tam Agathonem quam S. Petrum loquutum: nihilominus hoc proprie & dogmatice de iis solum intelligi debet quæ privatim ad definiendam controversiam adversus Monotheletas spectabat, quæque erant synodice & canonice constituta, ut ipse Agatho loquitur; minime vero de aliis permultis, quæ nihil omnino aut parum faciebant ad propositum: cujusmodi ea sunt quæ Bellarminus memorat: *scilicet Papam, ut Papa est, non posse errare, eique soli facultatem infallibilem decernendi creditam*, Lucæ 22. Hoc enim manifesta est petitio principii, ut Patres Synodi sextæ ipsa praxi indicant, dum & Agathonis, & Synodi Romanæ suggestiones accurate examinant: quod nequaquam fecissent, si eis persuasum fuisset Papam esse infallibilem. Hercle ipse Agatho petit ea tantum pro definitis retineri quæ essent canonice decreta: U*num & præcipuum bonum habere semper optantes, atque studentes, ut nihil de eis* QUÆ REGULARITER DEFINITA SUNT *minuatur, nihil immutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata custodiantur*. Secundo notandum, longe aliud esse loqui de Ecclesia Romana, de cathedra Petri, Sede Apostolica, & de solo Papa cum oligarchio & privato Concilio: enimvero Papa solum de cathedra respondet, quando Synodum suam cogit, & eos qui sunt cathedræ in solidum participes

libere

libere & canonice loquentes audit, ſubductiſque illorum ſuffragiis concludit, ut Agathonem feciſſe in præſenti negotio compertum eſt ex quarta Actione Synodi ſextæ. Tertio controverſia hæc à Monotheletis, jampridem in Synodo Chalcedonenſi affecta fuerat, neque eam prorſus conficere ex Patrum Chalcedonenſium decretis erat difficile, ut ſupra docui. Quarto, quædam hic Agathoni affinguntur à Bellarmino quæ ipſe ſibi non attribuit in epiſtola ſua: Cujuſmodi eſt *Pontificem, ut Pontifex eſt, non poſſe aliquid contra fidem decernere*: & quamquam id ſibi Agatho arrogaret, tamen minime id verum eſſet, aut Eccleſiæ Patribus probaretur: qui omnibus in Synodis generalibus ſemper decreta Romanorum Pontificum canonice examinarunt, ut docuimus. Quinto locus B. Lucæ *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, &c. alias dogmatice explicabitur.

Septimo ait, Nicolaum Papam in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem aſſerere Romanos Pontifices ne quidem tenui ſaltem rumore erroris unquam aſperſos. At quo modo hoc verum eſt, ſi in publico & generali Concilio ſæpius acclamatum eſt anathema Honorio hæretico, inquit Bellarminus? Ne excandeſcas Bellarmine, ſi Actis trium Synodorum generalium multo magis credendum quam uni Nicolao, teſtimonium in ſua cauſa ferenti, excipiamus. An putas nos habere debere pro

Euan-

Euangelio quæcumque à Nicolao dicuntur? Quam multa Deus bone, in ſcriptis & epiſtolis Romanorum Pontificum figurate & per αὐξησιν blandiente cathedra, ut verbis S. Bernardi utar, dicuntur!

Octavo urget, niſi fateamur ſextam Synodum adulteratam fuiſſe ab Eccleſiæ Romanæ æmulis, neceſſum eſſe illam errore intolerabili atque impudentia laboraſſe: quippe quæ nullum aliud habuerit indicium aut argumentum validius erroris Honorii quam ex ejuſdem epiſtolis ad Sergium Conſtantinopolitanum. At epiſtolæ illæ, inquit Bellarminus, clariſſime teſtantur Honorium ſenſiſſe & docuiſſe duas eſſe in Christo operationes, & ſolum voluiſſe à nominibus unius vel duarum abſtineri, ad tollendum ſcandalum & contentionem ſedandam. Rependo, Honorium plane atque perſpicue negare Chriſtum duas habuiſſe voluntates aut operationes: & ſpecie pacis conciliandæ, hæreſim ſuam texiſſe more Arrianorum: qui omnem movebant lapidem ut à novitate vocabuli ὁμέσιος abſtineretur, ſicque fides Nicæni Concilii everteretur. Conſule quæ ſupra obſervavimus in XII Actionem & in reſponſionem ad ſecundum argumentum Bellarmini.

Nono cauſatur, Martinum I. PP. & martyrem antequam ſexta Synodus haberetur, damnaſſe in Synodo Romana Sergium, Pyrrhum & Paulum, Conſtantinopolitanos Epiſco-

ſcopos, nulla facta mentione Honorii: idque attribui non poſſe acceptioni perſonarum: cum Martinus Papa & cæteri qui Concilium Romanum celebrabant, fuerint viri ſanctiſſimi. Repono, cum factum Honorii nihil ſpectaret ad quæſtionem juris, hoc eſt ad theſim generalem de Monotheletiſmi condemnatione (ſi modo conſtituamus, ut conſtituendum eſt, Eccleſiam collective ſumptam non unum & ſolum Papam eſſe infallibilem) nihil quidem opus fuiſſe ut Martinus in Synodo Romana infamiam prædeceſſoris ſui quaſi pudenda fratris nudaret: & quoniam id non fecit, hoc ejus ſanctitati non derogat: mirorque Bellarminum tam puerilia argumenta potuiſſe, non dicam ſcribere, ſed apud ſe meditari.

Decimo contendit, ſi quis adduci non poſſit, ut credat, ſextam Synodum corruptam fuiſſe, debere cum Joanne de Turrecremata reſpondere, Patres damnaſſe Honorium ex falſa informatione, ac proinde in illo judicio erraviſſe. Certe vel hinc patet Curiales iſtos, nullo modo ſcribere ad veritatem, ſed duntaxat ut ſuas opiniones imaginarias quæſitis undequaque evaſionibus cavillando tueantur: quæ certe ſummam redolent impietatem: quia viam ſternunt hæreticis, qua omnes omnium Conciliorum definitiones ſuggillent, atque evertant. Nam qua facilitate prætexunt ſextam Synodum corruptam, aut Patres ex falſa informatione damnaviſſe Hono-

rium; eadem quoque Arriani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, &c. causabuntur se ex falsa informatione damnatos: & Acta Synodi Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, &c. esse corrupta.

Undecimo supponit epistolas Honorii melius intellectas à quatuor Romanis Pontificibus nimirum Joanne IV. Martino I. Agathone & Nicolao I. nec non à tota Synodo Romana sub Martino I. quam à Patribus Græcis sextæ Synodi: hæc cum lego apud Bellarminum magnus me subit stupor, quod vir doctissimus tam imbecillibus argumentis utatur: nisi forte potius sibi argumenta scholasticis ad leviter velitandum quam accuratas rationes ad satisfaciendum doctis suppeditare proposuit. Vide responsionem ad septimum & nonum argumentum.

Duodecimo fingit, legatos Agathonis, cum Honorius damnaretur, in sexta Synodo noluisse obsistere & reclamare, ad evitandum majus malum: id est, ne impediretur definitio rectæ fidei. Ergo jam fateris Bellarmine damnatum in sexta Synodo Honorium. At quis te hoc commentum docuit, legatos Agathonis noluisse obsistere, &c? Profecto mala est causa quæ tantis indiget vitilitigationibus ut defendatur? Quotusquisque Judicum in foro civili litigantes qui tam absurdas cavillationes & evasiones ad sui defensionem usurparent, perferret? At *& tantæ molis erat Romanam infallibilem condere monarchiam!* De

Decimo tertio quoniam Patres septimæ Synodi decretum Concilii sexti comprobarunt, & Actione ultima Honorio cæterisque Monotheletis anathema dixerunt, Bellarminus obtendit, illos ex Actis sextæ Synodi corruptis deceptos fuisse. Quæ responsio aut impium potius effugium continuat in petitione principii, supponens non probans Acta sexti Concilii adulterata, quod est falsissimum.

Decimo quarto, quia in Octavo Concilio generali Actione septima alloquutione tertia Adrianus II. PP. memorat de Sedis Apostolicæ sententia damnatum Honorium: contra Bellarminus duo opponit: Primum, si octavi Concilii Acta vera sint, respondendum esse Adrianum non aperte dicere Honorium fuisse hæreticum, sed solum ei dictum anathema ab Orientalibus: quia de hæresi fuerat accusatus: atque Orientales non ausos sententiam dicere in Honorium, nisi Romanæ Sedis consensus præcessisset. Secundo contendit, si Acta dicantur corrupta, sequi Adrianum deceptum ex Actis sextæ Synodi depravatis. Hæc ille, nihil aliud promovens, præterquam quod sibi hoc unum propositum esse demonstrat, ut veritati notissimæ adversetur, & tenebras ludificandis tyronibus atque imbecillibus ingeniis offundat. Deus bone! ecquodnam est crimen Acta authentica trium Synodorum generalium à Romanis Pontificibus comprobata, & quingentorum atque amplius

annorum lapſu pro veris atque legitimis habita, falſi inſimulare abſque ulla valida & manifeſta ratione? Hic te obſecro, Lector, attende ad morem Curialium: dum enim aliquod decretum Concilii, illorum dogmatibus de abſoluta infallibili Papæ monarchia, contrarium opponimus, contra inſurgunt ejuſmodi decretum non eſſe probatum Romanæ Sedi, ut falſo de Synodo Conſtantienſi perhibent: deinde ubi nullo modo in dubium conſenſum atque approbationem Sedis Apoſtolicæ revocare queunt, tum Acta eſſe adulterina & ſuppoſititia comminiſcuntur: tamen nulli unquam plura ſcripta ad ſua imaginaria placita firmanda Curiales commenti ſunt: adeo ut ne quidem ſacræ Scripturæ Bellarminus pepercerit, ut paulo ante ex cap. 17 Deuteronomii docuimus.

Decimo quinto, Bellarminus ſibi hanc inſtruit objectionem: nimirum Patres ſextæ & ſeptimæ Synodi atque etiam Leonem & Adrianum II eo ipſo quod crediderint, Honorium fuiſſe, hæreticum, ſequi una etiam exiſtimaſſe Papam non eſſe infallibilem ſed errori obnoxium. Cui objectioni reſpondet, illos ſolummodo putaſſe Papam ut privatum hominem poſſe errare: *quod*, inquit Bellarminus, *probabile eſt; licet probabilius putem, ne quidem ut privatum hominem Papam errare poſſe.* Hinc ergo efficere vult, Honorium duntaxat accuſari quod errarit, tanquam privatum homi-

minem, & ex privatis literis quas ad Sergium Constantinopolitanum scripserat, hæresim foverit. Verum hæc omnia negamus Bellarmino quæ pro certis supponit, scilicet Papam non posse errare ut Papam: item multo magis negamus, non posse errare ut privatam personam. Insuper quoque inficiamur, Honorium ut privatum hominem aut doctorem literas scripsisse ad Sergium, cum & Sergii ad Honorium, & Honorii ad Sergium literæ dogmaticæ fuerint, ut Patres sextæ Synodi loquuntur statim initio Actionis XIII: *Gloriosissimi judices dixerunt: prosequatur sanctum & universale vestrum Concilium quæ in anteactis ab eo promissa sunt. Sanctum Concilium dixit: secundum promissionem quæ à nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes* DOGMATICAS EPISTOLAS, *quæ tamquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: similiter autem* ET EPISTOLAM AB HONORIO RESCRIPTAM AD EUNDEM SERGIUM, *hasque invenientes omnio alienas* AB APOSTOLICIS DOGMATIBUS ET A DEFINITIONIBUS SANCTORUM CONCILIORUM, &c.

Enimvero Honorius consultus à Sergio de cathedra ei respondet: hic ego argumentor ad hominem: quoniam licet epistolæ Honorii & Sergii juxta doctrinam scholæ Parisiensis non processerint ex cathedra, eo quod extra Synodum factæ sunt, tamen secundum pla-

cita Curialium, revera ſunt ex cathedra: *quia docent Papam etiam cenſeri reſpondere & docere de cathedra, quando aliquid ſcribit & ſtatuit per modum dogmatis ad univerſalem Eccleſiam informandam & erudiendam, adhibito aliquo privato Concilio*: quod ab Honorio, & Sergio factum fuiſſe certum eſt: cum nullus ſit tam αὐθάδης: qui non aliquorum hominum obnoxiorum & adulantium opera utatur. Hinc fit, ut Honorius literas ſuas hoc modo claudat: *Hæc nobiſcum Fraternitas veſtra prædicet: ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus.* Quæ oſtendunt illum in animo habuiſſe dogma condere. Igitur inter Honorii, Sergii, Cyri, & Sophronii Hieroſolymitani ſcripta hoc diſcrimen intercedit, quod illi tres primi (quamquam cathedræ & ſacerdotii Chriſti in ſolidum participes, quoniam erant Epiſcopi) non ex more primitivæ Eccleſiæ, in qua omnia ſynodice & ex ſanctorum communione definiebantur, ſed proprio motu atque ſpiritu, ope alicujus Concilii oligarchici ſententiam ſuam ediderint: unde Deus illos in hæreſim præcipites ruere permiſit: contra autem Sophronius Synodum & cathedram conſuluit: ideoque ejus epiſtola vocatur ſynodica à Patribus ſextæ Synodi Actione XII ſtatim initio. Hercle quando auctore Bellarmino lib. II de Conciliis & Eccleſia, c. II. *medium ordinarium ad afflatus Spiritus Sancti obtinendos eſt Concilium parvum aut magnum, unum aut multa*: & Honorius cum Ser-

Sergio & alii de proprio motu atque ſpiritu, dogmata ſua decreverunt, nihil mirum eſt illos tam turpiter ceſpitaſſe. Siquidem Eccleſia Canone, non abſoluta poteſtate, aut privatis motibus regi debet : quia ſanctorum communio, quæ cogi non poteſt, finis eſt regiminis Eccleſiæ.

Decimo ſexto ad epiſtolam Leonis II. qua Acta comprobantur & Honorius cum aliis damnatur hæreſeos, tria excipit Bellarminus: Primum, Epiſtolam Leonis ab iiſdem fuiſſe corruptam qui Acta Synodi adulteraverant: Secundo, Leonem ſequutum fuiſſe judicium legatorum Agathonis, ne jam confectum negotium diſturbaret : Tertio, nos non magis debere ſequi unum Leonem quam quatuor alios Pontifices Romanos, ſcilicet Joannem IV. Martinum I. Agathonem & Nicolaum PP. præſertim in quæſtione facti, quæ ad fidem non pertinet. Etenim quæſtio eſt facti, Honorium fuiſſe Monotheletam. Quibus argutis punctiunculis quamquam antea ſatisdatum ſit, tamen ad ſingula reſpondebimus. Ad primum oſtendi genuina exempla Synodi ſextæ fuiſſe diligenter aſſervata Romæ & à Leone II. ex Græco facta Latina : vide Analyſin epiſtolæ Leonis II. Secundum argumentum ſupra explicatum & ſolutum eſt in reſponſione ad duodecimum argumentum Bellarmini : ubi docuimus, in rebus ad Hiſtoriam & quæſtionem facti pertinentibus nefas

esse aliquid de proprio cerebro meditari, cujusmodi est, Leonem noluisse disturbare definitionem factam in sexta Synodo contra Monotheletas. Ad tertium, oppono diversam esse rationem quatuor Pontificum quos exhibet Bellarminus, & Leonis atque Adriani II. Nam cum Catholici teneantur credere & assentiri Pontifici de cathedra, hoc est, synodice & canonice docenti, minime vero, dum aliquid privato motu decernit: (quoniam privatus motus atque spiritus hominum, ut plurimum catholico & universali Ecclesiæ spiritui & communioni sanctorum adversatur:) certumque sit Leonem & Adrianum II ex Actis sextæ Synodi indubitatis, hoc est, ex sanctorum communione docere Honorium fuisse Monotheletam: ideo illis indubitata fides habenda est: minime vero Joanni IV, Martino I, Agathoni & Nicolao: quippe qui de Honorio vel nihil penitus nominatim & speciatim, vel tantum generatim ex privato sensu, *Papam non esse obnoxium erroribus doceant*, quod est in controversia positum; consule responsionem ad septimum, & nonum argumentum.

Decimo septimo, Bellarminus auctores auctoribus opponit, illos nimirum quos Onuphrius apud Platinam in vita Honorii enumerat. Sed uno verbo hæc fallunt in consequentia probationis, sicque à negatione procedunt: illi auctores non meminerunt Honorii

tan-

tanquam Monotheletæ: Ergo non fuit hæreticus: vel etiam Acta sextæ, septimæ, & octavæ Synodi corrupta sunt. Quis talem nobis Logicam edocuit? Profecto qua facilitate & confidentia Onuphrius, Bellarminus, Baronius, Binius, atque alii Curiales Actæ publica VI, VII, & VIII Concilii esse vitiata perhibent, majori quidem ratione possumus contendere privatos auctores, quos ad suæ opinionis defensionem exhibent, fuisse corruptos, atque nomen Honorii consulto deletum ex Historia Anastasii, cum ipse Anastasius in Actis octavæ Synodi, quæ Latina fecit, asserat, Honorium damnatum à Patribus sexti Concilii: vide supra responsionem ad quintum. Certo multo est facilius, scripta privatorum quam Acta publica Conciliorum quæ omnium manibus teruntur vitiare. Cæterum perpende lector quidnam deinceps sanctum atque intemeratum erit Catholicis, quando Acta publica trium Conciliorum generalium etiam à Romanis Pontificibus comprobata, atque omnium gentium & plurimorum seculorum consensione auctorata, suum hodie patiuntur repudium, ut Papæ infallibilitas, atque Curiæ Romanæ placita & commoda asserantur. Proculdubio uno dato absurdo multa ad illud tutandum fingere & sophistice detorquere necesse fuit. En quo ambitio, adulatio, studiumque placendi hominibus nos hujus oraculi immemores abstrahit, *Si homi-*

nibus placerem Christi servus non essem. Galatarum 1. Verum præter Bellarmini rationes, Severinus Binius in notis sexti Concilii quasdam alias leves minutias ex Baronio exhibet: quas proclive est ex superioribus dissipare. Itaque illis non immorabimur.

CAPUT. XI.

I. *Historia* VII *Concilii generalis indicti ab Imperatoribus contra Iconomachos: & de literis super ea re missis ad Adrianum* I *PP.*

II. *Initio primæ Actionis leguntur sacræ literæ Imperatorum super Indictione Concilii, quibus ordinem agendi præscribunt.*

III. *Responsio Adriani PP. ad Indictionem Concilii factam ab Imperatore, quem Dominum ejusque literas jussionem venerandam nuncupat.*

IV. *Fabulosum esse auctoritate Gregorii* II *Imperium à Græcis ad Francos translatum.*

V. *Item Constantinum Magnum lepra laborasse ac sibi balneum ex sanguine puerorum parari voluisse: & undenam hoc commentum originem duxerit.*

VI. *Baronii argumenta in hanc rem dilapidantur.*

VII. *Adrianus PP. Tarasium Constantinopolitanum ideo reprehendit, quod se œcumenicum vocet: de cujus nominis notione & prima origine disputatur.*

VIII. *Idem Adrianus fatetur Ecclesiam Romanam Patrimonium S. Petri quod vocant, acceptum Carolo Magno debere.*

IX. *Responsio synodica Adriani PP. ad epistolam synodicam Tharasii Constantinopolitani de sua promotione ad Sedem Constantinopolitanam.*

X. *In Synodi Conclusione iterum dicitur anathema Honorio & aliis Monothelet is.*

XI. *Ex epistola Gregorii* II *ad Leonem Isaurum dignosci Romanos Pontifices eo tempore nullum habuisse Romæ jus carceris, aut sibi aliquod jus pœnæ temporalis vendicasse.*

XII. *Præ-*

XII. *Præfatio Anastasii Bibliothecarii in septimam Synodum docet Ecclesiam Romanam eo tempore Canones Apostolorum recepisse.*

XIII. *Pridem ante* VII *Synodum sacros honores imaginibus exhibitos sed Caroli Magni seculo cœptum disputari utrum adorari deberent: hancque adorationem ductam ab adoratione fieri solitam imaginibus Imperatorum quæ in templis erigebantur.*

I. SEptimum generale Concilium vocatur Nicænum II ab Imperatore Constantino VI ejusque matre Irene indictum circa annum 785 contra Iconomachos: cui trecenti quinquaginta aut amplius Episcopi interfuerunt. Literæ indictionis ad Adrianum I. PP. leguntur statim initio Synodi in editione Romana & Binii, sicque concipiuntur: *Divalis sacra directa à Constantino & Irene Augustis ad sanctissimum & beatissimum Adrianum Papam senioris Romæ. Qui à Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro suscipiunt sive Imperii dignitatem, sive principalis sacerdotii honorem, debent quæ illi placita sunt & cogitare & curare: & creditos sibi ab illo populos secundum ejus voluntatem regere & gubernare. Ergo debitum nobis & vobis ô sanctissimum caput, hoc est, ut irreprehensibiliter quæ ejus sunt sapiamus, & in suis versemur: utpote ab ipso nos quidem Imperium, vos vero principalis sacerdotii dignitatem suscipientes. Incipimus ergo hinc sermonem: scit vestra paterna Beatitudo quæ pridem facta sunt in hac nostra regia civitate propter venerabiles imagines: qualiter qui ante nos regnaverunt eas destruxerunt, & iis dehonestatem*

tem atque injuriam posuerunt. Utinam illis non imputetur: melius enim fuerat non mittere manus suas in Ecclesiam: & omnem populum qui hic est, imo Orientalem eodem modo seduxerunt & in propriam voluntatem retraxerunt: usque quo Deus suscitavit nos regnare in his quæ in veritate quærimus gloriam ejus, & tenere quæ tradita sunt ab Apostolis suis; & omnibus simul Doctoribus. Unde nunc constanter cum mundo corde & vero cultu, quæ ad Deum pertinent una cum omnibus subditis nostris & his sacerdotibus doctissimis loquuti sumus & cum consilio decrevimus, ut fieret universale Concilium. Et rogamus vestram paternam Beatitudinem, imo vero Dominus Deus rogat, qui vult omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ut det seipsam, & nullam tarditatem faciat; & ascendat huc in stabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus imaginibus: debitum enim illi est hoc facere: agnoscit vero quia scriptum est: Consòlamini, consòlamini populum meum, sacerdotes, dicit Dominus: Et labia sacerdotum custodiunt scientiam, & de ore ejus egredietur lex, quoniam Angelus Domini exercituum est. Et iterum divinus & veritatis prædicator Apostolus, &c. Pascite gregem Domini cum disciplina quem acquisivit proprio sanguine. Et tanquam verus primus sacerdos, & is qui in loco & Sede sancti & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, sicut dictum est ascendat & simul cum omnibus sacerdotibus qui hic sunt inveniatur, & voluntas Domini fiat. Ubi enim sunt duo vel tres congre-

gregati in nomine meo ſicut euangelice didicimus, ibi ſum in medio eorum. Certificetur enim & confirmetur à magno Deo & rege omniumque Domino noſtro Jeſu Chriſto, & à nobis ſervis ejus, quod aſcendentem veſtram paternam & ſacram Beatitudinem huc cum omni honore & gloria habemus & ſuſcipere, & quæ opportuna ſunt impartiri. Et iterum expleto capitulo, quod beneplacito Dei Chriſti ſperamus fieri cum honore & magnitudine præire illam habemus ad remeandum propria. Si enim non potuerit aſcendere huc, quod putamus non fieri, ſcimus enim eum ſtudioſum eſſe circa divina, eligat viros honorabiles habentes ſcientiam, & dirigat una cum ſyllabis, ut inveniantur ex perſona ſacræ & paternæ veſtræ Beatitudinis hic. Verum tamen convenientibus ipſis cum omnibus ſacerdotibus qui hic ſunt, ſynodice confirmetur antiqua traditio ſanctorum Patrum noſtrorum, & confundatur omne zizanium male plantatum, & Domini noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti verbum impleatur, quoniam portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et ex hoc non ſit ſchiſma & ſeparatio in una ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, cujus eſt caput ipſe Chriſtus verus Deus noſter. Conſtantinum præterea ſanctiſſimum Epiſcopum Leontinum Chriſto amabilis Siciliæ noſtræ Inſulæ, quem etiam noſcit paterna veſtra Beatitudo adduximus ad nos, & facie ad faciem loquentes direximus cum præſenti noſtra venerabili juſſione ad vos. Qui cum venerit ad vos, continuo abſolve eum ut remeat ad nos, ſcribens nobis per ipſum adventum tuum, quibus diebus habet moveri

veri illius & proficisci ad nos. Porro sanctissimum Episcopum Neapolitanum omnino tenere habet ut cum ipso ascendat huc: Etenim iter vestrum per Neapolim & Siciliam habet fieri, & super hoc Strategio Siciliæ jussimus, ut omnis requiei & honoris vestri curam habeat. quo veniat vestra paterna beatitudo ad nos. Data quarto Kalend. Septembris Indictione septima, à Regia urbe.

Hæc epistola non habetur in Acta Concilii septimi Crabbinæ & Surianæ collectionis, sed duntaxat in Biniana & Romana, neque Græce extat: Baronius, ut arbitror, omnium primus eam evulgavit, aitque Tom. IX Annalium anno Christi 785. Anastasium Bibliothecarium eam recitare in præambulis septimæ Synodi eamque vertisse in Latinum & mendis plurimis aspersam esse. Ego quidem dum eam comparo vel cum aliis epistolis Imperatoris Constantini atque Irenes matris, vel cum cæteris versionibus quas Anastasius fecit, aut etiam cum forma scribendi Imperatorum & responsionem Adriani PP. pro certo teneo eam confictam, & fabricatam esse ab aliquo ad typum epistolæ Constantini Pogonati ad Donum Papam. Cæterum infantissima, hiulca & in multis absurda atque indigna est quæ Imperatori aut ejus versio Anastasio Bibliothecario tribuatur. Nam cum Imperator uteretur Tarasio tanquam Secretario antequam Tarasius esset electus ad Constantinopolitanum Episcopatum, & ipse Tarasius in causa fue-

fuerit ut septima Synodus indiceretur, credibile imo certum est, Imperatorem non indixisse Synodum inscio Tarasio; & proinde de consilio & lima Tarasii Epistolam ad Adrianum Papam scriptam esse: Tarasius autem vir erat doctissimus & politissimus, ut ejus alia scripta declarant. Accedit insuper in hac epistola Imperatorem induci ita loquentem: *Cum consilio decrevimus ut fieret universale Concilium; & rogamus vestram paternam Beatitudinem, imo vero Dominus Deus rogat, qui vult omnes salvos fieri, ut det seipsam & nullam faciat tarditatem, ascendat huc*, &c. Judica Lector an homo bene compos mentis scribat *Deum rogare homines*: Deinde est præter disciplinam illorum temporum, præterquam majestatem Imperii, & contra propriam confessionem atque responsionem Adriani Papæ, *quod rogatus fuerit ab Imperatore*; si auctor hujus epistolæ usus fuisset *verbo exhortandi* melius sibi & suæ scriptioni consuluisset, atque ipsum Cæsarem Pogonatum imitatus fuisset: sed dum inducit Imperatorem rogantem, hoc facit ex hodierna disciplina & ipsi Adriano repugnat qui epistola sua ad Imperatorem qua respondet Indictioni Concilii sibi factæ, ingenue fatetur *se jussionibus Imperatoris evocatum*, ut amplius dicetur Actione secunda: *quem etiam Dominum vocat*, sicut anteactis seculis consuetum erat: at relinquo cogitandum si Adrianus rogatus fuisset ab Imperatore, utrum id silentio pressis-

ſiſſet: cum in multis aliis rebus admodum elate loquatur. Hercle qui laborem hæc acta exſcribendi integre & analytice examinandi non refugerit, multa videbit quæ alios fugiunt qui illa ſolummodo legerunt per tranſennam.

II. Porro exordiis omnium actionum quæ octonario numero continentur in editione Romana, elucet, Imperatorem indixiſſe Concilium ex conſuetudine inter alios Imperatores uſitata: hic ego initium primæ Actionis exſcribam ut ex eo de aliis judicet Lector, quia perſimilia ubique ſunt. *In nomine Domini & Dominatoris Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, Imperio piiſſimorum & amicorum Chriſti Dominorum noſtrorum Conſtantini & Irenes matris ejus, octavo anno conſulatus eorum, octavo Kalend. Octob. Indictione* XI. *Conveniente ſancta & univerſali Synodo quæ per divinam gratiam & piam ſanctionem eorundem Deo confirmatorum Imperatorum congregata eſt in Nicenſium clara Metropoli Bitynicenſium provinciæ, id eſt, Petro reverendiſſimo Archipresbytero ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ ſcilicet Apoſtoli Petri: & Petro reverendiſſimo Presbytero monacho & Abbate venerabilis Monaſterii Sanctæ Sabæ Romæ ſiti, retinentibus locum Apoſtolicæ Sedis almi & Sanctiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ Adriani: Taraſio almo & ſanctiſſimo Archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ: Joanne & Thoma reverendiſſimis Presbyteris monachis & Vicariis Apoſtolicarum Sedium Orien-*

Orientalis diœceseos: Agapito Eipscopo Cæsareæ Cappadociæ, Joanne Episcopo Ephesi, &c.

Sedentibusque ante sanctissimum Ambonem templi sanctissimæ magnæ Ecclesiæ quæ cognominatur Sophia: præsentibus & audientibus gloriosissimis & magnificentissimis Principibus, id est, Petrona laudatissimo exconsule patricio & comite Deo conservandi Imperialis Officii, & Joanne Imperiali Ostiario, & Logotheta Imperialis Logothesi, & reverendissimis Archimandritis Hegumenis, & Monachis, propositis sanctis & intemeratis Dei Euangeliis: Reverendissimi Episcopi Siciliæ Insulæ dixerunt, Dignum ducimus & per omnia huic sanctæ & universali Synodo conveniens esse perspicimus, ut ad exquirendorum inchoationem capitulorum sanctissimus & summus ac eximius Pastor & Præsul regiæ Constantinopoleos novæ Romæ proœmium faciat & ostium verbo aperiat, & quæ congrua sunt vociferando pronunciet. Sancta Synodus dixit, fiat secundum postulationem sanctissimorum Episcoporum. Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha retulit, *superiore anno cum suam Synodum haberet eique præsideret in Ecclesia Constantinopolitana, quosdam vi majore facta nonnullis Episcopis adjuvantibus sibi manus violentas adferre voluisse eo quod doctrinam orthodoxam asseveret: eamque ob causam Imperatores indixisse & congregasse generale Concilium: Itaque petit Tarasius, ut qui superiore anno restiterunt veritati conveniant: & si quis est in illis sermo contradictionis, vel etiam ratiocinationis, dicant: illis autem Episcopis coram Sy-*

 nodo

nodo consistentibus, Gloriosissimi Patricii & Principes ab Imperatore missi rogarunt sanctam Synodum ut lectionem sacræ jussionis audiret, quæ sic inscribitur: Sacra Constantinus & Irene fideles Imperatores Romanorum, sanctissimis Episcopis qui in voluntate & gratia Dei & jussione pii Imperii nostri convenerunt in Nicæna Synodo, &c. *Primum vero ordine enarrant sibi propositam omnem Romanam rempublicam dirigere ad pacem & concordiam, ac dare operam ut in sancta Ecclesia omnia rite & secundum ordinem fiant: eamque ob causam beneplacito & voluntate Dei se congregavisse sanctos Episcopos in Synodum, dantes unicuique licentiam ut libere loquatur quæ sibi visa fuerint, hacque ratione pax & concordia Ecclesiis reddatur. Secundo referunt Paulum Constantinopolitanum Patriarcham, ejurato Episcopatu in extrema senectute vitam solitudini monasticæ eam ob causam mandasse, quod Constantinopolitana Ecclesia in Synodo sacras damnavisset imagines, quas Ecclesia Catholica veneratur & retinet: & quod futurum cerneret si vitam exigeret in Episcopatu, ut ab Ecclesia Catholica anathemate feriretur. Tertio se in consilium viros pios & prudentes adhibuisse, ut scirent quidnam esset optimum factu, & quisnam in locum Pauli sufficiendus esset in Episcopatu Constantinopolitano: omnes autem convenisse in Tarasium: hunc autem repudiasse Episcopatum ob schisma quo Ecclesia laborabat propter sacras imagines, adeo ut Occidentalis Ecclesia communione ab Orientali separetur. Quarto se Tarasii sententiam & ad sacer-*

dotes

dotes & ad Principes viros consilii sui nec non ad populum retulisse, omnesque in ea sententia fuisse, ut Synodus universalis congregaretur. Quocirca Imperatores sacram Synodum exhortantur, ut Sacrosanctis Euangeliis in medio propositis & clamantibus juste judicent, atque omnem novitatem ac seditionem exscindant gladio & securi Spiritus Sancti. Quinto se literas ab Adriano Papa senioris Romæ accepisse per ejusdem Adriani Vicarios sedentes in sacra Synodo: AC JUBERE UT SECUNDUM JUS ET MOREM SYNODORUM *in omnium audientiam recitari, cum Epistolis ab Patriarcha Antiocheno ad se missis*, &c. En summa sacrarum literarum quas Imperatores miserunt ad Synodum: neque cuiquam qui usitatam consuetudinem in aliis prioribus Conciliis servatam tenuerit, dubium esse potest: quin literæ eorundem Imperatorum editæ pro Concilii indictione & missæ ad Adrianum Papam & alios Metropolitas ejusdem fuerint argumenti & substantiæ. Nam supra docui in more positum fuisse, ut Patres sedentes in Synodis semper principium facerent à Divali sacra quæ illis ordinem agendorum præmonstraret.

His perlectis literis sacra Synodus dixit *Conservet Deus Imperium Dominorum*, &c. Deinde adducti sunt ad Synodum tres Episcopi, nimirum Basilius Ancyranus, Theodorus Mynensis, & Theodosius Ammorii Episcopus, qui quidem errorem Iconoclastarum, quo pridem ante imbuti fuerant, conceptis verbis

anathematizarunt: adveniunt pariter ſeptem alii Epiſcopi qui Taraſio patriarchæ Conſtantinopolitano vim intulerant, ut ſuperius dictum eſt, ſuumque errorem abjurant, ſcilicet Hypatius Nicææ, Leo Rhodi, Gregorius Peſſinuntis, Leo Iconii, Georgius Piſidiæ, Nicolaus Hierapoleos, & Leo Carpathi Epiſcopus. Hinc autem Patres captant occaſionem definiendi quid de illis Epiſcopis ſtatuendum ſit, haſque duas quæſtiones agitant: *Primum de iis qui ab hæreſi ad ſanctam Catholicam Eccleſiam redeunt*: *ſecundo de iis qui ſunt ordinati ab hæreticis*. Quam in rem varios canones & ſententias Patrum antiquorum diſquirunt: & inter alia præſertim B. Athanaſii & Cyrilli Alexandrini ſententiam ſequendam pronunciant: nimirum eis qui lapſi ſunt atque impietati præfuerunt, eſſe ignoſcendum ſi reſipiſcant & pœnitentiam agant: ita tamen ut non admittantur ad Clerum, ſic enim de Meletio factum eſt in Synodo Nicæna. De aliis autem qui non Auctores & Patroni extiterunt impietatis, ſed per vim, neceſſitatem, aut ignorantiam erraverunt, cenſent eis non modo veniam dandam, ſed etiam locum ſuum in Clero eſſe reddendum.

Ex hac prima Actione dignoſcimus Imperatores, quamquam tum maxime diſſipatis atque proſtratis viribus Imperii, tamen non modo Synodum indixiſſe & convocaſſe, verum etiam literis ſuis, ut jam dixi, ordinem agendi præ-

præſcripſiſſe, ut in aliis ſuperioribus Conciliis factum eſt. Secundo liquet, Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum Sedis atque Suffragii prærogativam habuiſſe poſt Vicarios Romani Pontificis, juxta Canonem 28 Chalcedonenſis Synodi: hoc enim ex omnibus Actionibus claret, & ita poſſeſſio continuatur ab temporibus primi Concilii Conſtantinopolitani in hunc uſque diem. Tertio non ſolam Sedem Romanam, verum etiam alias Sedes Patriarchales dici Apoſtolicas: *ſiquidem Joannes & Thomas Vicarii Sedium Apoſtolicarum Orientis* appellantur, quo nomine intelligitur Sedes Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana: quoniam memorati Presbyteri Joannes & Thomas, locum tenebant trium Apoſtolicarum Sedium Orientis, ut perſpicuum redditur ex ſubſcriptionibus Patrum Actione ſeptima, de quibus ſuo loco, quæ trium Patriarcharum abſentia Saracenis tribui debet qui tum Orientem univerſum populabantur poſt dynaſtiam à Mahomete conſtitutam. Quarto in hac Synodo Patricii atque Principes qui miſſi erant ab Imperatoribus non dicuntur præſidere ut in aliis Conciliis ſuperioribus ſed tantum præſentes eſſe: quod eſt notabile & Majeſtati Imperii collapſæ tribuendum.

Actione ſecunda Epiſcopus Neocæſariæ ſupplex accedit ad Synodum abjuraturus errorem Iconoclaſtarum: petitque Taraſius

Constantinopolitanus, ut rationem suæ fidei non tantum voce sed & scripto libello reddere cogatur: quam in sententiam tota Synodus abiit. Nam licet Vicarii Adriani primam Sedem obtinerent in Synodo, verumtamen Tarasius semper primus loquebatur, ita ut ejus moderatione tota Synodus regeretur tum propter eximiam illius eruditionem & pietatem, tum quia Vicarii Adriani erant duntaxat Presbyteri non Episcopi.

III. Hac eadem Actione leguntur literæ Adriani I PP. ad Imperatores quibus respondet sacræ jussioni Imperatorum super indictione Synodi, sicque inscribuntur: *Dominis piissimis & serenissimis Imperatoribus ac triumphatoribus, filiis diligendis in Deo Domino nostro Jesu Christo, Constantino & Irene Augustis.* Deinde in principio literarum suarum narrat, se magnam cœpisse lætitiam ex Sacris divalibus, adeo ut nullus lingua humana tantum gaudium explicare possit: *Quia nimirum major lætitia* DE JUSSIONIBUS IMPERATORUM *nunc orta sit, quam dudum pro schismaticorum hæresi mœror affecerit: De his quippe in ipsis* VENERANDIS JUSSIONIBUS VESTRIS *referebatur quæ pridem facta sunt in vestra regali Civitate propter venerabiles imagines: qualiter qui ante vos regnaverunt eas destruxerint*, &c.

Secundo illos exhortatur ad reverentiam sanctæ Sedi Apostolicæ Romanæ exhibendam: quam Imperatores ejus Antecessores, velut

velut Caput omnium Ecclesiarum suspexisse & coluisse memorat: *jure quidem; quoniam S. Petrus Princeps Apostolorum qui primus in Sede Apostolica Romana sedit, sui Apostolatus principatum ac pastoralis curæ successoribus suis qui in eadem Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit*, &c.

Tertio refert ab eo tempore quo Ecclesia pace sub Constantino Magno potita est, sacras imagines fuisse depictas in Ecclesiis: idque testimonio Sylvestri Papæ ita probat: *In ipsis exordiis Christianorum, cum ad fidem converteretur pius Imperator Constantinus sic legitur: Transacta die nocturno regi facto silentio somni tempus advenit, & ecce adsunt sancti Apostoli, Petrus & Paulus dicentes: quoniam flagitiis tuis posuisti terminum, & effusionem innocentum sanguinis horruisti, missi sumus à Christo Jesu Domino dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, & fac omnia quæcumque indicabimus tibi: Sylvester Episcopus civitatis Romanæ ad montem Soractem persequutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis Clericis latebras fovet: hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet In quam dum tertio te merserit, omnis te valetudo deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem Salvatori tuo compensa ut omnes jussu tuo per orbem totum Romanum Ecclesiæ restaurentur. Tu autem in hac parte purifica te, ut omni relicta superstitione idolorum Deum unum qui verus & solus est adores & excolas, & ad ejus voluntatem attingas. Exurgens itaque à somno statim convocat eos qui obser-*

vabant Palatium, & secundum tenorem somni sui misit ad montem Soractem, ubi sanctus Sylvester in cujusdam Christiani agro persequutionis causa cum suis Clericis receptus lectionibus & orationibus insistebat. At ubi à militibus se conventum vidit, credidit se ad Martyrii coronam evocari: & conversus ad clerum omnem qui cum eo erat dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Ingressus ad regem cum tribus Presbyteris & duobus Diaconis dixit: Pax tibi & victoriæ de cœlo ministrentur. Quem cum rex alacri animo & vultu placidissimo suscepisset, omnia illi quæ facta, quæ dicta, quæ etiam revelata sunt exposuit: & post finem narrationis suæ percunctabatur qui essent isti dii Petrus & Paulus qui illum visitarant ob causam salutis suæ, & ejus latebras detexissent: Sylvester respondit, hi quidem Dii non sunt, sed idonei servi Christi & Apostoli electi ab eo, & missi ad invitationem gentium ut credentes salutem consequantur. Cumque hæc & his similia Augusto diceret Papa, interrogare cœpit Augustus utrumnam istos Apostolos haberet aliqua imagine expressos, ut ex pictura disceret hos esse quos revelatio docuerat. Tunc sanctus Sylvester misso Diacono imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit: quam Imperator aspiciens ingenti clamore cœpit dicere ipsos esse quos viderat, nec debere jam differre per Spiritum Sanctum factam ostensionem piscinæ quam istos promisisse suæ saluti memorabat. Ecce, inquit Adrianus Papa, ut præmissum est sanctorum figuræ ab ipsis sanctis fidei nostræ rudimentis apud omnes fuerunt Christianos: atque

atque in Ecclesiis sanctorum sacræ figuræ expressæ atque depictæ hactenus fuerunt: quatenus gentilitas paganorum conspecta divinæ scripturæ depicta Historia ab idolorum cultura & Dæmonum simulachris ad verum Christianitatis lumen atque amoris Dei culturam verti deberet, sicut B. Gregorius ait, &c.

Quarto memorat *quantam curam Gregorius* II, *Zacharias, Stephanus Papa & alii Pontifices adhibuerint, ut Leonem Isaurum proavum Constantini* VI *ab Iconomachia averterent.*

Quinto multis rationibus & testimoniis tum ex scripturis cum ex Patribus ductis, probat *eo fine imagines à fidelibus erigi in templis & honorari, ut per visibilem vultum ad divinitatis majestatem invisibilem mens humana rapiatur, spiritali affectu per contemplationem figuratæ imaginis*, &c.

Sexto additur huic epistolæ assumentum, quod teste Baronio, utque etiam notatur in editione Romana Conciliorum minime reperitur in Actis Græcis Synodi septimæ: inter alia autem nonnulla continet quæ parum bene cohærent cum superioribus, ut facile videre est legentibus & omnia accurate considerantibus: pars autem hujus assumenti desumpta est ex epistola Cæsaris Pogonati ad Donum Papam cujusmodi hæc sunt: *Quia non est apud vos partis cujuslibet favor aut defensio, sed æqualitatem utrisque partibus conservabitis, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo eis qui à nobis diriguntur quoquo modo*, &c.

 Et

Et si quidem utrique convenerint ecce bene : Si autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad nos dirigere satagetis, &c.

Septimo ibidem conqueritur quod Imperator in sua sacra jussione ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, *eundem Oecumenicum sive universalem appellarit : sed utrum per imperitiam aut schisma vel haeresim iniquorum scriptum est ignoramus : sed deinceps suademus vestrae clementissimae imperialique potentiae ut minime universalis describatur quia contra sanctorum Canonum instituta & Patrum traditionem decretum esse videtur*, &c. *Quia si universalis est, etiam Ecclesiae nostrae Sedis primatum habere dignoscitur : quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis, quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mundi B. Petro Apostolo, principatus ac potestas data est : & per eundem Apostolum cujus vel immeriti vices gerimus, sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia usque hactenus in aevum tenet principatum, ac potestatis auctoritatem*, &c.

Octavo ait, factum contra Canones, *quod Tarasius ex laico assumptus fuerit ad Patriarchatum Constantinopolitanum.*

Nono rogat Imperatores, *ut quemadmodum antiquitus ab orthodoxis Imperatoribus & caeteris Christianis fidelibus concessa sunt patrimonia B. Petri Apostolorum Principis, ita in integrum restituere dignetur pro luminariorum concinnatione eidem Ecclesiae Dei & alimoniis pauperum.*

Decimo, *ut consecrationes Archiepiscorum seu Epi-*

Episcoporum, sicut Olitana constat traditio diœcesis existentes penitus canonice sanctæ Romanæ nostræ restituantur Ecclesiæ.

Undecimo excurrit in laudes Caroli Magni, *quem Filium & Spiritualem Compatrem Dominumque suum regem Francorum, Longobardorum, ac Patricium Romanorum indigitat: Nostris*, inquit, *obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnis Hesperiæ Occiduæque partis barbaras nationes sub suis prosternens conculcavit pedibus omnipotentatum illarum domans, & suo subjiciens regno adunavit; unde per sua laboriosa certamina eidem Dei Apostoli Ecclesiæ, ob nimium amorem plura dona perpetuo obtulit possidenda, tam provincias quam civitates, seu castra, & cætera territoria, imo & patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur brachio forti* EIDEM DEI APOSTOLO RESTITUIT, CUJUS ET JURE ESSE DIGNOSCEBANTUR. *Sed & aurum atque argentum quotidie pro luminariorum concinnatione seu alimoniis pauperum non desinit offerendo: quatenus ejus regalis memoria, non derelinquatur in seculum seculi*, &c. Deinde sic epistolam finit: *Deus noster tribuat vobis intercedentibus beatissimis Apostolorum Principibus longæva ac prospera & felicia tempora, & cum maxima corporis sospitate atque animæ salute Imperialis potentiæ sceptris vos perfrui faciat: & sicut terræ summæ potentiæ gloriam vobis concessit, & cœlorum quoque regna vobis per infinita secula largiri possidenda dignetur.*

IV. Hæc

IV. Hæc Adriani epistola multa nos docet: & primo quidem inscriptio & conclusio epistolæ apprime notanda sunt: *Dominis piissimis & serenissimis Imperatoribus ac triumphatoribus, filiis* &c. siquidem demonstrat falsum esse quod circumfertur Gregorium II prædecessorem Adriani transtulisse Imperium Orientale à Græcis ad Francos. Hic enim Adrianus Constantinum VI ejusque matrem Irenem pro veris atque legitimis agnoscit Imperatoribus. Imo etiam ipse Gregorius II quandiu vixit coluit. Siquidem ejusdem Epistola XIV ad Bonifacium ita clauditur: *Data decimo Kalendas Decembris imperante Domino piissimo Augusto Leone à Deo coronato Magno Imperatore, anno decimo Imperii ejus. Sed & Constantino Magno Imperatore regni ejus anno septimo, Indictione undecima.* Qua etiam clausula Gregorins III qui Gregorio II successit, epistolam suam quintam ad Bonifacium concludit: *Data quarto Calend. Novembris imperante Domino piissimo Augusto Leone Imperii ejus anno vigesimo tertio; sed & Constantino Magno Imperatore, ejus filio, anno vigesimo, Indictione octava.* Item Zacharias qui post Gregorium III. sedit in cathedra Petri Epistola I ad Bonifacium: *Data Calendis Aprilis imperante domino piissimo Augusto Constantino à Deo coronato, Magno Imperatore, anno vigesimo quarto, Imperii ejus anno secundo,* &c. Item epistola secunda, *Data Kalend. Aprilis imperante Domino Constantino Magno Imperatore*

peratore anno vigesimo quarto, Imperii ejus anno secundo, Indictione undecima. Vide etiam extremas clausulas *epistolæ sextæ & octavæ* ejusdem Zachariæ cui Adrianus I successit. Et ita relinquitur fabulosum esse auctoritate Gregorii II Imperium Orientale transiisse ad Franciæ Principes ut scribit Zonaras, & Bellarminus libris de Translatione Imperii persuadere vult. Quis enim de his rebus potius Zonaræ auctori moderno quam ipsismet Pontificibus antiquis in hac causa fidem habeat? Secundo animadversione dignum est, Adrianum dicere *se jussionibus sacris Imperatorum* evocatum ad Concilium quod in principio & fine epistolæ frequentat. Tertio refert ab eo tempore quo ecclesia pace sub Constantino Magno potita est, sacras imagines depictas in Ecclesiis, idqueSylvestri Papæ testimonio roborat & hinc captat occasionem narrandæ historiæ babtismi Constantini ut à lepra sanaretur & ne se sanguine puerorum effuso in lepræ medicinam contaminaret.

V. Sed monendus lector hanc narrationem non carere suspicione fabulæ; maxime vero quod nullus certus atque indubitatus auctor ante Caroli Magni & Adriani Papæ tempora retulerit Constantinum Magnum lepra laborasse: utque sanaretur, balneum ex puerorum sanguine parari voluisse. Imo omnes antiqui quique viderunt Constantinum aut ejus seculo vixerunt, memorant baptizatum paulo ante-

antequam diem supremum obiret. Hercle Eusebius notissimus Constantino lib. IV. cap. 53. refert illum sexaginta annos natum *integerrima usum valetudine, & valentissimo fuisse corpore ad omnia militaria munia & exercitia obeunda.* Et cap. 61, 62. & 63. præsensisse diem suæ mortis imminere ac propterea aliquot dies antequam animam efflaret sacro tinctum fuisse baptismate Nicomediæ: de iis autem Eusebius scribit quæ ipse viderat. Idemque narrant Socrates lib. 1. c. 26. Theodoretus l. 1. cap. 32. & Sozomenus lib. 11. cap. 32. S. Ambrosius oratione quam habuit in funere Theodosii Magni nominatim ait *in ultimis constitutum gratiam baptismi Constantinum recepisse.* Item Hieronymus in continuatione Chronici Eusebii: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arrianum dogma declinat: à quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ & totius orbis sequuta est discordia*, inquit. Procul dubio cum totam hanc historiam accuratius exquiro atq; perpendo, video causam diversitatis temporis Baptismi Constantini inde solum natam & à diversis auctoribus varie tractatam: quod illi qui referunt baptizatum Romæ à Sylvestro, hac ratione infamiam Arrianismi ab Constantino amoliri velint. Quoniam dato quod fuerit baptizatus ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, inferunt optimum Principem Arrianum fuisse: quam consequentiam qui abnegarit, ut est abne-

ganda

ganda, tota probatio de baptismo Constantini facto Romæ corruit. Etsi enim Constantinus Sanctum Athanasium exilio multarit, non tamen id fecit studio promovendi Arrianismum aut favendi Arrianis: sed quia falsis persuasionibus acceperat B. Athanasium procurationem rei frumentariæ quæ Constantinopolim ex Alexandria deferebatur, impedire. *Neque similiter Eusebius Nicomediensis, quandiu vixit Constantinus, aperte Arrianismum professus est: quasque simultates cum S. Athanasio exercebat, alio prætextu vestiebat*, ut iis notum est qui Historiam Ecclesiasticam legerunt. Hercle cum Eusebii Pamphili historia statim post ejus mortem in omnium manibus versaretur, & multi superessent qui Constantinum viderant, si Romæ & non Nicomediæ baptizatus fuisset, in justissimas omnium reprehensiones Eusebius incurrisset, palamque crimine falsi accusatus & convictus facile fuisset: hoc autem cum à nullo factum sit, sed omnes antiqui constanter doceant, Constantinum in extrema vitæ periodo baptizatum, id quidem pro rato & certo tenendum est. Neque vero S. Hieronymus dicit illum fuisse Arrianum, sed *declinasse in dogma Arrianum*: eo quod S. Athanasium misisset in exilium & falsis persuasionibus Arrium ab exilio revocasset: quoniam Arrius simulabat se ejusdem esse fidei cum Patribus Nicænis, atque symbolo Nicæno subscripturum. Hoc autem Constan-

ſtantinus cum paci Eccleſiæ conducere arbitraretur, aſſenſus eſt, ut Arrius Alexandriam reverteretur. Quod autem ſubnectit Hieronymus *à quo uſque in præſens tempus Eccleſiarum, rapinæ, & totius orbis ſequuta eſt diſcordia* : demonſtrat, poſt mortuum Conſtantinum, Conſtantium ejus filium aperte complexum fuiſſe Arrianiſmum : idque cauſam præbuiſſe innumeris malis quæ deſignat Hieronymus. Procul dubio quamquam B. Hieronymus explicate docere, quod tamen non facit, Conſtantinum Magnum fuiſſe Arrianum, tamen perſpecta rei veritate ex hiſtoria Eccleſiaſtica, S. Athanaſio & aliis qui Conſtantinum ut orthodoxum laudant, nihilo magis fidem adhiberem Hieronymo, quam dum narrat in eodem Chronico *S. Meletium Antiochenum Epiſcopum hoſtem fuiſſe Eccleſiæ* : & tamen certiſſimum eſt poſt S. Athanaſium nullum alium plura exilia & labores exantlaſſe pro catholica fide teſte B. Baſilio in epiſtolis & Gregorio Nazianzeno qui familiariter Meletium noverant : ſiquidem mortuus eſt in Concilio Conſtantinopolitano, ut ſupra docui, & hinc claret SS. virorum libros cum magno judicio legendos. Quantum attinet ad lepram qua Conſtantinum laboraſſe prædicant, fabula eſt nata ex hac B. Gregorii Turonenſis narratione, qui lib. 11. cap. 32. Hiſtoriam baptiſmi Clodovei Francorum Principis commemorans : *Procedit novus Conſtantinus ad lavacrum,*

dele-

deleturus lepræ veteris morbum, inquit: Cum autem nomine lepræ, idololatriæ ſcelus, aliaque peccata hic allegorice Gregorius Turonenſis deſignet quiſpiam male feriatus Conſtantinum revera contaminatum fuiſſe lepra inde commentus eſt. Te rogo, lector, adhibe te in conſilium & diligenter reputa ſi hoc verum fuiſſet, utrum innumerabiles Ethnici, quos Conſtantinus edictis ſuis in gratiam Chriſtianorum factis graviſſime læſerat, imo oppreſſerat, id ſilentio prætermiſiſſent. Hercle ne quidem Julianus Apoſtata id in ſuis Cæſaribus tacuiſſet.

VI. Et mirabile eſt Baronium Tomo III. ad annum Chriſti 324. numero 42. nobis Liberium Papam primum hujus arcani vulgatorem exhibere: eamque ob cauſam Conſtantium Cæſarem graviter Liberio fuiſſe infenſum ex Actis ipſius Liberii fabuloſis aſſerere. Argumenta quæ ad hanc rem profert Baronius ſunt: Primum quod Adrianus I. in epiſtola ſua hæc enarret non tanquam Apocrypha aut dubia, ſed tanquam certiſſima eaque exhibere adverſarii iconoclaſtis contradicenda. Secundo, quid tam humanum *ait*, quam quod aliquis mortalis licet infulis regiis decoratus ea pati potuerit quibus alii homines obnoxii ſunt: cum præſertim Deus conſueverit peccata hominum ſuperborum ita ulciſci? & Plinius referat lib. XXVI. cap. I. Reges Ægypti hoc morbo frequenter laborare, atque huma-

no ſanguine ſibi medicinam facere conſue-viſſe? Tertio, Euſebium Pamphilum virulenter tanquam Arrianum laceſſit, quaſi voluerit oſtendere Conſtantinum fuiſſe Arrianum, & hac ratione Conſtantio Conſtantini filio gratificari. Quarto, eundem arguit Euſebium velut pugnantia loquentem, dum memorat ſolum Conſtantinum in Chriſti confeſſionibus renatum & ſacris initiatum: ac immemorem eſſe quod lib. VI. cap. 27. Hiſtoriæ dixerit, Philippum primum Imperatorem Chriſtianum in pœnitentium publicorum claſſem rejectum à Fabiano Papa Romano, neque receptum fuiſſe antequam peccata confeſſus fuiſſet, *&c.* Quinto, ſequi Conſtantinum impium & hæreticum mortuum fuiſſe, dato quod ab Euſebio Nicomedienſi Arriano baptizatus fuerit, & tamen omnes antiquos atque inter alios S. Athanaſium fateri orthodoxum fuiſſe. Sexto, oporteret Conſtantinum per totum vitæ ſpatium fuiſſe duntaxat catechumenum, neque potuiſſe unquam ſacris myſteriis participare: nihilominus idem Euſebius lib. IV. vitæ Conſtantini, cap. 57. hæc refert, *Magna autem agebatur diei Paſchæ celebritas eo tempore: & Imperator cum cæteris pernoctans vota preceſque Deo perſolvebat*, & cap. 22. *Sed hanc religionis exercitationem ſalutaris feſti temporibus augens omnibus viribus cum animi tum corporis divinos ſacrorum ritus obibat: quaſi qui hujus magna ſolennitatis exemplum omnibus præberet.*

Septi-

Septimo, urget Constantinum tanquam Catechumenum non potuisse sedere in Concilio Nicæno cum Episcopis, eorumque dissidia placare: quia nunquam id Patres tolerassent. Quibus argumentis cur tantum fidat Baronius non quidem ratio sed mera confidentia ingenii atque nimius amor sui efficit. An, rogo, Acta Apocrypha Liberii & hæc Adriani PP. assertio ullo esse numero debent consensui omnium antiquorum opposita? Quod autem instat Iconoclastas adversarios nihil in contrarium excepisse quando audierunt mentionem fieri de imaginibus Apostolorum quas Constantinus per insomnium viderat: respondeo ne quidem certum atque indubitatum esse hoc illis propositum fuisse insomnium, cum epistola Adriani stare possit absque hac narratione: & ex ejusdem epistolæ lectione facile dignosci, multa in eam insita esse quæ pessime cohærent. Unde etiam in editione Romana Conciliorum ad oram Epistolæ Adriani notatur, *epistolam Græcam non satis respondere epistolæ Latinæ quam refert Anastasius*: propria sunt verba: Nam Adrianus ibidem permultas rationes pro veneratione imaginum recenset quæ multo plus habent ponderis quam quæ de somnio Constantini narrat: hoc est, *Imagines ab omnibus fidelibus honorari ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis majestatem mens nostra rapiatur, spirituali affectu per contemplationem figuratæ imaginis secun-*

 dum

dum carnem quam Filius Dei pro nostra salute suscipere dignatus est, &c. Enimvero, hæc ad quæstionem juris, illa vero apparitio Apostolorum & eorundem imagines quas Sylvester servabat potius ad quæstionem facti spectant. Secundo, frustra desudat Baronius ut probet humanum esse homines lepra affici posse: quia nullus de ea re dubitat. neque etiam Plinium narrare Reges Ægypti solitos tentari hac tabe: sed absolute negatur Constantinum leprosum aut Regem Ægypti fuisse. Tertio, quæ in Eusebium Pamphilum intemperanter effundit, nihil ejus causam juvant, cum ipse B. Hieronymus & Ambrosius doceant Constantinum in extrema vitæ periodo baptizatum fuisse. Quarto, non pugnantia loquitur Eusebius, quia Philippi Imperatoris causa diversa est à facto Constantini: ille enim jam baptizatus fuerat & tanquam gravissimus peccator inter publicos pœnitentes referebatur, ut fertur, inquit Eusebius: non enim hoc pro vero asserit sicut factum Constantini donandi baptismate. Quinto negatur Constantinum mortuum fuisse Arrianum, dato quod Eusebius Nicomediæ Episcopus eum baptizarit: cum ut dixi Eusebius vivente Constantino nunquam palam & publice professus sit Arrianismum: quandoquidem subscripsit symbolo Nicæno cum aliis Patribus Nicænis. Sexto, verum est Constantinum per totum vitæ spatium fuisse catechumenum & duabus

potis-

potiſſimum de cauſis baptiſmum ſuum diſtuliſſe in extremam vitæ periodum: tum quo purior ad Deum proficiſceretur tum quia in reverentiam baptiſmi Chriſti baptizari in Jordane ardenter cupiebat, ut docent hiſtoriæ. Quæ autem ab Euſebio promit teſtimonia Baronius, ut doceat, Conſtantinum factum participem myſteriorum, id eſt, ſacræ ſynaxeos, tota via errat: quoniam Euſebius ibi de myſteriis minime loquitur, ſed duntaxat de publicis & communibus precibus atque orationibus acceſſionem facientibus ad ſacram Euchariſtiam & myſteria. Septimum argumentum longiorem exigit diſputationem, quam rejiciam in defenſionem libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate.

VII. Sed ut ad inſtitutum revertamur, quartum notabile epiſtolæ Adriani eſt de ejus conqueſtione quod Imperator Taraſium Conſtantinopolitanum œcumenicum ſive univerſalem Patriarcham nuncuparit: Anaſtaſius Biblithecarius in Præfatione ſeptimæ Synodi quæ extat in Romana editione, narrat, ſe de hac re ſermonem cum Græcis conſeruiſſe, *dixiſſe autem ſe Patriarcham ſuum vocare Oecumenicum, non quod univerſi orbis Præſulatum teneat, ſed quod cuidam parti orbis habitabilis præſit: Nam*, inquit, *quod Græci Oecumicum vocant, à Latinis non ſolum orbis aut univerſalis, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur*. Hæc ille, nobis anſam præbens amplius

inquirendi in notionem hujus vocis; quandoquidem Oecumenium ſignificat univerſale & ad totum orbem habitabilem pertinens: unde cum Imperatores Romani toti orbi habitabili ſynecdochicôs imperare dicerentur, eorum imperata ad totum orbem ſpectantia Oecumenica nuncupabantur: dixi ſynecdochicôs ſumpta illuſtriore parte mundi pro toto. Cum ergo eorundem Imperatorum literæ *ad omnes omnino Epiſcopos, pro indictione Concilii dirigerentur*: ſic enim Theodoſius in indictione primæ Synodi Epheſinæ loquitur: inde uſu evenit ut progreſſu temporis, Synodi quas Imperatores ſuis generalibus edictis & mandatis convocarent, quia ex Epiſcopis totius orbis Romani Imperii conflarentur, Oecumenicæ vocarentur: dixi progreſſu temporis, quoniam tres primæ Synodi, Nicæna, Conſtantinopolitana & Epheſina in ſcriptis antiquorum non alio *quam ſanctæ aut magnæ Synodi nomine donantur*. At vero in Chalcedonenſi Synodo nomen Oecumenici primum ab Vicariis Leonis Magni, deinde à quibuſdam Presbyteris Alexandrinis ipſi Leoni Magno tributum legimus, ut in Hiſtoria Chalcedonenſis Concilii docui: quare poſtea Synodi generales quæ ab Imperatoribus convocabantur paſſim Oecumenicæ nuncupatæ ſunt. Et quamquam in dies ſingulos majeſtas Imperii exoleſceret, tamen uſque ad octavam Synodum hoc titulo nobilitantur: cujus rei cau-

causam idem Bibliothecarius in Præfatione octavæ Synodi referat, *ideo enim* ait *Oecumenicam & universalem dici, primo quia Catholica fides in ea & sanctæ leges quæ non solum à sacerdotibus sed & ab universis Christianis coli debent & venerari contra hostes earum consona voce defenditur. Deinde quia cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit: profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes unius fuerint voluntatis: sicut nihil deest motui corporis si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis*, &c. Ex his autem duabus rationibus quas Anastasius profert, conspicuum evadit, Synodos ab eo Oecumenicas potissimum appellari ratione conventus & consensus quinque Sedium Patriarchalium quæ singulæ Epistolas Encyclicas & circulares mittebant ad Episcopos sibi suffraganeos pro Concilii congregatione, quam in rem lege Disputationem Maximi cum Pyrrho Monotheleta sub finem: quæ extat Tomo VIII annalium Baronii, & apud Binium Tomo III Conciliorum. Dehinc autem Imperio & religione Christiana ferme extinctis in Oriente propter Turcici regni propagationem; nomen Oecumenici Concilii tributum est sacris conventibus qui soli Pontifici Romano subessent, atque ejus auctoritate indicerentur: quod tantum contigit post octavum Concilium generale: à quo tempore Monarchia curialium pe-

detentim in formam & dominatum, sub quo hodie gemimus, accrevit. Quintum notabile est quod Adrianus petit ab Imperatore, ut aliquid pro Ecclesiæ Romanæ luminariis & alimentis pauperum eroget: *& quæ ab orthodoxis Imperatoribus seu à cæteris Christianis fidelibus oblata atque concessa sunt Patrimonia B. Petri Apostolorum Principis, in integrum restituere dignetur.* Quæ si intelligantur quasi ante Caroli Magni donationem Ecclesia Romana aliquod habuerit patrimonium terreste & prophanam ditionem, falsissima sunt; nihil enim terrarum antea possidebat. Sexto, petit canonicas consecrationes, id est, ordinationes & electiones sacras Archiepiscoporum & Episcoporum secundum Olitanam seu antiquam consuetudinem penitus sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitui. Quæ clausula inserta videtur huic epistolæ ad labefactandum *Can. Adrianus Dist.* 63, de cujus veritate alias cum Baronio disputabimus.

VIII. Septimo vocat Carolum Magnum Filium & Spiritualem compatrem, ac Patricium Romanorum, docetque nominatim Ecclesiam Romanam à Franciæ regibus habere Patrimonium S. Petri quod hodie appellant: non autem à Constantino Magno, ut alii fabulantur: cum à Constantino Magno ad Constantinum Pogonatum Imperatores semper habuerint Exarchum & proregem in Italia, qui etiam Romæ moderabatur: tempore

re

re autem ſeptimæ Synodi adhuc in Sicilia & Provincia Neapolitana Strategum aut Ducem militarem conſtituebant ad illas provincias gubernandas : ſiquidem tum vires atque poteſtas Imperii penitus erant profligatæ in toto Occidente ; ita ut præter Siciliam & Neapolitanam provinciam Imperatores nihil in tota Italia poſſiderent : quoniam Carolus Magnus exciſo regno Longobardorum totam Italiam occupaverat. Verum ego opinor ſeculo Caroli Magni poſtquam Eccleſia Romana ab eo ditione temporali locupletata eſt, excogitatam fuiſſe fabulam de donatione Conſtantini, aliaque multa ſcripta in gratiam Curiæ Romanæ jam parturire incipientis, efficta atque ſuppoſita fuiſſe. Octavo, valde dignum eſt admiratione Adrianum hac epiſtola dicere *Carolum Magnum B. Petro reſtituiſſe provincias quæ ejus eſſe jure dignoſcebantur*. Hoc enim eorum quadrat commento, qui donationem Conſtantini non largitionem ſed ſimplicem reſtitutionem fuiſſe nugantur: quæ otioſorum & imperitorum hominum ſunt commenta, & niſi vehementer fallor huic Epiſtolæ Adriani adſuta fuerunt, ſicut & quædam alia ſuperius notata. Nono, animadvertendum eſt, quanquam poteſtas Romani Pontificis ruente Imperio magnum faceret incrementum, nihilominus Adrianum non ſibi jus quoddam monarchicum arrogare in Eccleſias, ſed duntaxat primatum : Nam ubi de Titulo

Patriarchæ Oecumenici disputat: *Si Tarasius est universalis* ait, *etiam Ecclesia nostræ Sedis Primatum habere dignoscitur: quod ridiculum omnibus apparet: quia in toto orbe terrarum ab ipso redemptore mundi B. Petro Apostolo Principatus ac potestas data est: & per eundem Apostolum sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia usque hactenus & in ævum tenet Principatum ac potestatis auctoritatem.*

IX. Verum huic epistolæ ad Imperatores alia subjicitur ejusdem Adriani ad Tarasium hac nobilitata inscriptione: *Dilecto fratri Tarasio Patriarchæ Adrianus Episcopus servus servorum Dei*, &c. quæ indicat Romanos Pontifices habuisse Episcopus Constantinopolitanos pro Patriarchis, juxta Canonem III Constantinopolitanum & XXVIII Chalcedonensis Synodi. Principio autem Adrianus significat Tarasio se synodicam ejus confessionem grato animo accepisse. Confessio Synodica erant literæ solennes quas Patriarchæ statim atque essent ordinati, mittere consueverant ad alios Collegas suos Patriarchas, eisque sigillatim summam suæ fidei atque inter alia sex Synodos generales se admittere & servare ad unguem testificabantur: vide quæ de hac re supra in Historia quintæ Synodi cap. 9, num. 10. observavimus. Insuper etiam Tarasius addidit, se majorum traditionem de cultu imaginum suscipere: erat autem vir & summa pietate & eruditione percelebris: quam ob caussam

ſam illum ex laico in Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum cooptari voluit Imperator, ut olim S. Ambroſio, & Nectario contigiſſe legimus. Hæ autem epiſtolæ Patriarcharum de ſua inauguratione ideo Synodicæ indigitabantur, quod fierent in Synodo quam Patriarchæ eam ob cauſam indicebant. Secundo Adrianus memorat, Taraſium omnium primum exhibuiſſe picturam S. Joannis Præcurſoris Domini digito agnum depictum oſtendentis, id eſt, figuram gratiæ nobis collatæ per Chriſtum, &c. quæ videbit lector. His perlectis literis, Vicarii Adriani Papæ ſic Taraſium qui ſecundam Sedem obtinebat, affantur: *Dicat nobis ſanctiſſimus Patriarcha Taraſius regiæ civitatis, ſi conſentiat literis ſanctiſſimi Papæ ſenioris Romæ Adriani annon?* Taraſius dixit, *Apoſtolum laudare ſinceram fidem Romanorum atque Adrianum participem factum ejus fidei; ſe vero ſcrutando ſcripturas & ſyllogiſtice approbando rimatum eſſe: ſicque quod confeſſus eſt confiteri & confeſſurum, conſonare & confirmare, atque permanere in ſignificatione literarum Adriani, quæ imaginales deſcriptiones ſuſcipiunt ſecundum antiquam Patrum traditionem: ſeque eas affectuoſo amore adorare, &c.* Quam in ſententiam omnes alii Patres ſeptimæ Synodi abierunt. Porro, hic obſervatione dignum occurrit Taraſium dicere: *Quod confeſſi ſumus confitemur, & confitebimur, conſonamus & confirmamus atque permanemus in ſignificatione literarum*, &c. hacque clau-

clausula ostendere quo sensu capienda sint vocabula concepta quibus Romani Pontifices dicunt se confirmare Acta Synodorum: quia hoc nihil aliud sonat quam ad aliorum sententiam & majorem communionem sanctorum accedere, ut supra dictum est.

Actione III Gregorius Episcopus Neo-Cæsareæ tationem suæ fidei reddit per libellum ut Actione secunda statutum fuit: quandoquidem interfuerat Synodo olim celebratæ contra sacras imagines: quare errorem suum ejurat & propterea admittitur ad gradum Episcopalem, cum retulisset se tempore persequutionis Iconoclastarum neminem percussisse, aut occidisse, vel percuti aut occidi curavisse, quoniam Canones vetant Clericum percussorem ad gradum suum obeundum admitti. His peractis, Constantinus Episcopus Cypri petit à Patritiis, ut quemadmodum literæ Adriani PP. ad Imperatorem & Tarasium lectæ fuerant, ita & literæ aliarum Sedium Patriarchalium Orientis legerentur, ut innotesceret an eadem sentirent & prædicarent cum literis Adriani. Quibus auditis Magnificentissimi Principes aut Patritii cum tota Synodo jusserunt legi: fitque legendi principium à Synodica Tarasii directa ad tres Patriarchas Orientis ejusdem omnino argumenti & formæ cum literis synodicis quas idem Tarasius miserat ad Adrianum PP. Quare ubi perlectæ fuerunt, Vicarii Adriani dixerunt

Adria-

Adrianum similes literas recepisse, eamque ob rem illos misisse cum rescriptis Actione secunda lectis. Postea leguntur Synodicæ Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani: quibus perlectis Vicarii Sedis Romanæ dixerunt: *Acquiescimus, quia secundum fidem quam recte Tarasius sanctissimus Patriarcha Constantinopolitanus est confessus, & Apostolicus Papa noster Adrianus suscipiens* UNA CUM VENERABILI SANCTA SYNODO QUÆ APUD IPSUM EST, *consentit, & eorum quæ ille confessus fuerat, communionem amplexus est: Et benedictus Deus quia Orientis sanctissimi summi sacerdotes concordes in orthodoxa fide & adoratione venerabilium imaginum cum Adriano Papa Romano & Tarasio Patriarcha novæ Romæ inventi sunt: & qui ita non confitentur anathema sint à sanctis trecentis decem & octo Patribus qui hic ante collecti sunt. Sancta Synodus dixit: fiat, fiat fiat. Agapius Episcopus Cæsareæ dixit: Destinatis ab Orientis sanctissimis Pontificibus sacratissimis literis ad Tarasium sanctissimum Patriarcham, his tanquam titulum orthodoxiæ suscipiens omnibus modis consentio & communionem recipio: & eos qui ita non sapiunt anathemati submiserim. Ita pariter omnes alii Episcopi censuerunt.*

Hinc autem duo potissimum colligimus: Primo, literas, quas Adrianus misit ad Imperatores & Tarasium, esse synodice factas, sicut de aliis Romanorum Pontificum literis docuimus in præcedentibus Conciliis: idque osten-

ostendit, Romanos Pontifices temporibus octo primorum Conciliorum omnia negotia Ecclesiastica conformiter ad quintum Canonem Synodi Nicænæ synodice tractare consuevisse: & tum *proprios motus* nondum in usu fuisse: hoc enim ab eo tempore quo synodi desierunt haberi increbuit, quod est sæpius dicendum. Secundo cognoscimus, omnia non ad unius Papæ arbitrium, sed ex communione Sanctorum & regulis Aristocratici regiminis decerni.

Actione IV ex Consilio Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, innumera testimonia partim ex sacra scriptura partim ex Sanctis Patribus colliguntur & recitantur, quibus veneratio & cultus imaginum sacrarum confirmatur & illustratur: idque omnes Patres suis syngraphis auctorant: atque nobis modum sufficientis diligentiæ atque instructionis propagandæ ad posteros indicant: de qua jam sæpe disputavimus, præsertim in prima Synodo Ephesina ex Capreoli Carthaginensis Episcopi rescripto.

Actione V idem Tarasius refert Iconoclastas esse imitatores Hebræorum, Saracenorum, Gentilium, Samaritanorum, Manichæorum, Theopaschitarum seu Phantasticorum, qui voluerunt exterminare usum imaginum: idque probatur allatis librorum plurimorum testimoniis & in hac librorum exhibitione hæretici orthodoxis, & maligni bonis opponun-

niuntur; inter alia autem apprime notanda facit Joannis Episcopi Thessalonicensis sententia, dicentis *Angelos & animas hominum non omnino esse incorporales & invisibiles* : qui fuit Platonicorum atque etiam nonnullorum Patrum antiquorum, ut Tertulliani, error : cum ergo Thessalonicensis Episcopus ostendisset *Angelos pingi oportere quia circumscripti sunt & velut homines apparuerunt : Et sancta Synodus dixit : Etiam, Domine* : inde novatores hujus temporis inferunt septimam synodum in hoc turpiter erravisse. Sed facilis hujus calumniæ depulsio : quia dum sancta Synodus respondet Episcopo Thessalonicensi : *Etiam Domine*, hoc referri debet ad verba immediate præcedentia de pingendis Angelis : minime vero de iis quæ pagina integra distant scilicet Angelos & animas esse corporeas : hoc enim nequaquam approbavit synodus, Sed fuit peculiaris opinio Episcopi Thessalonicensis. Accedit in Synodis non attendi oportere ad ea quæ privatus aliquis narrat, sed ad solam Synodi definitionem, ut alias observatum est.

Actione VI eduntur Acta pseudo-Synodi septimæ, in qua damnatæ fuerunt sacræ imagines.

X. Actione VII Synodus concluditur cum generali recapitulatione eorum omnium quæ in sex præcedentibus Conciliis generalibus decreta fuerant. Quare *iterum dicitur Anathema Sergio, Honorio, atque aliis Monothelitis.*

Hac

Hac formula : *Deinde quoque duas voluntates & operationes secundum naturarum proprietatem in Christo prædicamus, quemadmodum & Constantinopoli sexta Synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium & eos qui sine voluntate sunt pietatis, atque istis similiter sentientes*; &c. Deinde his conceptis verbis sanciunt imagines *esse relative tantum non absolute adorandas*. Id est, quatenus Deum aut sanctos repræsentant atque animus noster videns imaginem Christi aut sancti alicujus, se illuc refert prostratus ante imaginem : *Definimus in omni certitudine ac diligentia sicut figuram preciosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus quam & tessellis quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis, tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum virorum.* QUANTO ENIM FREQUENTIUS *per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam & ad osculum*, ET AD HONORARIAM HIS *adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam. Ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis & sanctis Euangeliis & reliquis sacris monumentis,*

incen-

incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur: quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit: & qui adorat imaginem adorat in ea depicti subsistentiam, &c. Græce sic habent: ὅσῳ γὰρ συνεχῶς δι' εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως ὁρῶνται, τοσοῦτον καὶ οἱ ταύτας θεώμενοι διανίστανται πρὸς τὴν τῶν πρωτοτύπων μνήμην τε καὶ ἐπιπόθησιν. καὶ ταύταις ἀσπασμὸν, καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει. id est, *Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur*, imagines scilicet, *tanto qui has contemplantur alacrius exurgunt ad memoriam & desiderium primitivorum & ad osculum & honorariam adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet*. Hæc autem omnia Patres suis suffragiis atque subscriptionibus sigillatim comprobant & confirmant ad hunc modum. Petrus *indignus primus presbyter Sedis sancti Apostoli Petri, & locum supplens Adriani Papæ senioris Romæ definiens subscripsi*. Tharasius *misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ paterna dogmata sequens & traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiens subscripsi*: Joannes *misericordia Dei Presbyter & Patriarchalis Syncellus, locum retinens trium Apostolicarum sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ, paterna dogmata sequens & traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiens subscripsi*: Thomas *misericordia Dei Presbyter & Hegumenus Monasterii sancti Arsenii siti in Ægipto*

ſuper Babylonem retinens locum trium Apoſtolicarum ſedium, Alexandrinæ, Antiochiæ & Hieroſolymitanæ paterna dogmata ſubſequens & traditionem Catholicæ Eccleſiæ definiens ſubſcripſi. Et ita omnes Patres continuant: idque ſicut Ariſtocratici regiminis continuationem comprobat, ſic abſolutam Curialium monarchiam profligat.

Ad calcem ejuſdem Actionis ſeptimæ in omnibus editionibus Conciliorum, legitur Epiſtola ſynodica quam Taraſius nomine Synodi ad Conſtantinum & Irenen Imperatores, pro confirmatione geſtorum obtinenda ſcripſit: qua in epiſtola ſummam geſtorum recenſet & diſerte narrat cunctos Patres definitionibus omnium Synodorum præcedentium ſubſcripſiſſe, atque Sergium, Honorium, Cyrum & Pyrrhum cum aſſeclis damnaſſe, &c.

Quod ſpectat ad Actionem VIII. editio Romana cauſatur non reperiri apud Anaſtaſium Bibliothecarium qui Acta ſeptimæ Synodi conſcripſit: ſed factam fuiſſe poſt Synodi concluſionem: continet autem unum & viginti Canones, quorum major pars antiquos renovat & explicat. Alias docui Vicarios Sedis Apoſtolicæ de more habuiſſe, idque ex inſtructionibus ſibi datis, non intereſſe Actionibus quibus Canones conderentur, ne forſan alligare putarentur Sedem Romanam Canonibus ſervandis: ſicque ſenſim ſe ſupra omnes Canones extuliſſe. Huic octavæ Actioni ſubjici-

jicitur ejuſdem Taraſii epiſtola nomine Synodi ſcripta ad Adrianum PP. cui compendium actorum enarrat, atque inter alia *cum ſediſſent in concilio caput Synodi feciſſe Chriſtum, propoſito in ſancta Sede Euangelio ſancto, conteſtante omnibus ſacratis viris qui convenerant, ut juſtum judicium judicarent inter Sanctam Dei Eccleſiam & novitatem quæ facta eſt: ac primum perlectas fuiſſe Adriani Papæ literas, quæ omnibus prælucebant: eiſque literas Sedium patriarchalium Orientis ſubjunctas*, &c.

XI. In limine ſeptimæ Synodi editionis Romanæ occurrunt duæ epiſtolæ Gregorii II PP. ad Leonem Iſaurum Imperatorem Iconomachum, quarum poſteriore Gregorius diſcrimen Eccleſiaſticæ & politicæ poteſtatis ſic egregie deſcribit: *Vides Imperator Pontificum & Imperatorum diſcrimen: Si quiſpiam te offenderit domum ejus publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens: tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas: cumque longe à liberis & ab omnibus cognatis & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita, ſed ubi peccarit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii vel amputationis capitis loco, Euangelium & Crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in ſecretaria, ſacrorumque vaſorum æraria conjiciunt, in Eccleſiæ diaconia, & in catechumena ablegant, ac viſceribus eorum jejunium, oculiſque vigilias & laudationem ori ejus indicunt. Cumque probe caſtigarint probeque fame afflixerint, tum pretioſum*

illi Domini corpus impartiunt, & sancto illum sanguine potant: & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum insontemque transmittunt. Vides Imperator Ecclesiarum Imperiorumque discrimen? Quam Epistolam offendes pariter apud Severinum Binium Tomo III Conciliorum inter Gregorii II epistolas. Ex qua discimus, Ecclesiam Romanam illis temporibus adhuc usam publica pœnitentia, nullosque alios habuisse carceres quam secretaria aut sacristiam, ut hodie vocant: & continuo nondum potestatem indirectam in rebus temporalibus ad mentem Curialium sibi assumpsisse: hæcque eo notabiliora censentur, quod fingant eundem Gregorium II prima jecisse fundamenta temporalis monarchiæ Romanorum Pontificum, exauctorando Leonem Isaurum & transferendo Imperium in Reges Franciæ: quod fabulosum esse ostendimus supra.

XII. In eadem Romana editione Conciliorum post Gregorii II epistolas extat Præfatio Anastasii Bibliothecarii in septimam Synodum, quam nuncupat Joanni VIII PP. triaque præsertim digna observatione complectitur. Primo, Stephanum Papam decrevisse quinquaginta solum Canones Apostolorum esse recipiendos: deinde Joannem VIII. voluisse omnes admitti: legendus Gratianus *dist.* 16. *Can. Placuit:* & notandum hoc factum à Joanne VIII. eo quod antea *in Synodo Trullensi*

Quini-

Quini-sexta, decretum fuisset, ut octoginta quinque Canones qui dicuntur Apostolorum reciperentur, Canone III ejusdem Synodi Trullensis.

XIII. Cæterum hos Canones Apostolorum collectos fuisse ab aliquo ex omnibus Canonibus Conciliorum cum generalium tum provincialium tempore quintæ Synodi, & sub nomine Canonum Apostolorum editos ac tandem ab Ecclesia Orientali & Occidentali receptos arbitror. Secundo Anastasius memorat Græcos Patriarcham Constantinopolitanum vocare œcumenicum, non quod universi orbis præsulatum teneat, sed cuidam parti orbis præsit quæ à Christianis habitatur ut paulo ante docui. Tertio Gallos tum temporis non consuevisse adorare imagines: *ajunt namque quod non sit quodlibet opus manuum adorandum: quasi non sit Codex Euangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant: similiter & forma sanctæ Crucis quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur*, inquit. Verum ego quidem non ambigo à primis Ecclesiæ Christianæ incunabulis, sacras imagines in usu fuisse: sed Caroli Magni seculo, cum ritus eas adorandi introduceretur, sicut omnia nova semper aliquid habent admirabilis, insoliti ac suspecti. Ideo hoc multos perculisse, quousque usu diuturno ritus novus adorationis mitesceret. Hercle B. Gregorius Magnus, lib. VII sub finem Epistolæ 53 scribens cui-

 dam

dam recluso qui ab eo Christi imaginem flagitarat, explicate respondet, non esse adorandas imagines: *Scio quidem*, ait, *quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum aut passum, sed in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat; aut de passione demulcet.* Item epistola 109 ejusdem lib. ad Serenum Massiliensem Episcopum, qui imagines confregerat & ex Ecclesia projecerat: *Præterea*, inquit, *dudum ad nos pervenit, quod Fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudamus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut si qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo Fraternitas & illas servare, & ab eorum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & literarum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret.* Verum ex epistola nona libri noni Gregorii colligimus Serenum Massiliensem inductum ad confringendas imagines, eo quod versaretur inter Gen-

Gentiles & Paganos, quos S. Gregorius hac via posse ad religionem Christianam allici docet: *Aliud est enim picturam adorare*, inquit, *aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident quod sequi debeant: in ipsa legunt qui literas nesciunt: unde & præcipue Gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te qui inter Gentes habitas attendi debuerat: ne dum zelo incaute succenderis, ferocibus animis scandalum generes*, Demum sic concludit: *Si quis imagines facere voluerit minime prohibe: adorare vero imagines omnibus modis devita. Sed hoc solicite Fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur*, &c. Qui locus S. Gregorii laudatur ab Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi opusculo contra Hincmarum nepotem suum cap. 25. quod conscripsit tempore Joannis VIII PP. centum ferme annis post septimam Synodum. Et hinc duo colligimus ex Hincmaro, alterum, consuetudinem adorandi imagines ne quidem tum usitatam fuisse in Galliis, ut ipsemet testatur Anastasius, continuoque septimam Synodum, non receptam fuisse à nostris: ac verissimum esse tempore Caroli Magni adorationem imaginum Synodo Parisiensi prohibitam. Causam autem cur imaginum cultus ad Gallos serius pervenerit hanc

esse conjicio, quod à Regibus non ab Imperatoribus Galli gubernarentur: siquidem ratio adorandarum imaginum primum ab analogia & similitudine honoris quem primi Christiani Imperatorum imaginibus exhibebant, manavit, ut ex septima Synodo Actione prima facile inimus. Ubi Basilius Episcopus Ancyræ professionem suæ fidei coram Synodo emittens: *Si enim* inquit, *Imperatorum laureata & iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis & incensis, non cera perfusam tabulam sed Imperatorem honorantes: quanto magis oportet in Ecclesiis Christi Domini nostri iconem depingi, Salvatoris Dei nostri & intemeratæ matris ejus*, &c. Hæc ibi. Certe Historiarum monimenta nos docent ab eo tempore quo Imperatores nomen dederunt Christianæ religioni, & pax data est Ecclesiis, illorum imagines in templis Christianorum erigi atque honorari solitas, præsertim Romæ & Constantinopoli quæ Sedes erant Imperii: unde postea quasi à minori ad majus, Ecclesia Martyrum atque aliorum sanctorum imagines pedetentim erigi & honorari in templis permisit, ducta similitudine & proportione ab Imperatorum simulacris. Hucque referri debet Historia Philippi Imperatoris Monotheletæ, cujus imaginem in Ecclesiam introduci populus Romanus non passus est, teste Beda lib. de sex Ætatibus mundi. Et hæc de priore collectaneo. Ex quo discimus decreta septimæ

mæ & octavæ Synodi de adorandis imaginibus, sero transiisse ad Gallos: qui tamen unitatem cum aliis Ecclesiis adorantibus imagines & continuo pacem atque charitatem servabant: quandoquidem decreta Conciliorum non obligant priusquam recipiantur, ut de Synodo Tridentina patet. Alterum collectaneum est, rationem adorandarum imaginum, teste B. Gregorio, multa indigere ratiocinatione, nec parva implicatam esse difficultate, ut ipsemet Bellarminus fatetur l. 11. de Imaginibus cap. 22. dum ait *Doctores de imaginum adoratione disputantes, cogi subtilissimis distinctionibus uti, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.* Unde ego coram populo *à nomine adorationis esse abstinendum, atque solo venerationis, cultus, aut honoris nomine uti oportere censerem.* Legendus idem Bellarminus eodem lib. à cap. 20 ad 27. Certe hæc adoratio tantum homonyma est, ut Scholastici loquuntur. Utque amplius pateat quam necesse sit populum in hac re erudiri, hic certissimam narrabo historiam: Puer quidam quatuordecim circiter annos natus, cum quartana febre diutissime laborasset, atque omnia remedia quæ à medicis præscribi solent absorpsisset, tum demum ejusdem pueri mater non quidem idiota, ab alia tamen fœmina idiota persuadetur, votum novemdiale coram B. Virginis imagine quæ brachio. dextero Jesum Christum Filium gestaret esse peragendum: sed

peropus esse ut ille ipse puer quartana tantatus proprio ductu, industria & labore per omnes ecclesias urbis ejusmodi imaginem indagaret, cavendumque ne ei à quoquam indicaretur: quia alioqui preces irritæ forent. Quid plura? Puer ille tandem inter multas imagines eam invenit quam illa mulier superstitiosa designaverat, quamque statuarius contra rationem & decorum artis suæ, nisi forte esset Scævola, exsculpserat (solent enim pictores & statuarii qui fœminas pueros bajulantes efformant, dexteram manum liberam fœminis ad usum relinquere) atque votum novemdiale peregit idololatrica superstitione implicatus; quia imago virginis dextera quam sinistra manu Christum gestans nihilo magis veneratione digna est.

CAPUT. XII.

I. *Historia Synodi* VIII. *quam Basilius Cæsar indixit, eique præsedit: & de ejusdem literis quæ initio Concilii leguntur, ut ordini rerum agendarum præfulgeant: & de signo S. Crucis quod una cum sanctis Euangeliis in medio consessu Patrum erigitur.*

II. *Senatus ab Imperatore constitutus in hac Synodo petit à legatis Romanæ Sedis & Sedium Orientalium ut literas exhibeant, quibus de eorum missione & facultate pateat.*

III. *Vicarii Romanæ & Sedium Orientalium rationem reddunt judicii & rerum à se gestarum adversus Photium, quem non viderant nec audierant.*

IV. *Senatus ab Imperatore constitutus Photium & asseclas audiri petit à Synodo, idque Synodus decernit repugnantibus Vicariis Romanæ Sedis.*

V. *Nicolaum PP. testari causam firmitatis judicii Sedis Apostolicæ manare ab inviolabili Canonum observatione.*

VI.

VI. *Gesta Romanæ Synodi Nicolai PP. adversus Photium leguntur in Synodo coram ipso Photio.*

VII. *Adventus Basilii Imperatoris ad Synodum ut ei præsideret : & de concertatione Metrophanis Metropolitæ cum Photianis, quibus Metrophanes demonstrat universa quæ Nicolaus PP. gessit in Photium esse Canonibus conformia.*

VIII. *Protreptica oratio Imperatoris ad Photium ejusq; asseclas, ut eos flectat ad pœnitentiam & culpam deprecandam.*

IX. *Expostulatio Adriani II. PP. adversus Photium quod contra Canones sententiam excommunicationis tulisset in Nicolaum PP. fateturque Adrianus consensu Sedis Apostolicæ Honorium damnatum à Patribus VI Synodi.*

X. *In omnibus octo primis Conciliis nullam fieri mentionem Presbyterorum aut Diaconorum Cardinalium, quamquam ibidem Archipresbyteros & Archidiaconos subscripsisse legantur.*

XI. *De septem & viginti Canonibus quos Patres Synodi* VIII *condiderunt ad optime regendam Ecclesiæ disciplinam.*

XII. *De quadruplici Ecclesiæ tribunali : & cur & quando patriarchale tribunal erectum fuerit.*

XIII. *De Metropolitanorum promotione per concessionem Pallii, & unde & quando hic mos invaluerit.*

XIV. *Synodum provincialem intermitti oportere propter Synodum Patriarchalem.*

XV. *Canon Synodi* VIII. *contra adulatores Principum, volentes persuadere Synodos haberi non posse absque Regum & Principum præsentia.*

XVI. *De privilegiis Ecclesiæ concessis ab Imperatoribus aut Principibus secularibus.*

XVII. *Patres habita ratione expostulationis Adriani PP. conquerentis de Photio quod Nicolaum PP. excommunicasset, statuunt non esse temere proferendam sententiam in primam Sedem : & continuo declarant Papam à Concilio judicari posse.*

XVIII. *Episcopos sacris electionibus instituendos, atque invitis Episcopum dari non posse teste Cardinali Cusano.*

XIX. *Canon de Metropolitanis cogendis in ordinem, ne se curis secularibus immisceant.*

XX. *Canone* XXVI. *Canones Nicæni partim probantur partim eisdem derogatur ut tribunal patriarchale erigatur : quoniam*

niam soli minores clerici judicio Metropolitanorum permittuntur: Episcopi autem atque Metropolitani solis Patriarchis respective & proportionatim judicandi reservantur.

XXI. *Conclusio Synodi qua tertio dicitur anathema Honorio PP. propter Monotheletismum: & Imperator petit à Patribus utrum definitio Concilii communi omnium consensu facta sit: quod indicat Ecclesiam aristocratico regimine non absoluto imperio gubernari.*

XXII. *Anastasius Bibliothecarius ea esse genuina* VIII: *Concilii Acta testatur, quæ ex Græco in Latinum vertit, atque scriniis Romanis asservantur.*

XXIII. *Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani cum Joanne* VIII. *Papa altercatio propter Archiepiscopatum Bulgariæ: atque Photium mortuo Ignatio admissum ad Constantinopolitanum Episcopatum regendum.*

I. OCtavum generale Concilium, quartum Constantinopolitanum ideo nominatur, quia Constantinopoli habitum est anno 870. Illud Basilius Augustus indixit partim ut disciplina ecclesiastica collapsa, partim quoque ut Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in sedem suam restitueretur: duorumque & centum fuit Episcoporum. Anastasius Bibliothecarius præfationem in hanc synodum texit, in qua causas indictionis sigillatim recenset. Enimvero Ignatius Michaëlis Balbi Cæsaris filius cum à primis annis invidia & malevolentia suorum exfectus fuisset, grandior vitam monasticam sponte delegit: in qua tantum eruditione, pietate aliisque optimis institutis profecit, ut tempore Michaëlis Imperatoris & Theodoræ Augustæ matris post Joannis Episcopi Constantinopolitani Iconomachi obitum, totius cleri

&

& populi consensu in Constantinopolitanum Episcopum cooptari meruerit: reclamantibus tamen Gregorio Syracusano & Petro Sardensi Episcopis; quos Photius vir Senatorius qui Michaëli Cæsari erat à secretis, adversus Ignatium exstimulabat. Hæc ille est Photius seculi sui eruditissimus, cujus doctissimam habemus Bibliothecam & Nomocanonem: qui quidem Ignatio apud populum invidiam creabat, eumque nominis & memoriæ Methodii sanctissimi Patriarchæ Constantinopolitani populo charissimi parricidam nuncupabat: verumtamen Ignatius annuatim diem anniversarium Methodii pie celebrabat: sed hoc simulate & metu populi ab Ignatio fieri prædicabat Photius, ut auctor est Anastasius Bibliothecarius. Tum certa & constans erat fama, Bardam Patricium Theodoræ Augustæ matris Cæsaris fratrem, qui conjugi suæ repudium dixerat, incestus consuetudinem cum propria nuru habere: qua de causa Ignatius multoties Bardam privatim monuit ut à tam nefario scelere abstineret: idque nisi faceret, tandem se illum anathemate pecussurum minitatum. Quibus de causis Bardas Ignatio infensus, Michaëli Imperatori nepoti suo ex Theodora sorore persuadet, Ignatium Theodoræ matri (quæ consors regiminis Imperii & in florenti erat ætate) consuluisse, ut ad secundas convolaret nuptias: eo quod Ignatius novi Imperatoris Theodoræ

ma-

mariti se socium fore in Imperii gubernatione speraret: porro nullum huic malo certius atque præsentius remedium occurrere, quam si Imperator Ignatio præciperet ut Theodoram matrem cum Thecla filia sorore ipsius Imperatoris tonderet, ac in monasterium detruderet. Hæc autem Michaël Imperator admodum juvenis cum Ignatio imperasset, hicque id facere propterea detrectaret quod apprime sciret Theodoram & Theclam filiam hoc genus vitæ non delegisse: Imperator dolis & fabricis Bardæ vehementius contra Ignatium exacerbatus, quasi de Cæsare interimendo Consilia habuisset, illum confestim in insulam deportari, atque propriam matrem cum Thecla sorore tonsas palatio expelli & monasterio concludi jubet. Ignatius autem decedens rem anteactis seculis inauditam tentat, quæ iter ad schisma instrueret, hoc est, Clerum Constantinopolitanum, qui eum invisebat, anathemate obstrinxit, si quemquam alium Episcopum, quandiu ipse superstes existeret, ad Sedem Constantinopolitanam regendam admitteret. Cujus rei Bardas scelerum opifex certior factus, tantis quidem calamitatibus Ignatium exulantem afflictavit, ut tum demum Episcopatum ejurare compulerit. Photius hanc occasionem nactus Barda juvante, auctor fuit Imperatori cogendi Synodum ut aliquo justitiæ prætextu Ignatius abdicaretur: quem ad conventum soli Episcopi metu

metu aut adulationibus corrupti vel Ignatio infesti convolarunt, ac deposito Ignatio Photium in ejus sedem sufficiunt. Qui quidem cum de more usitato literas synodicas de sua ordinatione misisset Romam atque veritatem Actorum, quam Nicolaus Papa aliunde hauserat celavisset: id occasionem præbuit Nicolao ea de re conquerendi, atque Rodoaldum Portuensem & Zachariam Anagninum Episcopos mittendi Constantinopolim ad celebrandam Synodum cui Ignatius interesset, ac pro se ipse diceret. Sed cum Nicolai legati, Photii largitionibus corrupti, atque Ignatius in eorum oculis iterum damnatus fuisset: hoc quam primum rescivit Nicolaus non modo Photium, verum etiam proprios nuncios male multavit: præsertim quod literas apostolicas legi in synodo minime curavissent, ac insontem Ignatium abdicari passi essent. Proculdubio Actione prima Synodi VIII consignatum legimus, Nicolai legatos Imperatorem decepissie, atque in omnia alia ivisse quam quæ eis à Sede Apostolica erant: quod certissimum est argumentum corruptelæ: verumtamen Anastasius illos quantum potest excusat. Sed postquam Ignatius hac pseudo-Synodo damnatus est, clerusque & populus Constantinopolitanus magis indies à Photii communione abhorreret: Photius Bardæ atque Imperatoris gratia fultus, gravissime in populum & clerum desæviebat: adeo quidem
ut

ut permulti Episcopi fuga vitæ propriæ consulere atque deserta quærere cogerentur. Interea dum Photius ut sese contra adversos motus instrueret, pseudo-Synodum Imperatore præsidente habet, & Nicolaum PP. sibi resistentem anathemate ferit, multis Episcopis, qui Synodo aderant, clamantibus, *Canones vetare Sedis superioris Episcopum ab inferioris Sedis Episcopo damnari.* Cujus historiæ, Nicolai PP. epistolas ad Michaëlem Imperatorem testes habemus; & præsertim epistolam octavam paulo ante medium his conceptam verbis: *unde Joannes Antiochenus tertiæ Sedis Episcopus inter cætera legitur in Ephesina Synodo usque ad correctionem damnatus, quia Cyrillum Alexandrinum secundæ Sedis Episcopum irregulariter damnationi præsumpsit addicere.* Et aliquanto post ex Gelasio epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos: *Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ Sedis & tertiæ major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis quæ non solum inter Sedes minime numeratur, sed nec inter Metropolitanorum jura censetur.* Addit, *nec ab inferiore qualibet, sed à prima Sede secundam Sedem absolvi*, &c. Quæ Gelasii & Nicolai responsa secundum illorum temporum disciplinam capienda sunt, puta ut Sedis superioris Episcopi & Patriarchæ operam darent quatenus Synodus indiceretur ab Imperatore, ut causa Episcopi Sedis inferioris canonice examinaretur, sicut factum docuimus in causa

B.

B.Athanasii cap, III.hujus libri.Cæterum ingravescente indies populi odio adversus Photium, contigit, ut Michaël Imperator qui & propriam matrem atque ipsummet Bardam occidi voluerat, trucidaretur; atque in ejus locum Basilius sufficeretur, pius quidem Princeps, qui tot scelerum atque etiam erroris Iconoclastarum pertæsus, tantis malis, ope generalis Concilii medicinam facere constituit: eamque ob rem Synodum VIII omnibus Patriarchis indixit, in qua Ignatius restitutus est in integrum: cujus Synodi hic principium lubet exscribere ex editione Romana Conciliorum generalium & Anastasii Bibliothecarii versione, quæ sola est genuina, ut ipse testatur.

II. *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Anno tertio Consulatus amicorum Christi & piissimorum Imperatorum nostrorum Basilii & Constantini perpetuorum Augustorum, Indictione tertia, mense Octobris die quinta*, &c. *Propositis pretiosis & vivificis lignis & intemeratis salutis nostræ Euangeliis in dextris partibus Catechumeniorum nominatissimi templi sanctæ & magni & nominis Sophiæ, convenientibus autem Donato & Stephano Deo amabilissimis Episcopis & Marino venerabili Diacono locum tenentibus Adriani sanctissimi ac beatissimi Archiepiscopi senioris Romæ, & Ignacio honorabilissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, & sanctissimis Vicariis Orientis, Thoma videlicet sanctissimo Metropolita Tyri, locum tenente Sedis Antiochiæ; eo quod eadem viduata esset Ecclesia; & Helia Dei cultor*

Presbytero & Syncello locum tenente Theodosii sanctissimi Archiepiscopi Sedis Hierosolymorum. Deinde SECUNDUM JUSSIONEM AMICORUM *Christi & piissimorum magnorum Imperatorum nostrorum Basilii & Constantini, præsentibus & audientibus laudabilißimis Patriciis videlicet Theodoro laudbialißimo Patricio & Præposito; Hemerio laudabilissimo Proconsule ac Patricio Theophilo,*&c. *His ergo congregatis: sanctißimi Vicarii senioris Romæ, & Ignatius sanctißimus Archiepiscopus Constantinopoleos & honoratißimi Vicarii Orientis dixerunt: Ingrediantur Episcopi omnes quotquot laboraverunt & certaverunt pro verbo veritatis, utpote consentanei Ignatii sanctissimi Archiepiscopi Constantinopoleos: & ingredientibus illis, Nicephoro videlicet Metropolita Amasiæ, Joanne Metropolita Silei, Niceta Metropolita Athenarum,* &c. *sanctißimi Vicarii senioris Romæ & Orientis dixerunt: Sedeant secundum ordinem suum, quia digni sunt, & beatos & ter beatos existamus. Et Sedentibus eis, stans in medio Babanes Patricius & Præpositus ad sanctum Synodum dixit: Imperator noster sanctus Epanagnosticum transmisit, & si jubetis & placet vobis recitetur coram sancta Synodo. Sanctissimi Vicarii senioris Romæ & Orientis dixerunt: Placuit nobis sermo, & accipiens Theodorus vir devotus à secretis legit: Cum divina & benignissima providentia nobis gubernacula universalis navis commisisset, omne studium arripuimus, & ante publicas curas ecclesiasticas contentiones dissolvendi, & procellas, quæ per multos annos ex invidia odientis bonum Sathana*

ex-

expansæ sunt, in stabilem tranquillitatem per meliorem quandam provisionem transferendi, &c. Narrat vero sibi propositum Sedes Patriarchales in unam Synodum cogere ac Deum optimum maximum illum voti sui compotem fecisse atque Vicarios Sedis Romanæ, Antiochiæ & Hierosolymorum cum Episcopis ad Concilium convenisse; unde illos sic affatur: *Commonemus & cohortamur omnes vos fratres, ut cum multo pudore & reverentia conveniatis ad sanctam hanc universalem Synodum, tanquam & communem & universis aptam, atque sine livore medelam, nullam vitiosam motionem vel affectum ferentes, nec ad contentiosam voluntatem respicientes, sed potius vinci bene quam vincere culpabiliter ac injuste scientes. Sic enim unusquisque qui vitiatam interiorem patitur sanitatem respiciet*, &c. Deinceps omnes Prælatos qui potestatem synodici judicii divinitus acceperunt rogat & obtestatur, *ut omni gratia atque odio positis, impassibili beatæque naturæ assimilentur, ita ut personam in judicio non accipiant*. Quibus perlectis Vicarii senioris Romæ dixerunt: *Ista res universalis est, & pertinens ad utilitatem Ecclesiæ, & bene jusserunt Imperatores nostri sancti, & nobis omnibus. Thomas & Helias sanctissimi Vicarii Orientis dixerunt: Placuit & nobis similiter. Et sacer Senatus dixit: & nobis omnibus placuit. Et surgens iterum Bahanes Patricius dixit: Episcopi petunt una cum Senatu ut certificentur hora ista unde sitis & quam potestatem vel quales literas habeatis. Donatus &*

Stephanus sanctissimi Episcopi, & Marinus Diaconus Vicarii senioris Romæ dixerunt : Hoc nos usque nunc non invenimus in universali Synodo factum, ut Vicarii senioris Romæ à quolibet perpendantur, utrum talem existimationem habeant. Babanes dixit. Et nos propter inhonorantiam Apostolici throni non dicimus hoc, sed quia ANTERIORES VESTRI ACCEDENTES MISSI RODOALDUS SCILICET ET ZACHARIAS DECEPERUNT NOS, *alia in mandatis habentes, & alia facientes. Sanctissimi Vicarii senioris Romæ dixerunt : Ergo ut omnem dubitationem emittamus è cordibus vestris & verbis & operibus certificemus vos, quia secundum ea quæ mandata & jussa sunt nobis ita & disponemus : Ecce & epistolas habemus ad Imperatorem & Patriarcham, & si jubetis legentur. Et rursus iidem ipsi dixerunt : Piissimus & amicus Christi Imperator, & sanctissimus Ignatius Patriarcha Constantinopoleos miserunt Apocrisiarios suos, nobilissimos viros & fidelissimos sancti Imperii sui & Ecclesiæ Dei, Joannem Metropolitanum Silei & Basilium Spatarium amplissimum virum ad Beatissimum Papam Nicolaum : sed quoniam ille ad Dominum profectus est, suscepit epistolam Adrianus ejus successor, sanctissimus Papa senioris Romæ, rogantes eum ut mitteret Apocrisiarios suos Constantinopolim, quatenus error & zizania exstirparetur de Ecclesia Constantinopoleos*, &c. Itaque epistola Adriani II. PP. ad Basilium Imperatorem legitur : qua perlecta Vicarii senioris Romæ cum tota Synodo petunt ut similiter literæ commendatitiæ Sedium

dium Orientalium legerentur. Quibus perlectis Bahanes famosissimus Patritius & præpositus ex persona totius Synodi dixit tanquam ordini Concilii auctoritate Imperatoris præsidens: *Per literas formatas quæ lectæ sunt credimus esse per omnia in perfecta certitudine eos qui missi sunt à seniori Roma ad nos veraces esse: similiter & Orientis duarum Sedium Antiochiæ & Hierosolymæ.* Dehinc Vicarii Sedis Romanæ petunt ut legatur libellus missus ab Ecclesia Romana, quo omnes hæreses cum Iconomachis & Photio anathematizantur: quamobrem Latine primum, deinde Græce perlectus est: hocque illustrissimo donatur principio: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire: deinde à Constitutis Dei, & Patrum regulis nullatenus deviare: unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum; sicut enim scriptum est: Sine fide impossibile est placere Deo, sic rursus legitur: Fides sine operibus mortua est*, &c. Tum perlecto libello Bahanes præpositus ex persona sacri Senatus ad Vicarios Orientis dixit: *Dicite & ipsi manifestius quid videatur vobis super lecto libello: putas concordatis Romanis annon. Sanctissimi Vicarii Orientis dixerunt: Concordamus, legatur autem & hic definitio quæ à nobis exposita est, ut cognoscatis concordiam nostram. SS. Vicarii senioris Romæ dixerunt: Legatur.* Verum hæc definitio Orientalium facta erat Constantinopoli priusquam legati Sedis Romanæ illuc appulissent. Orientales enim certi quod Nicolaus Photium

damnasset, cum per duos circiter annos moram fecissent Constantinopoli, tandem suam dixerunt sententiam : causanturque *perspecta mora & tarditate Vicariorum Sedis Romanæ, quod sibi Orientalibus magnum impenderet periculum ab Agarenorum tyrannide qui totum Orientem occupaverant : Itaque non justum esse sed superfluum & supervacuum putare diutius Romanæ Sedis Vicarios expectare : præsertim cum ea quæ Romæ regulariter & synodice gesta sunt à Nicolao præ manibus habeamus : ita ut hinc constet & Nicolaum & Adrianum per proprias Epistolas esse ejusdem sententiæ nobiscum : Itaq; ineptum & incongruum omnio putamus despicere fluctuantem Christi & Salvatoris nostri Ecclesiam per dilationem dispositionis quæ illi debetur*, &c. Declarent ergo se capitibus, se concordes esse sententiæ Sedis Romanæ, & tum demum concludunt eos qui definitioni Papæ Nicolai & suæ refragari ausi fuerint anathema contracturos : quippe qui *irrideant Christi veri Dei munificentiam, quam dedit sacerdotibus, dicens : Quemcumque ligaveritis super terram erit ligatus & in cœlis, & quemcumque solveritis super terram erit solutus & in cœlis*, &c.

III. Quibus perlectis, *SS. Vicarii senioris Romæ assensi sunt, & dixerunt ad sanctam Synodum : Placet vobis? Sancta Synodus exclamavit : Placet omnibus.* Et post hoc sacer Senatus per Bahanem Patritinm dixit Vicariis Sedis Apostolicæ Romanæ : *Nos quidem acquiescimus iis quæ jussit judicium vestrum; sed convenit ut jubeatis*

alia,

alia, quæ si audiverimus juvabunt nos: Cum Photium non videritis quo modo eum condemnastis? quo modo protulistis adversus eum anathema, dicite nobis? SS. Vicarii senioris Romæ dixerunt: B. Petro Apostolo donavit potestatem Christus & Deus noster dicens ei: Petre, ecce Sathanas expetivit cribrare te sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Concluduntque *Papam Nicolaum debuisse Ignatium afflictum confirmare: atque perspectis literis Photii qui Sedem Ignatii invaserat, illum tanquam præsentem per epistolas & Apocrisiarios Photii & Michaëlis Imperatoris quos Nicolaus audiverat condemnasse: eamque ob causam Nicolaum Papam convocasse omnes Occidentales Episcopos, Archiepiscopos & Metropolitas, & omnem Clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac totum Senatum Principum Romanorum, ac damnasse libellum & concilium malignantium quod factum erat adversus SS. Ignatium, & deposuisse Apocrisiarios suos Rodoaldum & Zachariam ab omni honore sacerdotali & communione, quoniam assensi fuissent Photio & Concilio malignantium.* His peractis surgens Bahanes ex persona sacri Senatus interrogavit Orientis Vicarios: *Et vos qui per multum tempus hic Constantinopoli fuistis, quo modo prope habentes Photium non eum quæsistis & vidistis & auditum condemnastis?* Respondit Helias Syncellus locum tenens Archiepiscopi Hierosolymorum: *Nostis quia Spiritus Sanctus qui loquutus est in Prophetis, ipse & in Aposto-*

postolis est affatus & omnia quæcumque gesta sunt à patribus nostris olim & in lege posita sunt, & gratia spirituali consistunt : & ideo Patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus Sanctus, ut per ea scandala pullulantia exterminentur, & pacifica constitutio interveniat in Ecclesia. Igitur cum Sedes senioris Romæ præsidens ac præcedens non receperit Photium, neque etiam tres throni Orientis, videlicet Alexandriæ, Antiochiæ & Hierosolymorum : non opus erat illum vocare ad examinationem & rejudicationem : hujusmodi enim Actiones de iis qui recepti sunt in Ecclesiis Dei & in cunctis Sedibus fieri solent. Cum ergo nullum alium Patriarcham Constantinopolitanum præter sanctum hunc virum Ignatium agnoverimus, nihil opus fuit cum Photio conferre. Addunt *Photium quosdam viros misisse Romam & Antiochiam ex parte Imperatoris ut secum cummunicarent, sed omnes Sedes noluisse cum illo communicare.* Itaque concludunt *recte judicatum esse.* His auditis Sacer Senatus surgens, dixit : *Benedictus Deus, qua meruimus videre sanctam diem istam, ecce hæc omnia secundum rationem veritatis terminata sunt.* Deinde stans Stephanus Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ etiam Notarius exclamationem fecit in laudes Imperatoris, & Patriarchalium Sedium, totiusque Synodi, quod factum est in omnibus Sessionibus.

Sed ut ad analysim hujus primæ Actionis descendamus : Primum constat Synodum indictam & congregatam ab Imperatore Basilio.

lio. Secundo, hoc peculiare occurrit, quod in aliis ſacra euangelia in medio conſeſſu Patrum propoſita fuerint, hic autem una cum Euangeliis ſignum ſanctæ Crucis adjunctum legimus: quoniam in ſeptima Synodo decretum fuerat ut ſacris imaginibus & ſigno ſanctæ Crucis divinus cultus atque adoratio exhiberetur. Tertio in omnibus Actionibus Patres dicuntur conveniſſe ad Synodum juxta ſacram juſſionem Imperatorum ſicut & in aliis Conciliis uſitatum, & à me obſervatum eſt ſuperius. Quod ergo Adrianus II epiſtola ad Baſilium Imperatorem, quæ Actione 1. hujus octavæ Synodi legitur, ita ſcribit: *Volumus per tuæ Pietatis induſtriam numeroſum convocari Concilium*: intelligi debet juxta praxin aliorum Conciliorum præcedentium, quæ ſunt ab Imperatoribus indicta, & ad hunc ſenſum capi debet: ſcilicet, *Gaudemus per tuæ Pietatis induſtriam numeroſum convocari Concilium*: quia ut docui, Baſilius jamjam indixerat Concilium auctoritate propria quam ut Dei non ut Papæ Vicarius habet. Quarto, Imperatores Senatum conſtituerunt qui Synodum moderaretur, ut factum eſt in Chalcedonenſi Synodo, ipſimet autem Cæſares duntaxat ſextæ, ſeptimæ, octavæ & decimæ Actioni præſederunt ac interfuerunt: nam totidem Actionibus hæc Synodus abſolvitur. Ita ut unicus tantum dies unicæ Actioni dependatur, ut jam ſupra notavimus. Quinto, modus

procedendi atque inſtruendi Synodum conſpicuus redditur : dum Bahanes præpoſitus Senatui, petit à Vicariis Sedis Apoſtolicæ atque Sedium Orientalium, ut literas edant commendatitias ſive formatas, quibus eorundem poteſtas appareat. Sexto, obſervabit lector, quanta cura idem Bahanes perquirat conſenſum Sedium Patriarchalium: ſiquidem petit à Sedibus Orientis utrum conſentiant Sedi Apoſtolicæ Romanæ, poſtquam libellus ejuſdem Sedis Romanæ perlectus eſt : quare legituretiam libellus aut ſententia earundem Sedium Orientalium. Septimo, valde notabile, quod in eodem libello Sedium Orientalium dicitur, Chriſtum Matthæi 18. alloquendo Apoſtolos his verbis, illos ſacerdotio donaſſe : *Quæcumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælo*, &c. hancque ſententiam totius Synodi judicio comprobari : quia Vicarii ſenioris Romæ, nominatim petierunt à Patribus, an quæ Vicarii Sedium Orientalium legenda dederant placerent ; & omnes reſponderunt placere. Quare ad hunc locum editio Romana Conciliorum hoc adſcripſit gloſſema : *Nota*, inquit, *quod Apoſtoli ſacerdotes prædicentur à ſancta Synodo etiam ex tum quando eis dictum eſt : Quæcumque ligaveritis vel ſolveritis ſuper terram, eru ligatum vel ſolutum in cælis*, &c. *Ergo Petrus qui hoc ſpecialiter ante alios audire meruit primum ſacerdos affectus eſt : Exceſſit itaque ſermo opinantium, Jacobum fratrem Domini primum*

mum ſacerdotem fuiſſe. Verum primus ſacerdos fuit eorum qui non à Domino ſed ab Apoſtolis ordinati ſunt: primus Epiſcopus fuit, ſed eorum qui Hieroſolymis Epiſcopatum ſortiti ſunt. Quæ adnotatio eam ob cauſam facta eſt, quia eodem libello Sedium Orientalium narratur, *Jacobum fratrem Domini primum fuiße ſummum ſacerdotem & præſulem civitatis Hieroſolymitanæ: & Petrum quoque primum fuiße functum ſacerdotio Antiochiæ.* Hæc autem acriter pungunt Curiales, qui ad ſuam monarchiam ſtabiliendam perſuadere volunt, Chriſtum feciſſe duntaxat Petrum Epiſcopum, deinde Petrum alios Apoſtolos donaſſe Epiſcopatu: quas imaginationes delevimus in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate. Cæterum omnes Apoſtoli cum immediate à Chriſto ordinati ſint ſacerdotes, imo etiam Epiſcopi œcumenici & generales, ut ubique terrarum hierarchizarent (quemadmodum ſcholæ noſtræ Principes Alliacenus, Gerſonius & alii loquuntur:) certe nullus illorum eſt à Chriſto præfectus alicui Epiſcopatui privatim gerendo & adminiſtrando: quia nondum erat diœceſes & parœciæ conſtitutæ. Cum igitur S. Jacobus omnium primus electus fuerit ab Apoſtolis ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum privatim regendum; & ſanctus quoque Petrus eorundem Apoſtolorum conſenſu, ſedem fixerit Antiochiæ: ideo hoc Sedium Orientalium libello recte dicitur & S. Jacobum & Petrum, primos

mos fuisse sacerdotes in titulum, scilicet Hierosolymis & Antiochiæ, contra quàm Adnotator argutatur, qui minime distinguit Episcopatum œcumenicum Petri & Jacobi, ab Episcopatu privato quem habebant in titulum. Quod vero perhibet S. Petrum Matthæi 16. primum omnium Apostolorum audire meruisse, *Tibi dabo claves regni cælorum*, & continuo sequi factum sacerdotem ante alios: Rependo ex B. Augustino atque omnibus Patribus antiquis, quæcumque ibidem verbis de futuro promittuntur Petro, eidem nomine omnium Apostolorum promitti, ut declarat eventus quando post resurrectionem suam Dominus Joannis 20 dicit: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, &c. de que re alias. Insuper accedit, Dominum Matthæi 18. his verbis, *Iterum dico vobis quia si duo ex vobis consenserint super terram*, &c. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum*, &c. aperte demonstrare omnem singularitatem aut singulare Petri sacerdotium & primatum, Concilio Aristocratico subjici & regi oportere: sicque hoc Glossatoris effugium vanum est ad absolutæ monarchiæ patrocinium.

Actione 11 quidam Episcopi & alii minores Clerici qui Photio adhæserant, sese Concilio offerunt ut Epitimia, id est, libellum pœnitentiæ recipiant, & post completam publicam pænitentiam in integrum restituantur, ut sunt restituti.

Acti-

Actione III Metrophanes Metropolita Smyrnæ cum aliquot aliis Episcopis surgens narrant Apostolum præcipere ut omnia honeste & secundum ordinem fiant : videri autem honestum & perfecto ordini proximum ur legantur epistolæ primum Imperatoris ad Sedem Romanam & alias Sedes Orientis, tum vicissim Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani ad easdem Sedes & responsionem Adriani PP. quibus perlectis primum Vicarii senioris Romæ dixerunt illas epistolas canonice ac synodice scriptas: *sancta autem & universalis Synodus dixit : Canonica & ordinata & plena justitiæ est epistola quæ lecta est sanctissimi Papæ Adriani*: Idque ostendit, tum omnia canonice & regimine Aristocratico peragi consuevisse. Et post hoc surgens Metrophanes Smyrnensis, *Ex epistolis quæ lectæ sunt nobis*, inquit, *liquidius cognovimus studium & diligentiam, quod habet amicus Christi Imperator noster ad pacificandum Ecclesiam Dei & SS. Patriarchæ nostri Ignatii humilitatem & quo modo impleat hoc eloquium scripturæ : Omnia cum consilio fac. Proverb.* 13. *nec non & sanctissimi Papæ Romani solertem loquutionem & pudorem quem in divinis &* CIRCA DIVINORUM CANONUM CUSTODIAM ET OBSERVANTIAM HABET, *& ejusdem imitantem quantum fieri potest misericordiam & benignitatem*, &c. Quæ indicant, tum omnia personuisse Canonum observatione & custodia, atque proprios & privatos motus incugnitos fuisse.

IV.

IV. Actione IV. Bahanes Præpositus dixit: *sunt Episcopi duo consecrationem habentes beatissimi Methodii, nimirum Theophilus, & Zacharias qui Photium receperunt: si ergo placet Sanctitati vestræ, ingrediantur & rejudicentur.* At vero cum relatum esset ad Synodum illos communicare cum Photio, Patres exclamaverunt: *Sit portio Theophili & Zachariæ cum Photio!* Quibus auditis à Senatu per Bahanem Patricium hæc renunciant Synodo: scilicet *Imperatores misisse Senatum Patriciorum ad Synodum ut districtus esset auditor atque observator omnium quæ gererentur*: SI ERGO VELLENT PATRES, SICUT HABET ORDO SYNODICUS, UT IN FINE *Synodi Senatus Actis subscriberet*: *Senatum illis significare & declarare per Bahanem, quod nisi audirent ab ipso Photio, & eius Episcopis qui facti sunt Apostatæ à Photio, quæ pro sua justificacione dicere vellent, ita ut in conspectu Senatus obstruerentur ora ipsorum* EX CANONICIS ET SYNODICIS PRÆCEPTIONIBUS, *dehinc Senatum non scripturum unam literam in Synodo ista. Audiant*, inquit Bahanes, *quæ judicata sunt à seniori Roma in conspectu nostro: & si nihil contradicere potuerint, sanabitur mundus ex consensu ipsorum. Si hoc autem factum non fuerit, scimus quia opera nostra non egetis adscribendum in fine gestorum à vobis. Quo modo enim subscribemus in hujusmodi judicio illis clamantibus atque dicentibus, Audiamus depositionem nostram: damnemur audientibus nobis, ut postulat justitiæ ratio. Non est justum, ut arbitramur,*

mur, ut ipsorum sermo nihil fiat. Quicquid ergo videtur vobis, facite: nos enim & antequam veniret Sanctitas vestra à Deo conservandam in hanc civitatem, eandem habuimus opionem tam de judicio Beatissimi Papæ Nicolai quam de SS. Papæ Adriani, ac certificatione & confirmatione honorabilis domini Patriarchæ nostri, &c. *Rogamus ergo ut hi qui languent sanentur, & eos corrigamus qui non habent certitudinem veritatis, & erigamus qui deorsum jacent. Nisi enim ita hæc omnia discutiantur conscientiæ hominum non curabuntur. Metrophanes Smyrnæ Metropolita surgens, dixit: Divinus Apostolus dixit: Prophetias nolite spernere, omnia autem probantes, quod bonum est retinete. Sanctissimos itaque Vicarios senioris Romæ ut prophetas suscipientes nequaquam spernimus: probantes autem verba magnificentissimorum Principum, invenimus ea justa & congruentia: & propterea etiam Episcopi omnes & sancta hæc Synodus savemus postulationi magnificentissimorum Principum, ut Photius cum suis examinentur & interrogentur, si recipiant eos judices. Nunc ergo exigantur in scriptis fateri si hanc factam universalem Synodum & quæ ab ea judicantur admittunt, & jure ingrediantur. Vicarii senioris Romæ dixerunt, quos dicitis introduci ignorant quid judicavit S. Romana Ecclesia! Babanes præpositus: revera ignorant, cum enim non essent ibidem, nec audissent opus vestrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex auditu vultis ad suam ipsius condemnationem. Donatus & Stephanus Episcopi & Marinus*

nus Diaconus Vicarii Adriani PP, Dixerunt : nobis non licet rescindere judicium sacrorum Romanorum Pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutis: quoniam præsentes illic per proprios Missos aut Nuncios contra se sententiam damnationis audierunt in Photium : verumtamen, ut manifestiorem eis justam judicationem S.R.E. faciamus, ingrediantur & audiant legi synodicas definitiones beatissimi Papæ Nicolai & certificentur magis ac magis. Gloriosissimi Principes dixerunt. Hoc bonum & optimum : audiant illi judicium B. Papæ Nicolai in conspectu nostro, & si habuerint aliquid ad contradictionem, dicent, aut parsuasi acquiescent : quod si non propriam susceperint damnationem, tunc fiet quod fuerit visum Canonibus, &c.

V. Itaque Photiani ingrediuntur in Synodum, interrogantur, eisque Epistolæ Nicolai ad Michaëlem Imperatorem, & ad Photium leguntur, in qua hæc legitur clausula : *Ecclesiam Romanam esse caput omnium Ecclesiarum & ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis civitatibus & ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas & synodicas sanctorumque Patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, requirere & sectari : & ideo consequens esse, ut quod ab hujus Sedis rectoribus plena actoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur*, &c.

Porro hæc Actio sicut & omnes aliæ nos docent

docent ordinem rectum ſervatum in Synodis generalibus piæ prudentiæ Senatorum quos Imperatores præfecerunt ejuſmodi geſtis moderandis, deberi: ut hinc diſcant Eccleſiaſtici quantum deferri oporteat politiæ optimæ inſtitutæ. Certe Acta Synodi Chalcedonenſis ſextæ, ſeptimæ atque octavæ clare convincunt, abſque præſentia & moderatione Senatus impoſſibile fuiſſe Synodos illas effectum laudabilem & canonicum ſortiri: vix enim libertas & æquanimitas ſervata fuiſſet multis tumultuantibus. Unde quoties aliqua emergit controverſia inter Eccleſiaſticos, ut majori cum æquitate omnia tranſigerentur, non abs re quidem eſſet Principes politicos aliquos præficere Senatores, aut viros claros, qui εὐταξίας & libertatis ſervandæ cauſa adeſſent: equidem jure meritoque à Cardinale Cuſano dictum eſt, à tempore hujus octavi Concilii, nullum tale extitiſſe Concilium. Enim vero Senatus, quem præficiebant Imperatores, non erat in cauſa, ſicut plurimi Eccleſiaſticorum, ideoque uni moderationi ſtudebat, quam illos ſervare qui ſunt in cauſa impoſſibile eſt. Idem Cardinalis Cuſanus lib. II de Concordantia cap. 20. ante medium ex hac & tertia Actione octavæ Synodi recte probat, Eccleſiam Canone non abſoluta poteſtate regi; citatque locum epiſtolæ Nicolai ad Photium à me paulo ante exſcriptum, declarantem Eccleſiæ Romanæ judicium aliam

ob causam firmum non esse, auctore Nicolao Papa, nisi quia inviolabiliter servat Canones: eamque ob rem omnes alias civitates à Sede Romana ordinem mutuari: *Ecce*, inquit Cusanus, *habes causam firmitatis Apostolici Romani judicii ex inviolabilium Canonum irrefragabili observatione esse: sic idem Nicolaus in Concilio suo adversus Photium ex tota Romana Ecclesia congregato cap. 6. dicit: Quoniam oportet nos majorum nostrorum statuta immoto mentis intuitu conservare, & in omnibus sanctorum Patrum semper dogmata venerari, ut habetur Actione* VII *octavi Concilii. Et in isto fundantur textus ejusdem Nicolai 9. quæst. 3. Can. Patet. 17. quæst. 4. Can. Nemini: qui dicunt sententiam Papæ à nemine retractari posse: sed si injusta esset retractaretur, & in dubio examinaretur per universale Concilium.* U*nde in quarta Actione octavi universalis Concilii quando Vicarii Apostolicæ Sedis resistebant, ne semel judicata per Nicolaum Papam in Synodo refricarentur, obtinuerunt Principes & Senatores, qui dixerunt se nolle gestis ut testes subscribere nisi admitterentur judicati in Synodo Romana ad replicandum contra hujusmodi judicata. Et surrexit Metrophanes Metropolita Smyrnæ, & dixit: Probantes verba magnificentissimorum Principum invenimus ea justa & congruentia: huic favemus omnes Episcopi & sancta hæc Synodus. Ecce quod ex decreto Synodi universalis judicium Nicolai Papæ & sui Concilii de Photio fuit iterum in universali Concilio, resistentibus, etiam Vicariis Senioris Ro-*
mæ

ma examinatum & depuratum: EX QUO APPARET MAJORITAS CONCILII UNIVERSALIS SUPER PAPAM, & *Patriarchalem Synodum*. Hæc Cusanus, quæ pro Analysi quartæ Actionis impendo, & judicandum permitto, quanti Patres antiqui fecerint Canones; idque adeo ut Romani Pontifices, priscorum seculorum maximam partem suæ laudis, gloriæ, atque officii, in eorum observatione ponerent: & inde Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem certo derivarent; quam Curia Romana hodie ab sua imaginaria & absoluta Monarchia repetit, quæ ut suum ædificet dominatum, omnes Canones, universamque disciplinam cum bonis moribus diruit ac innumeris schismatibus occasionem præbuit.

VI. Actione v. jussu Imperatoris Photius venit ad Synodum: Vicarii Senioris Romæ dixerunt, *ut laici & homines seculares illum introducerent*: Interrogatus à patribus: & interpellatus ab ipsis judicibus ut responderet Synodo, nihil aliud dixit, quam *se ab initio usque modo invitum trahi ad Synodum atque imperative & potestative omnia contra se perfici*. Vicarii sedis Apostolicæ Romanæ petunt, *ut se submittat Synodo scripto aut libello emisso peccatum suum enunciet, anathematizet quæ injuriose acta & scripta sunt contra S. Ignatium Patriarcham: eum velut proprium pastorem & Pontificem recognoscat, Apostolicæ Cathedræ judicia honorabiliter amplectatur*, &c. ad hæc cum nihil responde-

 ret

ret & per silentium condemnationem effugere cuperet, iidem Vicarii Adriani PP. petunt *ut coram illo epistolæ quas Ecclesia Romana de illo scripserat legerentur* : hocque ita placuit universæ Synodo: illis autem perlectis epistolis, Vicarii sedis Romanæ petunt, quid sacræ Synodo de illis videretur, *an scripta essent* CONFORMITER AD CANONES : *Synodus* respondit: *Canonicam legem complere & Synodicam præceptionem & legislationem.* Amplius iidem Vicarii Romæ flagitant ut legeretur epistola Nicolai PP. ad Photium. Quibus perlectis Vicarii sedium Orientalium petunt facultatem loquendi à Judicibus : *Scitis* inquiunt, *quia præteritis temporibus Imperatores erant qui congregabant Synodos & ex toto orbe terrarum Vicarios ad dispositionem hujusmodi causarum colligebant : quorum more & Dei cultor Imperator noster universalem hanc Synodum fecit: non in abstruso neque in claudestino, sed evidenter ac manifeste : videlicet sanctissimorum Vicariorum Senioris Romæ nostrorumque collegium, cum enim multa sint & alia quæ nos probent verissimos esse Vicarios Orientalium Sedium, major tamen ac promptissima & evidentissima species hæc est, quod Christi amicus Imperator noster multa diligentia & studio sedes Orientales ab Ecclesiis suis, quamquam dena essent millia impedimenta, evocarit & congregarit quæ per duos circiter annos venerunt Constantinopolim ante Vicarios senioris Romæ : & quamprimum ad Imperatorem appulerunt, ille super eo-*

rum

rum colla Encolpium suum imposuerit, dicens: Ecce judicium Ecclesiæ exigat Deus à cervicibus vestris in die judicii, ut nihil faciatis per favorem, neque per gratiam vel odium: congruum enim vobis est, ad tantam senectutem pertingentibus nihil facere secundum acceptionem personarum vel præter justitiam: scriptum est enim, Ne miserearis pauperis in judicio, nec accipias personam potentis. Et nos igitur suscipientes judicium ita disposuimus, ut expetit justitiæ ratio. Neque enim quoniam S. Ignatius præsidet in hoc throno & potens est ideo accipimus faciem ejus: neque quia vir iste Photius adstat & idcirco pauper esse putatur, propterea condemnabimus eum, aut miserebimur irrationabiliter. Narrant deinde eo ipso quod Photius à nulla sedium Patriarchalium probatus fuerit, condemnatum esse, & tamen se illi dare consilium ut agat pœnitentiam, ne Anathemate feriatur & extra Ecclesiam ejiciatur. Quod etiam ut faceret Bahanes illum exhortatus est, utque loqueretur & quæ pro sua justificatione facerent, si quæ haberet, palam diceret; ad quæ nihil plane respondit: hicque fuit finis quintæ Actionis post acclamationes consuetas in laudes Imperatoris, &c.

Verum duo notanda occurrunt circa orationem Vicariorum Sedium Orientalium: alterum est, buod ubi narrant Imperatores semper congregasse Synodos ex toto terrarum orbe, &c. in editione Romana ad oram libri hanc notam adscribi: *Verum est Impera-*

tores congregasse universales Synodos: nam locales aut vix aut nunquam collegisse noscuntur. Ubi observatione dignum occurrit, quamquam Imperatores non congregarint Synodos Provinciales aut locales, quia juxta Canonem quintum Synodi Nicænæ bis annuatim hebebantur: nihilominus ejusmodi Synodos nunquam congregari solitas absque Principum Christianorum permissione, ut patet ex omnibus Synodis habitis in Francia, Hispana, Africa, & aliis provinciis in quarum fronte semper legitur edictum aliquod Principis permittentis Synodos ejusmodi fieri. Alterum notabile est de Imperatoris Encolpio quod cervicibus Vicariorum Sedium Orientalium imposuit: erat autem crux cum pretioso ligno sanctæ Crucis Domini, quam Imperatores gestare solebant in sinu, qui Græce κόλπος dicitur.

VII. Actione VI Imperator primum accessit ad Concilium eique præsidet sicut & septimæ, octavæ, atque decimæ Actioni, quæ idem prorsus habent initium: scilicet, *In nomine Domine & Dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei & Salvatoris nostri, Imperii Deo Coronatorum & tranquillissimorum Dominorum nostrorum Basilii quidem anno tertio, Constantini vero filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum, octavo Kalendas Octobris Indictione tertia propositis pretiosis ac vivificis lignis & intemeratis salutis nostræ Euangeliis:* PRÆSIDENTE EODEM PIISSIMO ET AMICO CHRITI IMPERATORE.

In

In dextera parte magni nominis templi magnæ Ecclesiæ : conveniente sancta & universali Synodo, id est, Donate Deo amicissimo Episcopo Ostiensi, &c. Hinc ergo perspicuum evadit in hac Synodo Imperatorem præsedisse, sicut Constantinum Pogonatum in sexta, & Martianum in quarta. Deinde ubi omnes Patres consederunt, Metrophanes Smyrnæ Metropolita excurrit in laudes Imperatoris quod hanc Synodum congregarit, aitque *Deum justitiæ solem duo fecisse luminaria in firmamento cœli quæ diei & nocti præessent, ac quinque Sedes Patriarchales totum orbem rerrarum illuminare ac præesse diei & nocti, separando inter lumen & tenebras, id est, inter eos qui agunt opera tenebrarum & opera lucis : eamque ob causam Christum dixisse Apostolis, Vos estis lux mundi : Hæc autem luminaria ab Imperatore collecta esse : qui quidem tanquam aliud magnum luminare sanctæ universali Synodo affulget atque alia luminaria lucidiora monstrat. Item Synodum confert paradiso in cujus medio Deus plantavit lignum vitæ, & qui à fluvio Eden, id est, à Spiritu Sancto irrigatur : eamque ob rem dictum ab Prophea fluminis impetum lætificare civitatem Dei : videlicet sanctam Ecclesiam. Hunc fluvium segregare impetus suos in Sedes Patriarchales Synodum conflantes : Præterea Synodum Arcæ comparat, quam Noë id est Imperator fabricavit : item puteo bono quem Abraham fodit*, &c. Dehinc postquam Imperator per Theophilum Protospatarium jussit Episcopos asseclas Photii in Sy-

nodum ingredi, coram illis recitantur Epistolæ Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem & ad Photium; deinde Vicarii Sedis Antiochenæ & Hierosolymitanæ narrant se nunquam Actis Photii consensum præbuisse, hancque memorabilem sententiam proferunt: *Sanctus enim Spiritus qui loquutus est in sancta Romanorum Ecclesia credimus quod & in Ecclesiis nostris loquutus extiterit*, &c. quæ demonstrant non solam Romanam habere promissiones, charismatum Spiritus sancti. Tum Imperator Basilius petiit à Photianis quid ad hæc responderent: rogaverunt autem Imperatorem ut sese & omnes qui aliquid in illos dicere vellent libere loqui pateretur. Sicque responsionem suam informant quasi omnia quæ egissent conformia, quæ vero Sedes Romano contra illos gessisset, contraria essent Canonibus. Nam Zacharias Chalcedonensis Episcopus ordinatus à Photio dixit: *Et Papæ Nicolai, & cæterorum Patriarcharum, Canonem esse Principem, & secundum Canonem agentes, se hoc facere, non quod docetur extra Canonem: Cum vero extra Canonem faciunt sive Papa Nicolaus sive alius quis, non acquiescimus. Etenim Marcellum Ancyranum Julius Romanus suscepit, & Sardicensis Synodus trecentos Episcopos habens Marcellum justificavit: attamen usque in præsens Marcellus ut hæreticus anathemati submittitur: & lugendum Apiarium justificatum à Romanis Præsulibus, Africanam Synodum repulisse. Et nunc si hæc facta sunt*

à

à Nicolao cum Canone ſuquimur, & convenimus & contraria illis non ſapimus: ſi vero facta ſunt extra Canonem, non nos illa vituperamus aut projicimus, ſed Canon. Nam duobus conatibus quibus utitur Nicolaus contra Photium qui nos conſecravit, reor neminem ab eo promotum poſſe damnari. Nam in eo quod dixit Nicolaus, non debuiſſe hunc ex laicis provehi, conſecrantes quidem cautos reddit ne talem conſecrent ſcilicet; conſecratum autem non damnat, & conſuetudo Canonem illum exſuperavit. Etenim Taraſius, Nicephorus, Nectarius & Thalaſſius Cæſareæ, & Euſebius, & Ambroſius Mediolanenſis atque alii mille ita conſecrati ſunt: quod ſi illi innoxii, & Photius utique. Quod autem dicitur quia à depoſitis eſt promotus, nempe à Gregorio Syracuſana & aliis quos Ignatius & Nicolaus depoſuerunt: *primum non opinamur hoc verum eſſe: neque enim pro criminibus iſti depoſiti fuerunt ſed pro eo quod reſtiterunt. Eccleſiæ: uniti autem rurſus & apoſtaſiam illam reprobantes, ſuſcipiendi conſiſtunt. At vero etſi Gregorius depoſitus eſt, Photius quem conſecravit non eſt obnoxius, ſed qui Photium promoverunt ac elegerunt. Verumtamen licet ſit Gregorius depoſitus, poſſunt & promoventes illum nullas hic pœnas perpeti,* &c. *Et nunc hoc dicimus: ſi ſit Canon qui deponat, nos depoſitionem recipimus: ſi vero non eſt, nequaquam: & enim Flavianum Antiochiæ Patriarcham Romani non receperunt, ſed eum Canon nullatenus condemnavit. Acacius Conſtantinopolitanus damnatus eſt à Papa Romano, eo*

quod cum hæreticis haberet communionem : at vero post Acacium Patriarchæ Constantinopolitani Fluvitas & Euphemius, & Macedonius recipientes eum, suscepti sunt ab Ecclesia, &c. Cæterum Metrophanes Metropolita Smyrnæ ita sigillatim ad ea quæ Zacharias Chalcedonensis pro sè & aliis Photianis dixerat respondet : *leges*, inquit, *tam Ecclesiasticæ quam civiles sanciunt, omnem qui elegerit aliquem judicem eumdem modis omnibus sequi ac ejus præceptis obedire & nequaquam refutare ab eo prolatas leges & definitiones. Cum itaque pars vestra petierit & proposuerit judicem beatissimum Papam Nicolaum quo modo vos extra positas Ecclesiæ ac reipublicæ leges ac regulas eum redarguere ac judicare præsumpsistis, asserentes non secundum Canonem egisse, neque secundum justitiæ ac veritatis rationem decrevisse quæ sibi visa sunt definienda? Invenimini ergo in parte hac & ecclesiasticas & civiles reprobare leges, pro eo quod quem elegistis & prætulistis judicem, nunc abjiciatis. Nemo enim electum à se judicem ex propria opinione vice versa judicare vel condemnare penitus debet*, &c. *Quoniam vero promotiones Nectarii & Ambrosii, & Nicephori memorabilium Hierarcharum in paradigma producitis ad justificationem Præsulis vestri, dicimus ad vos, eorum quæ multum inter se distant manifestæ prorsus diversitates consistunt. Itaque B. Nectarium Synodus universalis & sancti Patriarchæ diversi elegerunt & promoverunt Archiepiscopum Constantinopoleos nullo cogente illos : sed neque quempiam viventem*

ab

ab hujusmodi cathedra manus Imperialis tyrannice pepulit: similiter etiam & Ambrosius Auxentio Arriano defuncto. à Synodo quæ tunc à Mediolanensibus de orthodoxis dogmatibus congregata promotus est in Episcopum prædictæ civitatis nullo modo principali manu impellente Episcopos in electionem: pari quoque modo B. Tarasius, & post dormitionem beatissimi Tarasii beatissimus Nicephorus Patriarcha synodice electus & consecratus est Archiepiscopus Constantinopoleos, sponte ac voluntarie collectis Episcopis. In Photio vero nihil omnino tale invenitur, eo quod & ille vivente legitimo Ecclesiæ viro subrogatus sit, & provehentes eum, & consecrantes violenter ac inviti ex Imperatoris necessitate ac tyrannide impulsi sunt, & nulla Sedium Patriarchalium in sacerdotio eum recipere voluit. Cum ergo diversitas omnimoda hic reperiatur, quo modo in dissimilibus introducis similitudinem? in quibus enim est causæ diversitas, existimationis quoque & opinionis diversitas debet accidere. Quoniam vero ratione morsus dixisti de beatissimo Papa Nicolao, quod si secundum Canonem judicium protulit, & admittimus & amplectimur damnationem nostram: sin autem contra Canonem, nequaquam: Item si non oportuit Photium ex laicis promoveri, eos qui consecraverunt cautos reddere, non consecratum condemnare, & consuetudinem regulam illam vicisse: in contrariam quidem dispantionem cecidisti, eo quod confessus quidem sis & ostenderis Papam Nicolaum canonice restitisse, ac secundum regulam Photium reprobasse, non autem te acquievisse judicio

cano-

canonico Nicolai, quemadmodum pollicitus es consuetudinem in subversionem Canonis objiciens: quamquam liquido scires ea quæ raro fiunt positas leges non subvertere, neque particularia universalibus dominari: & maxime cum plurima esse differentia reperiatur in Photio & præcedentibus qui ex laico provecti sunt, sicut demonstravimus. Denique Marcellum anathematizantem omnem hæresim & eam maxime quam habere dicebatur juste ac regulariter Julius Papa & Sardicensis Synodus recepit: similiter eum & Athanasius Magnus & Paulus confessores, turres & columnæ orthodoxæ fidei & acceptaverunt & comministrum habuerunt: sed novissime Marcellus ad vomitum reversus illum anathematizaverunt, quibus & Liberius Papa concordavit, hoc autem non est utique reprobatio judicii Julii, vel Sardicensis Synodi, ob factam mutationem mentis in Marcello Ancyrano. Similiter Zosimus Papa Romanus recurrentem ad se, & semet insontem exhibentem justificavit Apiarium & ad Africanam Synodum mittens cum literis ut iterum susciperetur egit, &c. *Invenitur igitur Africana Synodus paruisse potius judicio Zosimi Papæ Romani, ac per hoc propriam reprobasse sententiam, & justificasse Apiarium, non, ut fassus es, restitisse voto Romanorum Pontificum* , &c. *Et bene dixisti: quia sive sit depositus Gregorius Syracusanus, innoxios esse qui Photium provexerunt. Isti enim revera justificantur propter necessitatem & tyrannidem, quam passi sunt ab Imperatore ut Photium ordinarent,* &c. *Sinite ergo excusare excusationes*

sationes in peccatis, & in verba malitiæ declinare atque in vanum laborare, & procidite huic Synodo, & salvamini ab anathematis condemnatione: sin autem, ite ad lumen ignis vestri, & flammam quam accendistis. Dehinc Vicarii Sedis Romanæ sic loquuntur: *Novit enim omnis sancta & universalis Synodus, quæ gratia Dei in Ecclesia hac congregata est, quia sancta Romana Ecclesia ab undecima Indictione collectis Occidentalibus Episcopis in Ecclesia B. Petri ubi virtutibus floret & requiescit, obligavit & anathematizavit ac projecit Photium pervasorem una cum omnibus sequacibus ejus Præsulatum adhuc gerente beatissimo Papa Nicolao. Iterum autem successor ejus Adrianus sicut Nicolaus idem definivit & promulgavit, nosque indignos famulos suos direxit ad hanc Deo conservandam urbem ad manifestationem & certitudinem veri & justi judicii ipsorum. Ita ut non habeant vocem repedationis, vel appellationis, sed quemadmodum jam judicati sunt & dejecti in seculum maneant. Et Ecclesiæ Orientalium gratia Dei nobiscum sentiunt, stabiliunt, damnant & anathematizant similitur usque in consummationem seculi.*

VIII. Postea Imperator Basilius dignam optimi atque piissimi Imperatoris habet orationem protrepticam: quam ejus secretarius legit palam: ait autem se controversiam hanc inter Ignatium & Photium natam voluisse Synodico judicio libero definiri, neque Synodis privatis, quæ de illa re habitæ sunt interesse voluisse, nequis diceret mundano poten-

tentatu aut imperiali gladio aliquid geſtum & Concilium adulteratum eſſe. U*num ſibi deſiderium fuiſſe duntaxat hocque Vicariis Sedium Patriarchalium dixiſſe, quamprimum illos vidit, ne quemquam permitterent deperire vel ab Eccleſia Dei, ſi fieri poſſet, projici: hoc ſolum eſt noſtrum ſi quis voluerit nominare crimen*, inquit: *alia vero omnia Canonibus &* IIS QUIBUS IMPERIUM SYNODI CREDITUM EST, *tradidimus, multum pro præſenti judicio conjurantes & contendentes nihil ad gratiam vel per odium decerni*, &c. *Sed & communiter hodie omnibus videntibus deprecamur manum iis qui compaſſione opus habent porrigi, & unam Eccleſiam celebrantium feſtivitatem perficere, ita Patres Spiritales & veritatis defenſores, qui figuratis ſecundum Chriſma Aaron, & ſecundum zelum Phinees, & ſecundum judicium Salomonis, requirite ovem quæ perierat, convertite quæ erraverat, ſuper humerum tollite ſolitariam & confractam compaſſionis vinculis alligate, quæ ulcerata eſt emplaſtro condeſcenſionis ſanate, quæ extranea eſt & abjecta à ſpiritali mandra, nonaginta novem ovibus diſpenſationis more conjungite, relinquite memoriam ſempiternam poſterioribus generationibus compaſſionis veſtræ ad imitationem Chriſti. Cum oratione ad Photianos converſa, & vos quoque qui curatione indigetis ac modela opus habetis pretioſa membra Chriſti, etſi neſcio quo modo à malo dæmone detenti, à capite ſeparati eſtis, vitis veræ quæ propter contentionem importunam, imo vero injuſtam in*

amaritudinem conversa es, &c. Scrutamini intima conscientiæ vestræ, & invenietis vos male ab Ecclesia esse disjunctos. Novissima hora est, & judex pro foribus est fratres, ne præoccupemur ab ejus Ecclesiæ sequestrati, & longe ab illius gloria projiciamur. Nihil turpe ducatis passionem manifestare & vulnus ostendere ac locum pœnitentiæ & medicinæ requirere, atque intra atrium salvantium fieri. Qualis autem est confusio fratres procidere Deo, & veniam expetere? Deo enim procidunt qui Ecclesiæ & spiritalibus istis patribus procidunt confusio quidem revera est & maximus pudor, imo vero in Deum dimicatio, nolle unumquemque proprium confiteri peccatum, & humiliari propter Christum, & se & multos lucrari. Si autem omnino hoc confusionem arbitramini, ego cui imperii superposita est corona, forma vobis efficiar hujus optimæ humilitatis : ego qui imperitus & insipiens sum, bonum initium ero vestrum qui sapientes estis, & clari scientia : ego qui in peccatis volutatus sum primus vobis typus fiam qui mundi estis & virtuti operam datis : ego primus memet super pavimentum projicio purpuram & diadema parvi pendens : ascendite ad genas meas, & per oculos meos incedite, nec reputetis magnum Imperatoris calcare scapulas, neque vereamini pedibus tangere verticem cui superimponitur à Deo donata corona omnia pati promptum habeo, & promptius agere quæ vobis quidem confusionem, mihi autem gloriam & maximam claritatem conferre videantur. Neque enim in hoc curam gero gloriæ meæ, tantum ut videam communio-

munionem, unitatem & unam Ecclesiæ festivitatem. Tantum ne animæ detrimentum patiar & gaudeat super me ille omnium inimicus diabolus captivum sumens, &c. Postquam hæc protreptica oratio Imperatoris perlecta est, Vicarii omnium Sedium Patriarchalium maxime pietatem & charitatem Imperatoris laudarunt, atque Photianos ad se humiliandum exhortati sunt, atque inter alia Vicarii Sedium Orientalium, *Et nos quidem*, inquiunt, *si irrationabilia animantia pasceremus, fortasse coacte ac violenter tractaremus ea, ducentes etiam quo nollent: quoniam vero rationabile animal est homo, potius admonitione ducendum. Sufficienter ab Imperatoris admonitionibus instruimini.* His peractis Imperator sic alloquitur Photianos: *Si vultis subjici admonitionibus omnium nostrum, ecce portus & medicina: quod si non, imperium nostrum præbet vobis inducias septem dierum, ut si quidem curam gesseritis salutis vestræ, bene & optime, si vero minime, ventura sexta feria in sancta & universali Synodo state omnes, & quicquid definierit sancta & universalis Synodus in vos, fiet.*

Hæc sexta Actio nos docet primo Imperatorem huic Synodo præsedisse, & locum nobiliorem occupasse, secundo eruditissima velitatio Metrophanis Metropolitæ Smyrnensis cum Photianis clare indicat Ecclesiam Canonibus, non absoluta potestate regi, & eos qui aliquem judicem delegerunt, hoc ea conditione facere, ut judicet secundum Canones

&

& Leges, alioqui ejus judicium nullam atque irritum esse; hinc autem Cardinalis Cusanus lib. 11. de Concordantia cap. 20. statim post principium recte infert, *Canonem Conciliorum universalium esse regulam regiminis & ædificationis Ecclesiæ, & Papam tanquam primum Architectum illo uti oportere, si recte sua potestate uti velit.* Tertio sicut in contentionibus evenit, ut inter altercandum calentibus animis non omnia dicantur ad normam veritatatis & rationis, ita hic Metrophanes contra veritatem Actionum in Synodo sexta Carthaginensi memorat Patres Africanos paruisse Zosimi commonitorio, atque propriam reprobasse sententiam, &c. Quod falsissimum est ut cap. 6. hujus libri ostendimus: paruerunt quidem Zosimo quoad de genuinis Canonibus Nicænis liqueret: quam primum autem ex Oriente allati sunt, Zosimi judicium repudiarunt. Quarto hinc etiam liquet judicium Nicolai PP. & Sedis Romanæ subjectum fuisse examini generalis Concilii: cum videamus Patres polliceri se Nicolai sententiam mitigaturos si modo Photiani velint se humiliare & veniam petere à Synodo.

At induciis sex dierum elapsis quos Imperator Photianis ad resipiscendum dederat, Actio septima celebratur, in qua Photius cum Gregorio Syracusano & aliis intruducuntur ad Synodum, cumque Photius baculo inniteretur, Marinus Diaconus Vicarius Sedis Ro-

manæ dixit: *Tollite baculum de manu ejus, quia signum est dignitatis pastoralis quam hic habere nullatenus debet quia lupus est, & non pastor.* Interrogati autem pervicaciter contendunt quæ in se acta essent contra Canones facta, ideoque repudianda esse. Contra Bahanes Patricius nomine Imperatoris Photianos sic alloquitur, *Homines unde estis? an de terra, an de cœlo, an de abysso?* aitque, nullam unquam hæresim emersisse aut schisma, in qualibet parte mundi, quod extra quatuor alia Patriarchia judicatum sit. Jam vero Photianos à quinque Patriarchiis condemnari. Quid ergo, ait, vobis adjumento esse poterit? Cum illi responderent Canones Conciliorum & Apostolorum, ingeminavit Bahanes, *Ubinam gentium Dominus posuit Canones? In Ecclesiis suis an in aliquo alio loco? Et ubinam sunt hodie Ecclesiæ, & ubi prædicatur Euangelium? An ullus est alius locus præter eos quos tenent Sanctissimi Vicarii quinque Sedium Patriarchalium?* Tandem cum Photiani objicerent se neque vidisse neque audivisse judicium in se latum, neque illud cum sibi plane incognitum esset posse sequi:. Tandem Acta Synodi Romanæ sub Nicolao I & Adriano II leguntur & integra in Actionem VII conjiciuntur. Inter alia vero sub finem Actionis in tertia alloquutione Adrianus PP. sic de Photio conqueritur: *Intolerabilis est ista præsumptio dilectissimi, & hanc aures præcordiorum fateor sustinere non possunt: quis unquam vestrum tale*
quid

quid precor audivit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus: LICET ENIM HONORIO AB ORIENTALIBUS POST *mortem anathema sit dictum: sciendum tamen est quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi vel pravos sensus libere respuendi: quamvis & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas*, &c. Quæ Adriani expostulatio liquido indicat sententiam Patrum sextæ Synodi adversus Honorium datam consensu & approbatione Sedis Romanæ; & continuo Honorium fuisse Monotheletam: quare in conclusione Synodi VIII infra Honorius tertio anathemate synodali confoditur. Porro in fine Actorum Synodi Romanæ, quæ habita est sub Adriano II. leguntur subscriptiones triginta duorum Episcoporum, quorum Adrianus Papa primus est: & novem Presbyterorum in quorum fronte & capite legitur: *Georgius Archipresbyter S.R.E. Tituli Sancti Laurentii qui appellatur Lucinæ*: Deinde alius sequitur: *Romanus Presbyter Tituli SS. Joannis & Pauli*: & ita consequenter de aliis præterea: *Joannes Archidiaconus Sanctæ Apostolicæ Sedis consensi & propria manu subscripsi. Leontius Diaconus Sanctæ Apostolicæ Sedis similiter subscripsi*: & ita de aliis Diaconibus qui

ſunt quatuor numero. Cæterum hæc Actio ſeptima clauditur anathematiſmis editis contra Photium à Stephano Diacono : *Photio curiali & invaſori, anathema : Photio ſeculari & forenſi anathema : Photio neophyto & tyrano anathema*, &c. Deinde idem Diaconus exclamat, *Multos annos Imperatoribus orthodoxis, Eccleſiarum erectoribus, liberatoribus Chriſtianorum*, &c. *Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ novæ Judith, novæ Helenæ, novæ Pulcheriæ multos annos : Niclai B. Papæ Romani æterna memoria, novi Phinees, novi Danielis, novi Martini æterna memoria : Adriani Sanctiſſimi Papæ Romani multos annos, novi Cæleſtini multos annos : Ignatii Sanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani multos annos*, &c.

Cæterum ideo mentionem feci ſubſcriptionum Synodi Romanæ ſub Adriano Papa quæ in ſeptimam Actionem congeſta eſt, ut demonſtrarem neque in hac Synodo neque in aliis antecedentibus ullam fieri mentionem Presbyterorum aut Diaconorum Cardinalium : quamquam Romani Pontifices in omnibus Conciliis generalibus aliquos Presbyteros atque Diaconos Romanæ Eccleſiæ miſerint ad Concilium ut eſſent Vicarii Sedis Romanæ. Quod ſi tum Cardinales extitiſſent juxta ſententiam Onuphrii, qui cenſet nomen Presbyteri & Diaconi Cardinalis impoſitum Presbytero atque Diacono principali quem vulgo Archipresbyterum & Archidiaconum no-

nominamus: certe in Synodo Romana Adriani Papæ, Georgius Archipresbyter Romanæ Ecclesiæ tituli S. Laurentii, & Joannes Archidiaconus Sedis Apostolicæ appellationem atque titulum Cardinalis assumpsissent: quod tamen minime faciunt, idque est argumento, appellationem hanc secundum notionem quam Curia Romana ei deinceps attribuit, nondum innotuisse mundo: qua de re pluribus agetur in defensione libelli de ecclesiastica & politica potestate.

Actione VIII tractatur causa Theodori Crithinii Iconomachi, quem Bahanes Patricius sic alloquitur: *Quo effugies, vel quo ibis? Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchiis & definivit in Euangeliis suis ut nunquam aliquando penitus decidant, eò quod capita Ecclesiæ sint, Etenim illud quod dicitur. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, hoc denunciat quando duo ceciderint currunt ad tria: cum tria ceciderint currunt ad duo: cum vero quatuor forte ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ: nunc autem toto orbe terrarum concordante non habes excusationis modum*, &c. Quæ Bahanis Patricii sententia duo nos docet; primo modum ineundæ communionis sanctorum: secundo Ecclesiam & rectam fidem nunquam deliquium passuram propter Christi promissiones. Cæterum quod ait; unum Patriarchium in omnium capite Christo per-

mansurum, ac totum Ecclesiæ corpus revocaturum; nomine Patriarchii, non solum Papam cum suo oligarchico Concilio, sed aristocraticum Concilium Ecclesiæ à Christo institutum designat Bahanes: tandem vero perlectis libellis memorati Theodori Iconomachi legitur & sextum capitulum Synodi Romanæ sub Nicolao I. quo damnatur hæresis Iconomachorum.

Actione IX leguntur literæ Patriarchæ Alexandrini quæ ab ejus Vicario Joseph Monacho allatæ sunt, tardius quidem, propter Saracenos qui totum Orientem occupabant; literis autem commendatitiis perlectis, gloriosissimi Senatores sic Vicarium Sedis Alexandrinæ affantur, an aliquid rescivisset de iis quæ octo præcedentibus Actionibus gesta essent, & præsertim de duobus capitulis præcipuis ac magis necessariis: scilicet de receptione Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani & Photii abdicatione, atque ejus irregulari ordinatione: respondit Joseph Vicarius Sedis Alexandrinæ, se quidem accepisse omnia Acta fuisse cum magna diligentia & scrutinio, & sibi probari, seque habere præ manibus sententiam suam, quam si Senatus juberet, legi cuperet coram Synodo: in aliis vero se acturum quæcumque justa & sancta cognosceret. Itaque libellus præfati Vicarii legitur omnino conformis judicio aliarum Sedium Patriarchalium: quo perlecto & approbato, audiuntur

tur quidam falsi testes qui adversus S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum testimonium ediderant, eisque Epitimium, id est, pœnitentia imponitur. Audiuntur quoque laici, qui coram Michaële Imperatore impio, ejusque mandato sacerdotalibus & episcopalibus ornamentis induti Actiones sacerdotales peragebant, atq; incensum offerebant, dicunt autem se id coactos ab Imperatore peregisse: quare illis Epitimium pariter præscribitur.

XI. Actione x septem & viginti Canones constituuntur valde illustres ad optimam disciplinam sanciendam & renovandam. Et quidem primo Canone, *regulæ Patrum appellantur secunda eloquia, juxta sanctum Dionysium; quoniam Deus prima dedit eloquia. Itaque sicut & præcepta divina, luci comparantur, cujus ope melius à pejori, & proficuum à nocivo, utileque ab inutili dignoscitur: Siquidem mandatum Domini lucidum illuminans oculos: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Psal.* 118. *profitentur ergo regulas se tenere & servare velle quas Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ tum à sanctis Apostolis, cum ab orthodoxis universalibus necnon & localibus Conciliis vel etiam ab quolibet Deiloquo Patre ac magistro Ecclesiæ acceperunt: his & propriam vitam & mores regentes atque omnem sacerdotii Catalogum & omnes Christianos, quoad pænas & justificationes illis canonice subjicientes: siquidem Paulus Magnus Apostolus aperte admonet tenere traditiones quas accepimus sive per sermo-*

 nem

nem sive per epistolam sanctorum qui ante fulserunt,

Canone II statuitur, omnia quæ à Nicolao I & Adriano II synodice statuta sunt pro defensione status Constantinopolitanæ Ecclesiæ, redintegratione Ignatii, & expressione Photii jugiter servari.

Canone III decernitur ut sacræ imagines & præsertim imago Domini nostri Jesu Christi & figura pretiosæ Crucis æque ac libri sanctorum Euangeliorum adorentur. Supra in septimæ Synodi historia observavi Anastasium Bibliothecarium qui tempore Hincmari Rhemensis florebat, docere Gallos habuisse sacros honores Euangeliis, non autem imaginibus: unde conjicio, Patres octavæ Synodi, suasu Vicariorum Sedis Apostolicæ, hanc clausulam in tertium Canonem conjecisse propter Gallos: nimirum *ut sacræ Imagines Christi æque ac libri sanctorum Euangeliorum adorarentur*: idque causam præbuisse continuatori historiæ Aimoini monachi lib. v. cap. 28. ut scriberet, *Adrianum* II *Papam & Nicolaum de adorandis imaginibus aliter quam orthodoxi doctores antea definierant in octava Synodo statuisse: & quædam pro favore Romani Pontificis, quia Græcorum votis de adorandis imaginibus annuit, contra antiquos Canones constituisse*. Jam enim dixi Gallos, quoniam à regibus non ab Imperatoribus regerentur, tardius adoratione imagines coluisse: huncque cultum adorandi imagines ductum

ab

ab adoratione fieri ſolita imaginibus Imperatorum, quæ in templis Chriſtianorum erigebantur. Cæterum Canones facti in gratiam Pontificis contra antiquos Canones, ſunt XVII. XXI & XXVI de quibus propriis locis. Certum autem eſt ſeculo Hincmari, Gallos ſeptimum & octavum Concilium non recepiſſe abſque ullo ſenſu aut nota ſchiſmatis: ſicut & in hunc diem Synodum Tridentinam minime receperunt. Vide Hincmarum opuſculo 55 capitum, cap. 20 & in profeſſione fidei Adalberti Morinenſis Epiſcopi ad Hincmarum.

Canone IV damnatur Photius cum ejus aſſeclis, & quos conſecravit; decerniturque ut quas eccleſias ille conſecravit iterato conſecrentur, &c.

Canon V eſt etiam contra Photium neophytum, propter quem ſtatuitur, ne neophyti in fide vel in ſorte clericali ordinentur. Itaque definiunt; ut ſi quis abrenuntians mundo propter Chriſtum fiat clericus aut monachus, & omnem gradum eccleſiaſticum tranſigens per definita nunc tempora irreprehenſibilis inventus extiterit & probatus, ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi vero duos, ſitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annnis; bene placuit huic ſanctæ & univerſali Synodo eligi & *admitti ad Epiſcopatum*, &c. Quo in Canone hæc verba apprime notanda faciunt, *per definita nunc tempora*, &c. Quoniam anteactis ſeculis alius mos

invalescebat : adeo ut quidam homines eligerentur ad solum Diaconatum toto vitæ spatio administandum, nisi postea ad Episcopatum cooptarentur : sic B. Leo Magnus delectus fuerat Diaconus Romanæ Ecclesiæ, sicut etiam B. Gregorius, qui postea ad cathedram B. Petri evecti sunt. Item alii cooptabantur ut essent tantum Subdiaconi, & ita de aliis.

Canon VI est pariter adversus Photium, qui quosdam homines de trivio corruperat, ut fingerent se esse Vicarios Sedium Orientalium inde missos ut cum Photio communicarent. Postquam est damnatus à Nicolao PP. hac enim ratione volebat Photius persuadere mundo Sedes Orientis secum communicare.

Canone VII prohibetur omnibus Photianis anathemate perculsis à sancta Synodo, ne doceant in templo aut scholis, vel sacras pingant imagines.

Canone VIII prohibetur Patriarchis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ne à clericali ordine syngraphas exigant ut Photius fecerat, ad sui status securitatem & constitutionem quia hoc factiosum est, sed multo magis exigere sacramentum ab Episcopis, ut Gregorii VII seculo introductum est. Porro omnia illa chirographa quæ Photius exegerat coram tota Synodo ustulata sunt Actione octava.

Canon IX est contra eos qui se pariter Photio per syngrapham devinxerant, ad discendam

dam ſapientiam quæ à Deo ſtulta facta eſt: quo nomine puto intelligi Philoſophiam & literas humaniores in quibus excellebat Photius: hacque ratione ſibi plurimos devinxerat antequam eſſet factus Epiſcopus: qui quidem ei ſemper faverunt poſt ſuam abdicationem, ita ut res verteret in apertum ſchiſma: quod ut extingueretur mortuo Ignatio Photius in integrum reſtitutus eſt.

Canone x ſtatuitur, ne ullus clericorum vel monachorum aut aliquis ex catalogo clericorum ante diligentem examinationem & ſynodicam ſententiam ſe à proprii Patriarchæ communione unquam ſeparet, licet quamlibet criminalem cauſam illius ſe noſſe prætendat. Item ne ipſius nomen referre recuſet inter divina officia vel myſteria. Idemque etiam ſtatuitur de Presbyteris reſpectu ſuorum Epiſcoporum, atque Epiſcopis intuitu Metropolitarum & Metropolitis habita ratione Patriarcharum. Hæcque decernuntur ſub pœna abdicationis & excommunicationis.

Canon XI illos ferit anathemate, qui hominem duas habere animas dictitant, rationabilem & ſenſibilem. Idque inferebant ex eo quod læſis ſenſibus ſola anima ſenſibilis operationes ſuas peragat.

Canone XII edicitur, ut, ſi quis Epiſcopus per verſutiam vel tyrannidem Principum, ordinationem epiſcopalis dignitatis ſuſceperit, deponatur omnino; utpote, qui non ex vo-

lun-

luntate Dei & ritu ac decreto ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus ex hominibus & per homines possidere voluit vel consensit. Hic Canon diserte & directe Photium, qui ope Michaëlis Imperatoris Sedem Constantinopolitanam invaserat, ferit.

Canon XIII duas habet partes: prior conformiter ad quintum Canonem statuit clericos in minori gradu constitutos qui per tempus debitum claruerint in suo gradu & officio, debere ad altiores gradus & honores provehi. Posterior pars, omnes qui se negotiis seculi, & præsertim in domibus Principum implicuerint, aditu ordinis clericalis interdicit.

Canone XIV. Episcopi aulici coguntur in ordinem, caveturque ne Strategis, hoc est, ducibus militaribus, vel quibuslibet aliis Principibus, quos Episcopi debent arguere & corrigere, blandiantur aut adulentur,

Canon XV. vetat cimelia hoc est res pretiosas & vasa sacra Ecclesiæ, excepta causa ab antiquis Canonibus ordinata, vendi: causæ autem ob quas illa vendere licet, sunt redemptio captivorum, alimenta pauperum, &c.

Canone XVI. prohibetur, ne quis laicus ornamentis sacerdotalibus aut Ecclesiasticorum utatur quemadmodum sub Michaële Imperatore, juvenilis ætatis ardore corrupto multi usi fuerant in ludibrium: iis autem qui sic abusi fuerint Epitimium ita præscribitur, ut triennio publicam agant pœnitentiam, priore anno

anno extra ecclesiam, secundo ut intra ecclesiam stent cum catechumenis: tertio ut consistant cum fidelibus, & tum demum ad sacra mysteria admittantur. Idque argumento est tum publicam pœnitentiam adhuc viguisse in Ecclesia.

XII. Canonem XVII integrum exscribam: *De potestate Patriarcharum & Metropolitanorum: Sancta & universalis Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem jubet servari Ægyptum & provincias quæ ab ipsa sunt, ita ut horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem: dicens quia & in Romanorum civitate hujusmodi mos prævaluit: qua pro causa & hæc magna & sancta Synodus tam in seniori & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ ac Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab eis promoventur, & sive per manus impositionem sive per pallii dationem episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem: videlicet ad convocandum eos urgente necessitate ad synodalem conventum, vel etiam ad coërcendum illos & corrigendum cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit, Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui neque secundum vocationem Apostolici Præsulis occurrant, à mundi Principibus se detineri sine ratione causantur; placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam. Cum enim Princeps pro suis causis conventus frequenter agat, impium est, ut summos Præsules ad Syno-*

Synodos pro ecclesiasticis negotiis celebrandum impediant, vel quosdam à Conciliis eorum probibeant; licet tale impedimentum & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus. Consueverunt autem Metropolitani in anno Synodos facere : ideoque se dicunt ad Patriarchale penitus non posse concurrere caput. Sed sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia quæ à Metropolitanis fiunt interdicens, multo magis illa novit rationabiliora esse ac utiliora Metropolitanorum Conciliis quæ à Patriarchali Sede congregantur, & idcirco hæc fieri exigit, à Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur, à Patriarcha vero sæpe totius causa diœceseos dispensatur. Ac per hoc communis utilitas providetur, propter quod, & speciale lucrum propter generale bonum postponi convenit, cum à majoribus super hæc facta fuerit advocatio: quamvis apud quosdam Metropolitanorum antiqua consuetudo, & canonica traditio per contemptum ipsorum postposita videantur, non currentibus eis ad communem profectum : quos leges Ecclesiæ severe condemnantes omni excusatione remota subjacere vocationibus proprii Patriarchæ sive cum communiter, sive cum sigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem tanquam perosum quoddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur non posse Synodum absque principali præsentia celebrari: cum nusquam sacri Canones convenire seculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos antistites. Unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis uni-

ver-

versalibus invenimus : neque enim fas est seculares Principes spectatores fieri rerum quæ sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt. Quisquis ergo Metropolitanorum proprium Patriarcham contempserit, & vocationem ejus, quæ sive ad unum solum, sive ad plures, sive ad omnes sit, absque validissima ægrotatione vel paganorum incursu non obedierit, & per totos duos menses, post notitiam vocationis, ad proprium venire Patriarcham minime festinaverit, vel si quocumqne modo latitare aut non cognoscere nuntium ab illo missum tentaverit, segregetur. Si vero intra annum eamdem contumaciam & inobedientiam demonstraverit, deponatur omnibus modis, & ab omni sacerdotali operatione decidat, atque à dignitate & honore, qui Metropolitanis convenit, propellatur : is autem qui huic definitioni non obedierit, etiam & anathema sit.

Multa occurrunt animadversione digna in hoc Canone quæ ut accuratius cognoscantur, primo notandum, à temporibus Apostolorum ad octavum Concilium quo de agitur, tria duntaxat extitisse in Ecclesia tribunalia; nimirum tribunal privatum Episcopi, tribunal Synodi provincialis, & tribunal Synodi generalis. Ita ut juxta Canonem quintum Synodi Nicænæ, iis qui privatim ab Episcopo gravati erant, liceret provocare ad Synodum provincialem, & à Synodo provinciali ad Concilium generale, ut supra docuimus in Historia Synodi Nicænæ, & sexti Concilii Carthaginensis. At præter hæc tria quartum in-

insuper hic de novo erigitur, tribunal Patriarchale scilicet: idque factum & procuratum ab Adriano II conjicio, propterea quod aliquot annis antequam octava Synodus haberetur, Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus Hincmarum Laudunensem Episcopum nepotem suum, vitæ desperatæ damnaverat in Synodo provinciali, juxta disciplinam Canonis quinti Nicæni, & sexti Concilii Carthaginensis; neque Laudunensi Episcopo appellanti ad Sedem Apostolicam propter cusas in Analysi Concilii Carthaginensis explicatas Hincmarus Rhemensis detulerat, Rege etiam Franciæ id prohibente: quam ob causam cum Adrianus PP. & Regi, & Hincmaro stomachose scripsisset, ut Laudunensem Episcopum liberum securumque mitterent Romam, & nominatim ipsi Hincmaro ut eo etiam se conferret, Rhemensis Episcopus in scientia Canonum versatissimus ita respondit: *Quia nec prædictum Hincmarum Laudunensem, nec etiam quemlibet Episcoporum diœceseos Rhemorum, minime autem aliarum provinciarum Episcopos nisi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ego ultra fines regni sui, absque illius scientia, progredi valeo.* Legendus Flodoardus lib. III Historiæ Rhemensis Ecclesiæ cap. 22. Præterea Carolus Calvus aculeate Adriano respondit.

XIII, His ergo de causis Adrianus ad hunc

Ca-

Canonem condendum inductus est, cui etiam respondet vigesimus sextus, de quo infra: & hi duo sunt Canones quos continuator Aimoini Monachi factos dicit in gratiam summi Pontificis contra antiquos Canones. Hoc ergo primum erit notabile. Secundum vero quod hic conformiter ad Canonem VI. Nicænum jura Patriarcharum in suos Metropolitas primum declarentur, deinde amplientur. Siquidem illo Canone Nicæno statuitur ut nullus habeatur Episcopus quem Metropolita non consecravit: deinde aliis Canonibus præsertim Synodi Chalcedonensis ostendimus Patriarchas jus habere ordinandi Metropolitas sui Patriarchatus; quod mediate vel immediate est intelligendum juxta ordinem vel Canonibus præscriptum, vel consuetudine diuturna acquisitum. Tertio eo docemur, Metropolitas ordinari consuevisse sive manuum impositione, sive per pallii donationem. Impositio manuum causam habet in Euangelio: Pallii autem concessio quando & undenam ortum habuerit non satis liquet. Isidorus Pelusiota lib. I. epistola 136. ad Herminum Comitem ita Pallium videtur describere: *Amiculum quod sacerdos humeris gestat, atque ex lana non ex lino contextum est; ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit inventamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni*

pastoris imitatorem esse qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Et ita ex Isidoro Pelusiota liquet in Græcia non solos Metropolitas, verum etiam Episcopos hoc genere amiculi usos, quod etiam confirmat Canon ultimus octavæ Synodi in qua versamur. Profecto, auctores fabulosæ donationis Constantini, Can. Constantinus, dist. 95. narrant *Imperatorem Constantinum dedisse Sylvestro PP. superhumerale, videlicet lorum quod assolet circumdare collum imperiale : idque videtur speciem referre hujus Pallii* : unde nisi Canon iste esset supposititius, recte inferretur primum usum hujus Pallii ab Imperatorum concessione repeti. Baronius Tomo v. Annalium ad annum Christi 432 sub finem quoddam Ecclesiæ Ravennatensis privilegium refert; quo Valentinianus Imperator eam erigit in Metropolim, atque Joanni Episcopo Ravennatensi concedit ut honore Pallii utatur : quod privilegium ideo oppugnatur à Baronio, quoniam, ut inquit, Romanorum est Pontificum, non Imperatoris dare Pallium Episcopis : idque à posteriori probat ex S. Gregorii Epistolis : & pro confirmato quod est controversum asserit. Neque enim inficiamur Romanos Pontifices illud dare consuevisse Metropolitis seculo B. Gregorii : sed hic de ejus prima institutione disputamus, fueritne ab Imperatoribus an ab Ecclesia : verum Imperatores plurimas Metropoles instituisse nemo nisi Historiæ ignarus potest ire infi-

inficias. Quare frustra illud privilegium tanquam à Valentiniano Ravennatensi Ecclesiæ concessum oppugnat Baronius. Liberatus in suo Breviario cap. 21. narrat, *Anthimum cum videret se de Constantinopolitana Sede expulsum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidisse, & in locum Anthimi Mennam ordinatum fuisse ab Agapeto PP.* Ex quo colligimus Imperatores hoc Pallium solitos conferre Patriarchis, idque Ravennatis Ecclesiæ privilegium à Valentiniano indultum docet: eamque etiam ob caussam arbitror S. Gregorium lib. I. epistola 27 narrare *se summis precibus petiisse ab Mauritio Imperatore, quatenus pateretur Anastasium Patriarcham Antiochenum, concesso usu Pallii, ad B. Petri Apostolorum principis limina celebrare solennia Missarum:* hæc ibi. Quorsum autem S. Gregorius peteret ab Imperatore, ut pateretur Antiochenum Patriarcham pallio uti, nisi Imperator jus aliquod haberet concedendi Pallii. Nam in facultate unius B. Gregorii erat concedere Antiocheno, ut solennia Missarum in æde B. Petri celebraret: ut autem Pallio uteretur, hoc à Mauritio Augusto impetrandum fuit. Hinc ergo conjecturam ineo donum Pallii primum ab imperatoribus institutum: & tandem labente Imperio dispensationem propriam Romanis Pontificibus effectam, ut & plurima alia. Quocirca sicut mos erat Patriarcharum quamprimum essent ordinati, literas synodicas suæ ordinationis

& professionis fidei ad cæteros Patriarchas mittere, ut in Historia quintæ Synodi probavimus, ita Romanos Pontifices mittendo Pallium Metropolitis ab illis rationem suæ fidei exegisse claret ex epistola Pelagii Papæ relata in corpus Canonicum dist. 100. *Can. Quoniam quidam Metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctæ Sedi Apostolicæ exponere detrectantes, usum Pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur: placuit ut quisquis Metropolitanus ultra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam Palliumque suscipiendum ad Apostolicam Sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate,* &c. Cæterum, non abs re est notare, S. Gregorium epistola 55 & 56 libri quarti mittere Pallium Episcopo Corinthiensi quamquam minime subjaceret Patriarchatui Romano: atque nonnullos Pontifices Romanos haud aliter Pallio quam hodie Galeri Cardinalitii munere usos: ita ut Principes & Reges Christiani illud magnis precibus à Pontifice Romano impetrare solerent pro Episcopis quibus gratificari volebant: Gregorius Magnus lib. VII Indictione prima, epistola 5. & Indictione secunda, epistola 111 & 112. At Gregorii VII seculo usu Pallii utebantur ad exigendum sacramentum fidelitatis & subjectionis à Metropolitis: unde ipsemet Gregorius VII epistola 1. l. IX. graviter excandescit in Rothoma-

magensem Episcopum *quod pallium ab Apostolica Sede pro more non acquireret*: propria sunt verba. Quocirca illi imperat ne deinceps ullum Episcopum aut Sacerdotem ordinet, vel Ecclesiam consecret donec Pallii usum à Romana Sede acquisierit: Item Paschalis II. Gregorii VII. successor, de Electione & electi potestate, in Decretalibus cap. 4. *Significasti Reges & regni majores admiratione permotos, quod Pallium tibi ab apocrisariis nostris tali conditione oblatum fuerit si sacramentum quod à nobis scriptum detulerant exhiberes*, &c. Ex quo perspicimus quod primitus in honoris atque dignitatis indicium & notam tribuebatur, tum demum in onus gravissimum transiisse. Ita ut Curia Romana prohibeat Archiepiscopis ea obire munia ad quæ jure divino tenentur, antequam Pallium acquisierint: quod tamen est res pure ceremonialis, nihil ad potestatem episcopalem conferens. Certe sequioribus seculis hoc ritu deferendi pallii Pontifices Romani non modo omnes Ecclesias Occidentis verum etiam Orientis sibi monarchice subdere voluisse perspicuum redditur ex cap. v. Synodi Lateranensis sub Innocentio III. quo edicitur, *ut singuli Patriarchæ postquam à Romano Pontifice Pallium acceperint, quod est plenitudo officii Pontificalis, & insigne, & juramentum fidelitatis, atque obedientiæ Romano Pontifici præstiterint, licenter & ipsis suis suffraganeis Pallium largiantur: recipientes pro se professionem canonicam,*

 &

& pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab ejusdem suffraganeis. Hæc ibi. At vero Patriarchas Orientis quamquam tum servitute Turcarum oppressos, huic Canoni consensum præbuisse nedum obtemperasse nullo modo credibile est: cum à centum amplius dehinc annis in Synodo Florentina suam pristinam dignitatem maxime tutatos fuisse doceat Bulla ipsius Eugenii IV. PP. quæ legitur in fine & pro conclusione Synodi Florentinæ. Et hactenus de tertio notabili.

XIV. Quartum est, quosdam Metropolitas cum à propriis Patriarchis ad patriarchalem Synodum evocarentur, causatos se vel in Synodorum provincialium celebratione occupari, vel à suis Regibus atque Principibus detineri. Statuit autem Synodus bonum privatum bono communi, hoc est, Synodum provincialem patriarchali esse postponendam; cum Metropolita uni tantum provinciæ, Patriarcha vero diœcesi pluribus constante provinciis præsideat. Ubi animadversione dignum, bene difficultatem solummodo natam cadente Imperii majestate: quoniam dum Imperatores Orienti & Occidenti præerant, quoties Episcopus Romanus aut alius Patriarcha suam cogere volebat Synodum, dabat operam ut Metropolitæ literis Imperatorum evocarentur: quibus literis necessario obtemperabant, ut patet ex convocatione Synodorum quarum Historiam supra evolvimus. At

Re-

Regibus Franciæ constitutis, æque patiebantur suos Episcopos à regno suo longius peregrinari; hicque notandum, unam ex causis, propter quas antiquitus clerici excommunicari poterant, fuisse, si ad Synodum à Metropolitano aut Patriarcha suo vocati parere recusarent. Jacobus Almainus de Potestate ecclesiastica & laica, quæst. 111. cap. 8. quærit, *utrum si Imperator Sortem pro re civili, & Papa eodem tempore vocet eumdem pro re ecclesiastica, cui potius parendum sit?* Concluditque, *quod si neque Papa neque Imperator explicent causam rei ob quam Sortem appellant, potius eundum ad Regem, quia habet majus dominium in corpora nostra quam Papa, qui non dominatur corporibus: Si vero uterque causam explicet, ei obtemperandum esse qui urgentiorem causam proponit, prout vir prudens definierit.* Hæc ille; de qua controversia alias pluribus. Quinto observandum, in hoc Canone Patriarchas nominari Apostolicos præsules: *sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum qui ne secundum vocationem Apostolici Præsulis occurrant.* &c. Sexto, dum hic Canon singulos Metropolitas propriis subjicit Patriarchis, liquido Monarchiam recentiorum profligat: quoniam juxta hunc, & sextum Canonem Nicænum, tantumdem aliis Patriarchis in suos Metropolitas, quantum Romano in proprios licet.

XV. Septimo, dignoscitur aliquos extitisse adulatores, qui Principibus persuadebant, Synodos etiam provinciales, quibus ut

plurimum ſolummodo regularia tractantur, abſolute haberi non poſſe abſque eorumdem Principum præſentia: quod commentum à Photio manaſſe videtur, cæteriſque aulicis. idque nos edocet Nicolai PP. epiſtola VIII: ad Michaëlem Imperatorem, qui Synodo præſederat. In qua S. Ignatius exauctoratus eſt: *Congregaſtis*, ait Nicolaus, *Concilium adverſus Ignatium, & ad Imperii veſtri nutum cuncti ſunt famulati minores, & ad votum ſecularium, ut cum pace veſtra dicamus, de ſolio imperiali deſcendentes, cathedram præſularem, ut ita fateamur, aſcendiſtis, & pro deſiderio hoſtium ejus, auguſtalium obliti ſceptrorum, quendam regem Iſraël imitantes, adverſus Ignatium ſacerdotalis miniſterii arripuiſtis officium: præſertim cum Imperium veſtrum ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat eſſe contentum, nec uſurpare quæ Sacerdotibus Domini ſolum conveniunt. Dicite quæſumus ubinam legiſtis Imperatores Anteceſſores veſtros in ſynodalibus conventibus interfuiſſe: niſi forſan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt: quæ non ſolum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos? vos autem non ſolum Synodo in cauſa ſacerdotii collecta interfuiſtis, verumetiam numeroſa ſecularium millia ad videndum Ignatii opprobrium aggregaſtis, cum magis debueratis in hoc imitari Conſtantinum*, &c. Adeundus Canon Ubinam legiſtis. Diſt. 96. Octavo, quamquam hic 17 Canon factus ſit ſuaſione legatorum Adriani II. PP. & in eo

ver-

verbum de verbo ſextus Canon Nicænus referatur atque explicetur : tamen nulla fit mentio hujus formulæ, *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum* : de qua ſuperius cap. 8. numero 44.

XVI. Canone XVIII prohibetur ne quiſquam in bona aut privilegia Eccleſiæ invadat. *Placuit huic ſanctæ & magnæ Synodo, ut res vel privilegia quæ Dei Eccleſiis ex longa conſuetudine pertinent, & ſive à divæ recordationis Imperatoribus, ſive ab aliis Dei cultoribus in ſcriptis vel ſine ſcriptis donata & ab eis per triginta annos poſſeſſa ſunt, nequaquam à poteſtate præſulis earum quæcumque perſona ſecularis per poteſtatem ſubſtrahat, aut per argumenta qualibet auferat : ſed ſint omnia in poteſtate ac uſu Præſulis eccleſiæ, quæcumque intra triginta ſpatium annorum ab eccleſiis poſſeſſa fuiſſe noſcuntur. Quiſquis ergo ſecularium contra præſentem definitionem egerit, tanquam ſacrilegus judicetur, & donec ſe correxerit & Eccleſiæ propria privilegia ſeu res reſtituerit & reſervavit, anathema ſit.* Verum Patres Synodi octavæ ad hunc edendum Canonem ab Adriano II. Papa inductos veriſimile eſt: idque ut privilegia & bona quæ Carolus Magnus atque Pipinus Caroli pater Eccleſiæ Romanæ contulerant, & ex Imperio decerpſerant, aliquo titulo eccleſiaſtico confirmarentur : ne quis poſtliminio illa adjungere Imperio tentaret : hinc vero commentum adulatorum diſſipatur, perſuadere conantium nihil conceſſum fuiſſe Ec-

clesiis à Principibus Christianis, sed quæcumque habent jure divino monarchico possidere: ac fuisse restitutiones, non donationes, ut in historia Synodi septimæ probavimus.

Canone XIX prohibetur Metropolitis ne prætextu visitationis Episcopos sibi suffraganeos gravent: idque crimini sacrilegii deputatur puniendo à Patriarchis. *Quisquis ergo post hanc definitionem nostram tale quid facere tentaverit, pœnam subeat à Patriarcha qui per tempus fuerit, secundum congruentiam injustitiæ ac avaritiæ suæ, & deponatur & sequestretur ut sacrilegus, & aliter ut idolalatra factus juxta magnum Apostolum qui Ephes. 5. avaritiam sicut crimen idololatriæ execratur.* Quo de Canone Cusanus lib. II de Concordantia cap. 30. *Ecce sacrilegos esse qui occasione alicujus apparentis boni subditas ecclesias gravant. Unde hic mundus clamat de quæstu Romanæ Curiæ: si Simonia suo modo hæresis est, si gravare subjectas ecclesias sacrilegium est, si hæc agens secundum magnum Apostolum idololatra est: necessarium erit in via reformationis omnes hujusmodi quæstus tollere: maxime quia scandalizata est ipsa universalis Ecclesia ex hac avaritia præsidentium, & plus Romanæ Curiæ quam aliarum Ecclesiarum*, &c.

Canon XX illis cavet & consulit qui bona Ecclesiæ tenent in Emphyteusim; ne scilicet ab Episcopis aut Metropolitis graventur aut priventur illis bonis, *&c.*

XVII. Canonem XXI cavetur, *Ne Papa Roma-*

manus vel alius Patriarcharum à quoquam inhonoretur. Dominicum sermonem quem Christus sanctis Apostolis & discipulis suis dixit, Quia qui vos recipit me recipit & qui vos spernit me spernit, ad omnes etiã qui post eos secundum ipsos facti sunt, summi Pontifices & Pastorum Principes in Ecclesia catholica, dictum esse credentes: definimus, neminem prorsus mundi potentium quemquam eorum qui patriarchalibus Sedibus præsunt inhonorare aut movere à proprio throno tentare, sed omni reverentia & honore dignos judicare, præcipue quidem sanctissimum Papam senioris Romæ, deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham, deinde vero Alexandriæ ac Antiochiæ atque Hierosolymorum: sed nec alium quemcumque conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romæ ac verba complicare & componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta jactantia & audacia usus fuerit, ut secundum Photium vel Dioscorum in scriptis vel sine scriptis, injurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moveat, æqualem & eandem, quam illi condemnationem, recipiat. Si vero quis aliqua seculi potestate fruens vel potens pellere tentaverit præfatum Apostolicæ Cathedræ Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia; oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari & solu-

solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.

Hoc Canone satisfit. querelis Adriani, contra Photium Actione VII superius explicatis, quibus expostulationem habuit, quod imitatione Dioscori, qui Leonem Magnum excommunicaverat, ausus fuisset Nicolaum Papam anathemate percutere: & hic est unus ex Canonibus qui conditi sunt in gratiam Papæ atque aliorum Patriarcharum, quorum eandem esse causam probat Cusanus lib. II de Concordantia cap. 17. sub finem. *Et quod Patriarchæ æquiparentur in depositionibus, facit 22 Dist. Can. Definimus.* Et aliquanto post. *Sed Papam universali Concilio totius Ecclesiæ subesse clariori definitione Concilium octavum universale explicavit Canone XXI. qui incipit: Dominicum sermonem cujus pars habetur 22 Dist. Can. Definimus: dicit autem quod universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Sede Romanorum exortam audire tenetur, & in ea proficere aut perfectum facere: non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere. Ecce,* inquit, *quod licet omnem quæstionem de Sede Apostolica exortam definire habeat universale Concilium, hoc tamen ob primatiam & reverentiam capitis cum convenientia & reverentia non audacter sententiam dicendo facere debet. Quare manifestum est ex his universale Concilium simpliciter supra Papam esse.* Item Almainus de Auctoritate

tate Ecclesiæ cap. VII. *Ecce*, ait, *quod*, *licet Concilium potestatem habeat definiendæ quæstionis excitatæ de Romana Sede: tamen Patres* VIII *Concilii id volunt fieri cum reverentia propter dignitatem Primatus*. Et ita exploditur vulgaris sententia Canonis : *nemo judicabit primam Sedem*, tanquam Canonibus contraria, 9. quæst. 3. Verum Cajetanus ut hanc petitionem declinet tractatu II de Auctoritate Papæ cap. 10. multa turbat : *Nam*, ait, *dum Concilium* VIII *statuit non licere audacter dicere sententiam in Romanum Pontificem*, *significare quod non nisi audacter in illum proferri possit sententia*, *& consequenter absolute non esse ferendam sententiam in illum*. Quæ responsio lectione ipsius Canonis ruit : quo ostenditur non esse à Sedibus inferioribus temere & audacter more Dioscori & Photii sententiam contra primam Sedem pronunciandam : quia, ut ait Anastasius in præfatione VIII Synodi : *Canonibus*, *imo vero naturæ*, *repugnat*, *primam Sedem à Sede inferiori judicari* : hoc enim soli Concilio generali merito relinquitur, & hoc ipsum est quod Canon XXI octavi Concilii docet.

XVIII. Canon XXII sic habet : *Promotiones atque consecrationes Episcoporum concordantes prioribus Conciliis electione ac decreto Episcoporum collegii fieri sancta hæc & universalis Synodus definit & statuit : atque jure promulgat neminem laicorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet*

libet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio: præsertim cum nullam in talibus potestativorum vel cæterorum laicorum habere conveniat: sed potius silere ac attendere sibi usquequo regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si vero quis laicorum ad concertandum & cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia si forte voluerit obtemperare se adsciscentibus: taliter enim sibi dignum pastorem regulariter ad Ecclesiæ salutem promoveat. Quisquis autem secularium Principum & potentum vel alterius dignitatis laicus adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat, & consentiat, quod Ecclesia de electione ac ordinatione proprii Præsulis se velle monstraverit.

Huic Canoni concordat XII supra expositus, ad cujus intelligentiam Cardinalis Cusanus lib. II de Concordantia cap. 32. demonstrans invitis dari non posse Episcopum: quam in rem laudat Can. de Neptis 31. quæst. 2. quo docetur, *sicut in matrimonio carnali, sic in Ecclesia unum corpus spirituale constitui debere ex Episcopo & plebe, ac proinde consensum necessarium videri: quoniam non dubium*, inquit, *inter Episcopum & Ecclesiam matrimonium esse 3 quæst. 1 Can. Audivimus. Et propterea 1 quæst. 1 Can. Ordinationes, dici ordinationes quæ non fiunt communi consensu cleri & populi secundum canonicas sanctiones, & ab iis, ad quos consecratio pertinet, non comprobari*

&

& falsas judicari: quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, per Christum intrant, sed, ut ipsa veritas testatur, fures sunt & latrones. Et ratio hujus est, quoniam consensus de essentia matrimonii est. Diversitas enim ordinum præpositorum & subjectorum pro conservatione Reipublicæ ordinata est, ut dum reverentiam exhibent minores potioribus, & potiores minoribus dilectionem, vera concordia ex diversitate contexeretur, ut recte officiorum gereretur administratio, ut 89 Dist. Can. Ad hoc, & Dist.45. Can. Licet. Igitur ex Concordantia subsistit Ecclesia. QUARE INVITIS PRÆSES NON RECTE PRÆPONITUR *de quo pulchre Dist.95. Can. Esto Sed oportet quod illo qui præest, ab omnibus quibus præest, constituatur, tacite vel expresse: sin autem aliter præsumptum fuerit, viribus carere dubium non est, quia irritum est, Dist.66. Can. Archiepiscopus: qui dicit alibi, oportet ut ille, qui omnibus præesse debet ab omnibus eligatur. Et quod ille textus Archiepiscopus intelligatur ab electione patet in originali, & Panormia Ivonus qui dicit: Oportet autem ut ille qui omnibus præesse videtur, ab omnibus illis eligatur & ordinetur. Id etiam optime probat idem Can. Metropolitano, Dist.63. & Can. Valentinianus: Ordinatio enim idem est sæpe quod electio 61. Dist. Can. In Sacerdotale; per consensum enim eligentium & electi hoc matrimonium constituitur, ut notatur in cap. Cum inter Canonicos, de Electione, & 63 Dist. Can. Quanto, in Glossa. Electio autem consensui æquiparatur, ut est textus in Can. Episcopos Dist. 62.*

63. *hoc est matrimonium quod inter eligentes & electum contrahitur, ut notatur in cap. 11. de Translatione secundum Innocentium. De hoc etiam in Can. Obeuntibus Dist. 63. Et quia omnis cura reformationis stat in hoc ut Præsides, Rectores & Gubernatores boni constituantur: quoniam si ille, qui lex animata esse debet in terris, bonus non est; quale periculum subjectis immineat, facile scire quisque potest.* U*nde in constituendis rectoribus ecclesiasticis, qui in vitis dari non debent, divina præcepta sunt, ut per electionem procedatur. Et ut paucis contentemur allegationibus, ita scribit S. Cyprianus in epistola de Martiale & Basilide:* Item aliquanto post medium capitis: *Ecce ergo*, ait, *electiones de divino jure esse præsertim quod invitus non detur populo: & consequenter* EST CONTRA OMNEM RATIONEM DARE NON EXPETITUM. U*nde Leo Papa 62 Dist. Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Ecce tria requiri ad hoc quod Præses rationabiliter constituatur: electionem cleri, consensum plebis, & judicium Metropolitani & de hoc infinita, ut ita dicam, jura sunt. Si igitur Ecclesia reformari debet, necessarium est divina & naturalia Jura & Canonum sanctiones circa materiam electionem repeti & amplius servari.* Concluditque Cusanus, *Manifestum esse scientiam legis ex ore sacerdotum requiri Malachiæ 2. ac insuper ex falsa doctrina quæ ex ignoranti vel amali, in sacerdotis seminaretur, populum*

lum non excuſari. Unde ſi non deberet populi conſenſus intervenire in præſide, injuſte puniretur ex ignorantia vel malitia ſacerdotis, juxta præmiſſa: quum ad ejus præſidentiam eorum conſenſus nunquam intervenit: nihil enim poteſt tunc ipſi populo imputari: quare ſalus publica exigit per electionem & conſenſum Præſides fieri. Hactenus Cardinalis Cuſanus; at nos pluribus aliquando de ſacrarum electionum jure atque inveſtituris diſputabimus Deo bene propitio.

Canon XXIII jubet ſingulos Epiſcopos ſuis ſe finibus continere, neque in poſſeſſiones Eccleſiarum alienarum aut vicinarum invadere.

XIX. Canon XXIV integer exſcribendus: *Quod non oporteat Metropolitas ſuffraganeis ſuis Epiſcopis miniſteria eccleſiaſtica ſuæ Metropoleos committere; divina ſcriptura dicente, maledictus omnis homo qui facit opus Domini negligenter: quidam Metropolitanorum in extremam negligentiam & deſidiam delapſi, præceptionibus ſuis ſubjectos ad ſe adducunt Epiſcopos, & committunt eis eccleſiæ propriæ divina officia & litanias, & cuncta omnino ſacra quæ ad ſe pertinent miniſteria; ita ut per illos celebrent omnia quæ per ſemet alacriter agere debuerint: ac per id eos qui epiſcopalem dignitatem meruerunt quodammodo clericos ſibi ſubjectos exhibeant. Vacant autem iidem præter eccleſiaſticas leges ſecularibus curis atque diſpoſitionibus dimittentes perſeverare in orationibus & obſecrationibus pro ſuis delectis ac populi ignorantiis quod nuſquam*

apud antiquos penitus invenitur, cum sit canonicis nimirum contrarium omnino præceptis: & quod sævius est, quia suis stipendiis per destinctas mensium vices frui dicuntur prædicta perficere ministeria, quod ab apostolico munimine modis omnibus ostenditur alienum. Hæc autem omnia magnis & multis ac vehementissimis damnationibus dignos hujusmodi statuunt: probantur enim tales per hæc quæ faciunt etiam sathanica jactantia & superbia languere. Quisquis ergo Metropolitanorum post hanc sanctæ & universalis Synodi definitionem eadem audacia vel superbia & contemptu abusus, non per se cum timore Dei & alacritate seu conscientia bona, debita ministeria in propria civitate, sed per suffraganeos Episcopos suos efficere tentaverit, pœnas exsolvat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur, aut deponatur. Verum de hoc Canone ita Cusanus lib. II. de Concordantia cap. 92. *Ecce,* inquit, *si vacare secularibus curis atque dispositionibus est omnino contrarium canonicis præceptis in Metropolitano: quo modo pene omnes à Papa, qui summus Metropolita est, usque quasi ad minimum Metropolitam, canonica præcepta servantur? nonne iste textus vere narrat dispositionem hodiernam? Si igitur reformatio fieri debet in iis quæ fiunt contra canonica præcepta, necesse est secundum illum Canonem amplius illis secularibus curis & dispositionibus non vacare: sed ea quæ curæ animarum ac officio incumbunt, diligenter & alacritere exercere. Unde ne Papa sibi hoc non dictum putet, videat id quod scribit S. Clemens ad Jacobum fratrem Domini,*

quid

quid ad eum dixerat S. Petrus dum eum ordinaret, & sibi ligandi & solvendi potestatem tradidisset, ac exposuisset quo modo ut medicus pro salute sub ditorum illis uti deberet: subjunxitque, in nulla alia occasione inveniri debere mundialis negotii occasione perplexus: dicens, Neque enim judicem aut cognitorem secularium negotiorum hodie te voluit ordinari Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non posses verbo Dei vacare. Ad idem 96. Dist. Can. Cum ad verum, & Can. Duo sunt quippe Imperator Auguste. Ecce negare non potest Papa aut quilibet Pastor, quin ad pascendum verbo & exemplo datus sit, ut Agatho dixit; & in sexta Synodo, quarta actione legitur sic: Væ mihi si negligens fuero. Quis rogo sufficit ad tantam curam spiritualem? nonne si perdifficile est spirituali curæ ad normam satis facere, necessario concedendum est temporalium curam præsidentibus Pastoribus multum obesse? Pluribus enim intentus & pene se mutuo non plane consentientibus quomodo utrumque recte agere potest: cum qui ad utrumque festinet neutrum peragat? Et non est opus circumloqutione: videmus propter commixtionem curarum, spiritualem curam a temporali victam, & pene succubuisse. Et si temporalia ita ad spiritualia conferunt ut sine ipsis subsistere non possint: non est tamen propter hoc cura temporalium spiritualibus humeris alligandæ: ne qui ut spiritualior cæteris, ut Pontifex iter in patriam ostendere habet, mole temporalium graviter pressus, citius cæteris in via deficiat, &c. Quanta autem fuerit cura antiquorum ad prohi-

bendum commixtionem spiritualis & temporalis curæ in clero, vide sanctum Cyprianum ad clerum & plebem de Victore qui Faustinum presbyterum nominavit. Vide totam Dist. 88. Subjicit & hanc vocem Hugonis de sancto Victore in suo sacramentali: *Ecclesia licet fructum terrenæ possessionis in usum accipiat, potestatem tamen exercendæ justitiæ per ecclesiasticas personas aut judicia secularia exercere non potest. potest tamen ministros habere laicas personas, per quos jura & judicia ad terrenam potestatem pertinentia, secundum tenorem legum & debitum juris terreni exerceantur: sic tamen ut qui potestatem habent à Principe terreno se habere cognoscant.* Quam Hugonis Victoriensis sententiam, Bellarmino, Suari & aliis considerandam relinquo, qui potestatem fundendi sanguinis, contra jus divinum & naturale Ecclesiæ arrogant, & in exmplum Inquisitionis Romanæ officium venditant.

Canone xxv statuitur, omnes cum Episcopos tum alios inferiores Clericos qui Photio ad hærent, non recipiendos in Catalogo sacerdotii, priusquam pœnitentiam egerint.

XX. Canonem xxvi solidum exscribam, quo decernitur: *ut Clerici depositi vel qui injuriam passi sunt ab Episcopo suo, possint recurrere ad majores Ecclesiæ Catholicæ principes, hoc est, ad Patriarchas. Placuit & hoc sanctæ Synodo, ut quicumque Presbyter aut Diaconus à proprio Episcopo depositus fuerit propter aliquod crimen, vel si quamlibet injustitiam se pati dixerit, & non acquieverit judicio proprii Episcopi, dicens eum suspectum*

spectum se habere, & vel propter inimicitiam quam erga se tenuerit, vel propter gratiam quam aliis quibusdam præstare voluerit, idcirco in se fuisse tale quid operatum: potestatem habeat ad Metropolitam ipsius provinciæ concurrere, & eam quam putat injustam depositionem vel aliam læsionem denunciare; Metropolita vero ille libenter suscipiat hujuscemodi, & advocet Episcopum qui deposuit, vel alio modo Clericum læsit, & apud se cum aliis etiam Episcopis, negotii faciat examen, ad confirmandum scilicet sine omni suspicione vel destruendum per generalem Synodum, & multorum sententia Clerici depositionem. Similiter etiam Episcopos concurrere ad Patriarchale caput decernimus, qui à Metropolitis suis talia se pertulisse fatentur, ut apud Patriarcham Metropolitas qui sub ipso sunt justam & sine suspicione sententiam, quod movetur negotium accipiat. Insuper etiam nullo modo quisquis Metropolitanorum vel Episcoporum à vicinis Metropolitis vel Episcopis provinciciæ suæ judicetur, licet quædam incurrisse crimina perhibeatur: sed à solo Patriarcha proprio judicetur: cujus sententiam rationabilem & judicium justum ac sine suspicione fore decernimus: eo quod apud eum honorabiliores quique colligantur, ac per hoc ratum & firmum penitus sit, quod ab ipso fuerit judicatum. Si quis autem non acquieverit iis quæ à nobis edita sunt, excommunicatus existat.

Hic Canon unus ex illis est qui contra antiquos Canones Romano favent Pontifici: atque tribunal patriarchale erigit, quod tum de-

demum omnia alia Ecclesiæ tribunalia vel absorpsit, vel penitus oppressit: sicque viam Curiæ Romanæ stravit ad absolutam monarchiam constituendam. Verum partim dissentit, partim consentit Canonibus Nicænis: qui jus commune in omnibus Ecclesiis servari strictissime; atque non modo Presbyteros & minores Clericos, verum etiam Episcopos ipsos à suis Metropolitanis in Synodis provincialibus & locis, ubi delicta commissa erant, judicari decernunt, propter causas & rationes quas in Historia sextæ Synodi Carthaginensis evolvimus. At regula hæc Patrum Synodi VIII solos minores Clericos Episcoporum atque Metropolitanorum suorum judicio: Episcopos autem solis Patriarcharum placitis reservat: sicque jus commune magna ex parte labefactat. Quæ autem causa Adrianum II ad Canonem XVII supra laudatum, eadem & ad hunc meditandum scribendumque impulit, ut à legatis suis proponeretur in Synodo VIII comprobandus. Siquidem Hincmarus Rhemensis tempore Nicolai I Rhotadum Suessionensem, & sub Adriano II Hincmarum Laudunensem Episcopum, congruenter ad disciplinam Canonum Nicænorum & sexti Concilii Carthaginensis, in Synodo provinciali Galliæ canonice judicari curaverat: neque illis ad Sedem Apostolicam appellantibus deferendum ullo modo censuerat; propterea quod ejusmodi appellationes juri communi de-

derogarent, essentque contra Canones. Quocirca ne quid tale dehinc contingeret, hoc Canone XXVI cavetur, quid Canonibus Nicænis jurique communi manifesto repugnat. Proculdubio nullus ab eo tempore extitit Episcopus, qui jugum sui Metropolitani & juris communis repagula non excusserit. Nam vel penitus Synodi provinciales intermissæ; vel si non intermissæ crebris appellationibus ad Romanam Curiam ita excisæ, atque enervatæ sunt, ut ex Episcopo Romano Papa absolutus Ecclesiæ monarcha evaserit. Et hoc primo habebamus observandum. Secundo loco idem Canon absolutam monarchiam Curialium clare profligat, quoniam singuli Episcopi & Metropolitæ suis quique Patriarchis respective & proportionatim, nequaquam vero uni & soli Romano Pontifici submittuntur: tantumdemque juris cæteri Patriarchæ in suos Metropolitas & Episcopos, quantum & Romanus in proprios obtinet. Tertio hinc etiam liquet, tempore octavi Concilii Synodum Sardicam nullo in usu aut pretio fuisse: cum hoc Canone doceamus singulos Metropolitas & Episcopos à propriis Patriarchis, & non ab uno & solo Papa judicari oportere, sicut est Canonibus Sardicis provisorie definitum: qui quidem si tum in usu fuissent, nihil opus erat hoc Canone, qui certe Canones Sardicos labefactat. Quarto, cum Adrianus II. peroptaret hujusmodi Canones in gratiam

Romanæ Sedis præcipue constitui; non est mirabile, illum contra consuetudinem in omnibus aliis generalibus Conciliis, à Vicariis Sedis Romanæ usitatam, vel potius usurpatam, voluisse suos Vicarios interesse Actioni ultimæ hujus Synodi qua Canones conderentur: quia sua res agebatur. Cæterum in aliis Synodis Vicarios Pontificum noluisse Canones approbare, & causam ejus rei supra declaravimus.

Canone XXVII qui ultimus est, statuitur, ne cuiquam Pallio uti liceat præter loca & tempora definita, &c.

XXI. Post lectionem Canonum stans in medio Bahanes Patritius & Præpositus jussu Imperatorum petiit à Sancta Synodo, quid insuper facere deliberaret. Vicarii omnium Sedium Patriarchalium dixerunt, terminum esse ponendum Synodo & summam omnium Actorum omnibus audientibus legendam: quare Metrophanes Smyrnæ, & Cyprianus Metropolita Claudiopolis, legerunt ad hunc modum: *Sancta, magna, & universalis Synodus, quæ per divinam voluntatem & gratiam & sanctionem amicorum Christi ac Deo confirmatorum Imperatorum nostrorum, Basilii & Constantini, congregata est in hac Deo conservanda regia urbe, in famosissimo templo sanctæ & magni nominis Sophiæ, definivit subter annexa*, &c. Porro, omnes definitiones fidei septem præcedentium Conciliorum generalium renovat & inculcat: *atque*

inter

inter alia nominatim anathematizat Theodorum qui fuit Episcopus Pharan & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, & Petrum, impios Præsules Constantinopolitanorum Ecclesiæ, ATQUE CUM EIS HONORIUM ROMÆ, *una cum Syro Alexandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ ac discipulum ejus Stephanum*, &c. *Theodorum Crithinum Iconomachum*, &c. Deinde transeunt ad gesta Photii, declarantque non solo dogmatum orthodoxorum errore homines perdi atque damnari, & Ecclesiam turbari, verum etiam divinorum mandatorum prævaricatione, ut Photio contigit, nam alias erat orthodoxus. *Damnatur autem sicut pervasor atque adulter cum omnibus suis sequacibus, & nequitiæ fautoribus*: quem extrema clausula sic flagellant: *Quia Ecclesiam Christi adulterasti, & populum Domini multis partibus & multis modis scandalizasti & perdidisti: eos autem qui sic se non habent sed illi faventes adhærent, siquidem Episcopi vel Clerici sunt, in perpetuum depositos fore præcipimus: monachos autem seu laicos anathematizamus; quousque à sua seductione atque malitia convertantur.* Porro hinc perspicuum atque indubitatum evadit, Honorium Papam tribus in diversis generalibus Conciliis damnatum hæreseos.

Facta & perlecta definitione Concilii, Basilius Imperator ad hunc modum Patres affatur: *Dicat nunc sancta & universalis Synodus, si omnibus sanctissimis Episcopis concordantibus atque consentientibus, præsens terminus sit depromptus: Oportet enim divina quæque cum universorum consensu*

sensu & consonantia in ecclesiasticis prædicari, & confirmari à collegiis. Sancta Synodus exclamavit: Omnes ita sapimus, omnes ita prædicamus: Omnes concinentes & consentientes prompte subscribimus: hoc est veritatis judicium, hoc est justitiæ decretum: hæc est Canonum expositio: hæc est Ecclesiasticæ ordinationis defensio, hanc Synodum zelator Deus congregavit: sanctissimos Vicarios senioris Romæ & aliarum trium patriarchalium Sedium, ultionum Dominus in idipsum convocavit: Piissimum Imperatorem nostrum & divinitus gubernandum Dominum Deus direxit: nos hæc synodica ligamenta & apostolica, sine ulla evacuatione custodimus, &c. *Multos annos Imperatorum Basilii, Constantini ac Leonis: multos annos Basilii orthodoxi Imperatoris*, &c. *Basilio novo Constantino æterna memoria, novo Theodosio æterna memoria, novo Martiano æterna memoria, novo Justiniano æterna memoria: Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos: Eudoxiæ novæ Judith æterna memoria: novæ Helenæ, novæ Pulcheriæ æterna memoria. Deus conservet imperium vestrum*, &c. *Photio invasori & adultero Constantinopolitanorum Ecclesiæ anathema*, &c. *Adriani B. Papæ Romani, & sanctæ ac universalis Synodi septimæ Nicææ secundo celebratæ, constitutoris æterna memoria: Germani, Tarasii, Nicephori, & Methodii venerabilium Patriarcharum æterna memoria, Nicolai B. Papæ senioris Romæ æterna memoria, propugnatoris veritatis æterna memoria, Adriani B. Papæ Romani multos annos. Theodosii sanctissimi Patriarchæ Hierosolymorum multos annos, Michaëlis*

chaëlis S. Patriarchæ Alexandriæ multos annos: sanctissimorum Vicariorum senioris Romæ, & aliorum patriarchalium Sedium multos annos: sanctæ & magnæ ac universalis octavæ Synodi æterna memoria. Photio & Gregorio Neocæsariensi ac Eulampio triplici funiculo nequitiæ anathema, &c. His autem peractis, iterum Basilius Imperator petiit à Patribus quid eis videretur de iis quæ lecta erant? An bene esset expositus terminus & definitio Concilii? An placeret eis Canonum expositio? An esset aliquid in eorum mentibus ad ambiguam opinionem pertrahens: se autem alloquutionem ad sanctam Synodum fecisse, & si videretur bonum Patribus legeretur: *Sancta & universalis Synodus dixit, quæ pertinent ad utilitatem Ecclesiæ legantur*. Tum Leo Regius Secretarius orationem ad Synodum partim eucharisticam, partim protrepticam legit. Primum enim Imperator gratias agit Patribus quod tantos labores, ut pax Ecclesiæ constitueretur, pertulerint: Deinde pendente & aperta adhuc Synodo omnes monet, si quid habeant dubii vel difficultatis super rebus definitis in Synodo, id libere dicant ut eis satisfiat sive ex ordine Clericorum, sive ex laicis existant: quoniam soluta Synodo, qui decretis contradicere apparuerit, aut non communicaverit juste condemnabitur, & exilio multabitur, ut corruptor, & pestilens, & membrum putridum inutile, & commune corpus violans. Deinceps exhortatur Patres ad

ad ecclesias suas verbo atque exemplo pascendas, & definitionem factam stricte servandam quam suo consensu& concordia sciverunt. Demum illorum reprehendit insaniam, qui ordine naturæ turbato, obliti sepedes esse, oculorum officio fungi volunt in Ecclesia. Quibus perlectis Basilius Imperator dixit: *Dicat nunc quicumque voluerit ex sedentibus in hac sancta & universali Synodo, in quo istorum hæsitet vel ambigat quæ nunc lecta sunt: Sancta Synodus exclamavit, Omnibus placent quæ lecta sunt: omnes eisdem ipsis concordamus: omnes libenter subscribimus, Sanctissimi Vicarii senioris Romæ dixerunt: Quoniam providentia Dei in prosperum finem omnia Ecclesiæ devenerunt negotia; oportet nos & in scriptis manu propria hæc roborare secundum synodicam consequentiam. Unde volumus ut subscribant primitus Christi amatores Imperatores: & deinde secundum ordinem sancta hæc Synodus. Basilius Imperator dixit: Tranquillissimum Imperium nostrum sequutum præcedentes & justissimos Imperatores Constantinum videlicet Magnum, & Theodosium, & Marcianum, ac cæteros vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporum. Sed quoniam postulat præferri nos Sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanctissimorum Vicariorum: edocti enim sumus à Christo vero Deo nostro habere exaltantem humilitatem.* Et post hoc accipiens Donatus S. Episcopus Ostiæ subscripsit in quinque libris, & deinde Stephanus Episcopus Nepæ, &c. Demum post Vicarios Se-

SediumPatriarchalium & IgnatiumConstantinopolitanum Patriarcham similiter Basilius & Constantinus subsignarunt in quinque voluminibus pretiosæ Crucis figuram : Patricii quoque suum præbuerunt sigillatim & ordinatim assensum. Deinde omnes Episcopi subscripserunt in quinque libris, quæ sunt exemplaria quinq; patriarchalibus Sedibus tradita ut in eorum archivis asservarentur. Qui ergo ad hæc animum adjunxerit, facile cognoscet Synodum hanc, sicut & septem præcedentes, vim & robur habuisse non ab imaginaria infallibili monarchia Papæ, cujus omnia judicia synodice & canonice examinantur, sed à communi consensu & subscriptionibus omnium Patrum, sanctorum communionem referentium, juxta regulas aristocratici regiminis. Quod certe Anastasius Bibliothecarius in Præfatione Synodi octavæ, cujus supra meminimus, sic declarat de hac Synodo loquens : U*niversalis est*, ait, *primo quia catholica fides in ea, & sanctæ leges, quæ non solum à sacerdotibus, sed & ab universis Christianis coli debent & venerari, contra hostes earum consona voce defenditur. Deinde quia cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot patriarchales Sedes quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes unius fuerint voluntatis: sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis: inter quas videlicet Sedes, quia Romana*

præ-

praecellit, non immerito visui comparatur : qui profecto cunctis sensibus praeeminet, acutior illis existens, & communionem sicut nullus eorum cum omnibus habens. Haec ille.

XXII. Deinde aliquanto infra dicit, *plane monendum Lectorem, & per futurorum cautela arctius memoriae commendandum, ea esse genuina Acta quae in Graeco codice in Romana Ecclesia scripta reperiuntur, & in Latinitatem translata in archivo ejusdem Ecclesiae recondita comprobantur: quaeque omnium patriarchalium Sedium & ipsorum quoque Imperatorum atque cunctorum Antistitum subscriptionibus roborata & nunc usque signata consistunt*, &c. Qua Anastasii sententia, nulla alia locupletior ad regiminis aristocratici vindicias adferri potest & ad convincendum, tempore Adriani II Papae Patriarcham Constantinopolitanum semper continuasse in sua praerogativa, ut secundus post Vicarios Sedis Romanae sederet : item ad demonstrandum Honorium fuisse Monotheletam, quoniam Acta ab Anastasio laudata indubitatae sunt fidei : quandoquidem ait, ea germana esse quae Ecclesia Romana in Graeco codice asservat & Latinitate à se donata custodiuntur in Archivis Romanae Ecclesiae. At haec ipsa sunt quae in editione Romana & Binii continentur, unde ea exprompsimus : amplioraque sunt in Romana quam in aliis collectionibus Conciliorum. Porro ex Actis hujus Synodi sicut & aliarum praecedentium exsplendescit, quan-

tum

tum Imperatores juris haberent in Synodis generalibus indicendis, atque regendis, quibus tum per ſeſe, cum per Senatum ſuum ad ordinem conſtituendum præſident, eaſque edictis confirmant: quare in omnibus Actionibus dum acclamationes fiunt, primo loco Imperator ponitur, deinde ſuo ordine Sedes Patriarchales ſubſequuntur quod opprime notandum. Cæterum cum rogaretur Imperator ut primus ſubſcriberet, imitatione Conſtantini Magni, Theodoſii, & aliorum piiſſimorum Imperatorum lubenter prærogativam Sedibus Patriarchalibus conceſſit. Et hæc jam collapſa majeſtate Imperii Romani; quid ergo ea florente conſuetum eſſet fieri hinc facile eſt judicare.

XXIII. Hic obiter monendus Lector, quamquam B. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus auctoritate Nicolai I. & Adriani II. in Sedem Conſtantinopolitanam reſtitutus fuiſſet, nihilominus aliquot annis poſt, Joanni VIII. PP. Archiepiſcopatum Bulgariæ Sedi Romanæ adjungere volenti, & eam ob cauſam cenſuras adverſus Ignatium vibranti ſtrenue obſtitiſſe, & Bulgariam retinuiſſe: atque paulo poſt viam univerſæ carnis ingreſſum claruiſſe miraculis, teſte Baronio Tomo x. Annalium ad annum Chriſti 878. *Nam Ignatius quæ juris eſſent ſuæ Eccleſiæ defendere juramento tenebatur obſtrictus, etiam æternæ vitæ diſpendio: non enim aliena retinere, ſed ſua poſſidere* ex

ex possessione Prædecessorum ipse justum putavit; ait Baronius. Verum Ignatio mortuo, Photius ad Episcopatum Constantinopolitanum regendum admissus est: quoniam major pars Episcoporum Orientalis Ecclesiæ Photio adhærebat. Quocirica Imperator Basilius Joanni VIII. Papæ scripsit ut illum ad suam communionem admitteret, quoniam hoc paci Ecclesiæ Constantinopolitanæ valde conduceret. Vide Joannis VIII. PP. 199. 100 & 101. epistolam, qui ad vitandum schisma prudentur Photium recepit: certe in hac Synodo octava vix centum Episcopi adversus Photium sederunt. Jam supra docui, Græcos hoc improbare octavum Concilium, unde initio Actionis sextæ Concilii Ferrariensis sub Eugenio IV in colloquutione Juliani Cardinalis & Marci Episcopi Græciæ, dicitur *quod* Joannes VIII *aliud habuerit Concilium quod apellavit octavum, quo Acta hujus Concilii Octavi improbavit atque Photium restituit*: Hæc enim Marcus Episcopus respondit. Cui Julianus Cardinalis, *Hoc metu vos libero*, inquit: *nam nihil de ipso Concilio octavo scilicet recitabitur*, &c. *nam de octavo Concilo nobis curæ non est*. Hæc ibi. Quæ ostendunt abdicationem Photii factam in hoc octavo Concilio minime probatam ab Orientalibus; qui eam ob rem hoc Concilium octavum respuerunt.

CA-

Caput XIII.

I. *Summa rerum quæ historia octo primorum Conciliorum generalium continetur.*

II. *Earumdem rerum comparatio cum disciplina post decimum seculum introducta: & quanta disciplinæ ecclesiasticæ; regiminis aristocratici, & juris communis conturbatio post occasum Imperii, atque Sedium patriarchalium Orientis eversionem sequuta fuerit.*

III. *De Gregorii* VII. *Dictatibus, quibus summa absoluti regiminis monarchici præscribitur, ad quam Romana Curia ab eo die semper collineavit.*

IV. *Paschalis* II *Decretalis, qua Romano Pontifici absolutam potestatem super omnia Concilia arrogat.*

V. *Quonam tempore hac formula concludendi Synodos introducta fuerit:* Nos sacro approbante *vel* consentiente Concilio decernimus.

I. VErumenimvero ut superioris Historiæ compendium, nobisque gradum faciamus ad referandam Politiæ ecclesiasticæ commutationem, quæ post decimum seculum à Christo introducta est in Ecclesiam: Primum nullus nisi communis sensus expers ambigere potest, quin Imperatores, tanquam Juris Divini, Naturalis & Canonici vindices; atque communes Episcopi externæ disciplinæ, jus habeant cogendi Ecclesiasticos ad Legis Divinæ, Naturalis & Canonicæ exequutionem: hoc que titulo octo prima universalia Concilia indixerint, convocarint, congregarint, & tanquam Præsides atque ordinis publici assertores direxerint, confirmarint, atque finita Synodo Patribus commeatum & facultatem discedendi concesserint. Hoc enim

claret ex Actis indubitatis octo primarium Synodorum generalium: quæ nullis cavillationibus obſcurari aut labefactari queunt.

Secundò patet; eadem octo prima Concilia univerſalia quinque Patriarchis ex æquo indicta ab Imperatoribus: Romano Epiſcopo conſenſum ſuum præbente, juxta regulam eccleſiaſticam cap. 1. hujus libri explicatam.

Tertio, Eccleſiam ariſtocratico regimine & jure communi ad normam Canonum gubernari conſueviſſe: ita ut omnes Epiſcopi in ſolidum ſuas regerent eccleſias in ordine ad regimen ariſtocraticum, Canone v Nicæno conſecratum.

Quarto, cæteros Patriarchas, puta Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum, tantumdem juris in Metropolitas & Epiſcopos ſuarum diœceſium habuiſſe: quantum & Romanum Patriarcham in Metropolitas & Epiſcopos ſuo Patriarchatui ſubjacentes: quibus quidem nihil quicquam præcipere poterant niſi pro Juris Divini, Naturalis & Canonici exequutione: idque etiam in ordine ad regimen Ariſtocraticum: qui omnes Patriarchæ, Metropolitani & Epiſcopi, eorum omnium quæ geſſiſſent rationem reddere tenebantur in Synodo, Canone v Nicæno.

Quinto, novem primis ſeculis, quibus octo univerſalia Concilia habita ſunt, nunquam auditum aut lectum, Romanam Ec-

cleſiam

clesiam alia notione aut significatione sumptam, quam pro singulari & particulari ecclesia atque membro primo Ecclesiæ universalis: sicut & alias Sedes patriarchales: quæ quidem etiam Sedes apostolicæ vocantur, sicut & Romana, quæ duntaxat primatum super alias obtinet: neque solum Papam distributim, sed collectim cum sua provinciali aut patriarchali Synodo significat.

Sexto edocemur, internum Ecclesiæ regimen aut regularium constitutionem penes solos Episcopos atque Presbyteros, qui ecclesiasticam hierarchiam constituunt, habitasse: atque omnia negotia sanctorum cummunione & catholico consensu synodice initio decerni, nullumque Episcopum aut Presbyterum vage, absolute & absque certo ac definito titulo, diœcesi, aut parœcia ordinari consuevisse; omnesque monachos Episcopis subditos fuisse atque ordinis clericalis seminarium extitisse: legendus Canon IV & VI Synodi Chalcedonensis.

Septimo, nullum ad episcopatum aut presbyteratum, nisi sacris cleri & populi electionibus promoveri potuisse; neque cuiquam licitum plura unico possidere beneficia, aut sibi successorem proprio arbitratu deligere, Canone XXIII Antiocheno: adeo ut tum Ecclesiastici potius usufructuarii, imo usuarii duntaxat bonorum ecclesiasticorum quam domini essent, Canone ultimo Antiocheno.

Octavo, exordium atque exitus omnium Conciliorum generalium à literis atque edictis Imperatorum peti consuevisse: quoniam statim initio sacræ literæ Cæsaris pro indictione Concilii editæ legebantur: deinde finita Synodo Patres suppliciter ab Imperatoribus petebant, ut gesta omnia suis edictis atque sigillis confirmarent. Præterea ex apostolica disciplina Actorum 15. consignata, synodales literas partim ad Ecclesias, partim ad Romanum Pontificem mittebant: quibus literis Papam absentem rerum gestarum in Synodo commonefaciebant, ut Ecclesias sui Patriarchatus de Actis facilius informaret, propterea quod pauci aut nulli Episcopi, præter legatos Romani Pontificis, octo primis universalibus Conciliis ex Occidentali Ecclesia interfuerunt.

Nono, Acta Conciliorum ea omni continebant, quæ tum ab ipsis Imperatoribus aut eorumdem senatu qui Synodum dirigebat, tum etiam ab ipsis Patribus dicebantur aut gerebantur in publicis actionibus, quas hodie Sessiones vocant; præter quas Actiones publicas, nullæ aliæ congregationes aut conventus habebantur: sed omnia palam publice & libere dicebantur atque peragebantur: quod autem communi omnium consensione atque suffragio libere decernebatur, pro synodali sententia à Spiritu Sancto dictata habebatur: nnllusque qui audiri vellet, quam-

quam

quam hæreticus, à dicenda & proponenda ſuaſione aut ſententia excludebantur. Si qui autem Epiſcopi vel propter ingraveſcentem ætatem, vel ob aliud impedimentum ad Synodum ſeſe conferre non poſſent, eo quidem Procuratores aut Vicarios ſuos mittebant, qui tam facile à Patribus quam ipſimet Vicarii Sedis Romanæ ad ſententiæ dictionem admittebantur: contra quam factum eſt in Synodo Tridentina.

Decimo, ſi quid forte in Synodis contra Canones geſtum eſſet: qui gravati erant, libellos conteſtatorios de ſuo gravamine palam edebant: ac primum ad Imperatorem tanquam ordinis publici vindicem & communem Epiſcopum exteriorum negotiorum confugiebant, ſuppliciterque ab illo poſtulabant, ut Canones ſervari imperaret, eamque ob rem Synodum indiceret.

II. Cæterum quantam inclinationem & corruptelam hæc ſanctiſſima & apoſtolica diſciplina, cum Eccleſiæ atque Imperii Orientalis ruina poſt decimum ſeculum ſenſerit hiſtoriæ temporum nobis demonſtrant. Siquidem cum Eccleſia Romana aliis Sedibus Patriarchalibus Orientis quaſi libramento quodam æquabili in officio contineretur; tandem illis proſtratis omnia cœpit monarchice peragere, ope præſertim monachorum Benedictinorum Cluniacenſium, &c. quos à poteſtate Epiſcoporum omnino exemit, ac tum de-

mum ipsis Episcopis opposuit ipsosque Imperatores cum Occidentali Imperio funditus excidit. Cujus rei non alium testem quam ipsummet Gregorium VII ordinis Cluniacensis monachum proferre lubet, qui anno Domini 1073 ad Sedem Apostolicam assumptus Synodum ex aliquot Italiæ Episcopis & Abbatibus ordinis S. Benedicti conflavit, in qua HOS XXVII DICTATUS, ut appellat, monarchice statuit, qui lib. II post epistolam 55 ejusdem Gregorii leguntur.

III. 1. Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.

2. Quod solus Papa jure dicatur universalis Romanus Pontifex.

3. Quod ille solus deponere possit Episcopos vel reconciliare.

4. Quod Legatus ejus omnibus Prælatis in Concilio præsit, etiam inferiori gradu constitutus, & adversus eos sententiam definitionis dare possit.

5. Quod Papa absentes deponere possit.

6. Quod non debeamus manere in domibus excommunicatorum à Papa.

7. Quod illi soli liceat pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare: de Canonicis Abbatias facere, & divitem Episcopatum dividere, & duos pauperes unire.

8. Quod solus Papa possit uti Imperialibus insignibus.

9. Quod

9. Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

10. Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.

11. Quod hoc unicum est nomen in mundo.

12. Quod illi liceat Imperatorem deponere.

13. Quod illi liceat ad Sedem ob necessitatem Episcopos transmittere.

14. Quod de omni Ecclesia quemcumque voluerit Clericum valeat ordinare.

15. Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare: & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

16. Quod nulla Synodus absque præcepto ejus debeat generalis vocari.

17. Quod nullum capitulum, nullique libri Canonici habeantur absque ejus auctoritate.

18. Quod sententiæ illius à nullo debeant retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

19. Quod à nemine ipse judicari debeat.

20. Quod nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem.

21. Quod majores causæ uniuscujusque Ecclesiæ ad eam referri debent.

22. Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec scriptura teste in perpetuum errabit.

23. Quod Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus, teste B. Ennodio Episcopo Papiensi, & multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis B. Papæ Symmachi continetur.

24. Quod de illius præcepto & licentia subjectis liceat accusare.

25. Quod absque Synodo possit Episcopos deponere & reconciliare.

26. Quod Catholicus non habeatur qui non concordat S. Romanæ Ecclesiæ.

27. Quod à fidelitate iniquorum subjectos absolvere possit.

Verum, nolo jam in explicanda analysi horum Dictatuum Gregorii VII immorari, tantum dicam, ex eorumdem cum decem superioribus articulis comparatione, promptum cuique esse videre, quantum Ecclesiæ regimen, quod & adfectavit & introduxit Gregorius VII. ab euangelica & apostolica moderatione discrepet. Siquidem, cum ex triplici potestate quam Dominus noster Jesus Christus habuit, *Auctoritatis nimirum, Excellentiæ, & puri ministerii spiritualis; hanc ultimam duntaxat Ecclesiæ contulerit*. Contra Gregorius VII effecit, ut Ecclesia, vel, ut verius dicamus, Romana Curia absoluto atque pure monarchico dominatu cogeret quæcumque Christianis præciperet: adeo ut ab illo tempore omnes Ecclesiæ jugum horum DICTA-

TUUN

TUUM ſubire coactæ fuerint: propterea quod ejuſmodi Dictatus dehinc fuerunt inſtar Inſtructionis & Commentariorum ad quos Curia Romana jugiter noctès atque dies pro aſſerenda infallibili Papæ monarchia collimaret: in eumque finem Legati atque Nuncii ſæpiſſime ad Chriſtianos Principes miſſi. Deinde, ut ſenſim & ſine ſenſu Epiſcopi nativa ſua poteſtate exarmarentur atque memoria regiminis ariſtocratici penitus deleretur, crebro factæ ſunt Privilegiatorum & Mendicantium miſſiones; qui cum ſua privilegia à ſolo Pontifice Romano derivent, in eo etiam uno, tanquam in ipſomet Chriſto, ſummam totius poteſtatis eccleſiaſticæ & religionis communicandæ & conſtituendæ collocarunt: huicque operi, noſtro ſeculo Jeſuitæ (mixtum & biforme, partim ſeculare partim regulare, imo vero ſi cum antiquis conferamus, nec ſeculare nec regulare genus religioſorum) ſummam impoſuerunt manum: adeo ut ſola facultate Presbyterorum ordinandorum excepta, hodie Privilegiati & potiſſimum Jeſuitæ, multo plus colligant auctoritatis quam omnes Ordinarii. Horum autem immoderatis ſtudiis atque immunitatibus Schola Pariſienſis ſtrenue ſemper obſtitit, ut ex variis monimentis quæ in tabulario Facultatis Theologiæ aſſervantur, nec non etiam ex variis Gerſonii opuſculis liquet: tandemque Synodus Conſtantienſis & Baſileenſis indictæ fuerunt, ut aliqua

medicina huic malo fieret; atque disciplina apostolica jusque commune quantum ratio gravitatis temporum pati poterat, velut jure postliminii revocarentur: sed Lateranensis Synodus sub Julio II & Leone X omnes illos eximios & sanctissimos scholæ nobilissimæ conatus subruit, sacris electionibus tanquam impiis & schismaticis obliteratis: atque etiam Regibus & politicis potestatibus sub jugum missis planeque exarmatis, conformiter ad XII & XXVII Dictatus Gregorii VII. Siquidem Jesuitæ non modo docent, Papam habere potestatem Regum abdicandorum ut Gregorius VII, verum etiam & capite puniendorum in officio sacræ Inquisitionis, ut vocant: quod facile colligitur ex lib. Bellarmini adversus Barclajum cap. VII. Controversia Anglicana Becani, & nominatim docetur à Francisco Suare in opere quod inscripsit *Defensio fidei Catholicæ* lib. VI, c. 4. num. 18: idque conformiter ad placita Directorii Inquisitorum de quibus alias disputabitur.

IV. Ut ergo omnes intelligant quales habitæ sint Synodi post Gregorium VII, & quantum operæ Romana Curia in absoluta potestate super alios Episcopos sibi arroganda impenderit, hic adscribam mandatum Paschalis II, qui tertius à Gregorio VII in B. Petri cathedra sedit, fuitque pariter ordinis Cluniacensis Monachus. Ille igitur Titulo de Electione & Electi potestate, cap. Significasti,

nificaſti, ſcribens Archiepiſcopo Panormitano, *Significaſti*, ait, *Reges & regni majores admiratione permotos, quod Pallium ſibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum quod à nobis ſcriptum detulerant exhiberes*, &c. *Ajunt in conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint : cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Hæc ille. Nam Gregorius VII contra conſuetudinem mille atque amplius annis uſitatam in Eccleſia hunc morem introduxit, ut quaſi in rebus ſecularibus atque feudalibus ſacramentum ab Epiſcopis exigeret, cujus formam legimus in ejuſdem epiſtolis relatam in Decretales Titulo de Jurejurando, cap. *Ego N. Epiſcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro. ſanctaque Ramanæ Eccleſiæ, Dominoque meo Papæ C. ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus*, &c. *Papatum ſanctæque Romanæ Eccleſiæ & regulas ſanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines : vocatus ad Synodum veniam niſi præpeditus fuero canonica præpeditione : legatum Apoſtolicæ Sedis quem certum eſſe cognovero in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſingulis neceſſitatibus adjuvabo. Limina Apoſtolorum ſingulis annis aut per me aut per certum nuncium viſitabo, niſi eorum abſolvar licentia. Sic me Deus adjuvet, & hæc*
ſancta

sancta Euangelia. Hinc ergo exploratum redditur, quæ tum esse potuerit libertas Episcoporum in Synodis, cum singulari sacramento Pontifici Romano tanquam absoluto monarchæ adstringantur, ut Papatum S. R. E. id est, Curiæ Romanæ usurpationes defendant. Quæ libertatis Ecclesiæ oppressio multo magis locum habet sacris electionibus abrogatis, quoniam hodie Papa omnes confert dignitates & beneficia ecclesiastica: ita ut hoc stante regimine omnino impossibile videatur liberum haberi Concilium: jam enim Ecclesia non amplius Canonibus & Aristocratico regimine, sed absoluta potestate, vel ut quidam scriptor ait, *Decretis alatis regitur.* Almainus libro de Ecclesiæ auctoritate cap. 7. ad sextum argumentum Cajetoni hanc Paschalis Decretalem objicientis, respondet, *Ejusmodi auctoritatates esse summorum Pontificum qui in pluribus suas nimis extendunt fimbrias, sibique attribuunt quod est Ecclesiæ proprium: & caput* Significasti *esse intelligendum regulariter: ita ut Concilia ordinarie & regulariter legitime congregari nequeant absque auctoritate Papæ congruenter ad totam distinctionem* 17. *Sed postquam semel congregata sunt Papæ auctoritate vel aliter, tum immediate suam auctoritatem habere à Christo non à Papa: & auctoritati huic summum Pontificem subjici, sicut ministrum Dominæ suæ.* Nam Ecclesia domina est, atque sponsa Christi; Papa vero solummodo minister *& paranymphus*

spon-

sponsæ, sicut eum uocat S. Bernardus cap. ult. lib. IV de Consideratione. At Joannes Major Doctor Parisiensis commentariis in caput 18 Matthæi post Gersonium asserit, *Jura Romanorum Pontificum esse reverenter glossanda & interpretanda conformiter ad legem divinam : alias non mereri dici jura. Quod si quis contendere voluerit illa esse vera ut jacent, cum libertate euangelica hæc jura esse negat*, attexit, *caput* Significasti *duas habere partes : prima est, quod Concilia robur accipiant à summo Pontifice & ejus auctoritas est patenter excepta : Dico*, inquit, *quod ad eum spectat convocare Concilium, & ita facit communiter : & sic aliquo modo dat robur Conciliis : quia est causa congregandi Concilii : sicut ad aliquem sensum concedi potest quod Sacerdos det characterem baptismalem, quia ponit requisita ad hoc ut characterem Deus infundat. Etiam Pontificis auctoritas communiter est excepta in Conciliis: quia multa Conciliorum definitiones sunt humanæ, & interdum patiuntur exceptionem & ἐπιείκειαν : & Concilium non potest semper congregari : Ergo rationi consentaneum est habere aliquem qui in illa materia dispenset : ille erit Romanus Pontifex, & hoc satis facit capiti* Significasti. Porro hæc Doctorum scholæ nostræ responsio plane diruit caput *Significasti*, quamquam tamen illa responsio supponat primatum Papæ jure divino esse monarchicum : hoc autem quam verum sit superior historia clare demonstrat.

V. Post Dictatus Gregorii VII. Romani Pon-

Pontifices quas habuerunt Synodos in illis omnia ex privato motu tanquam monarchæ absoluti sub hac formula edixerunt: *Nos sacro approbante*, vel *consentiente Concilio sancimus, decernimus, statuimus*, &c. qua de re legendum Lateranense Concilium sub Innocentio III. Ad hæc autem Cardinalis Cusanus cum attenderet lib. II. de Concordantia cap. 28. graviter dolet, *quod ab Octava Synodo generali quam præcedenti capite explicavimus, Ecclesia nullam talem celebrarit:* id est, in qua omnia Acta diligentissime scriberentur, atque omnibus & singulis Episcopis libertas dicendæ sententiæ sigillatim permitteretur, omniumque vota cum eorumdem syngraphis exscriberentur. Insuper capite VIII. ejusdem libri hæc nominatim refert: *Sequitur juxta subscriptiones Patrum, vigorem statutorum Canonum in Concilio non ex Papa, nec ex capite Concilii, sed ex unico concordanti sensu vigorem habere*, &c. *Et si aliquando reperitur Papam de consilio Concilii hoc statuisse (quod tamen nunquam legitur in antiquis Conciliis) hoc tantum de consilio affirmativo & per quod consensus habebatur, intelligendum est.* Deinde cap. XII. ubi probavit vigorem legis & statutorum à concordantia & consensu subjectionali illorum, qui per eas leges ligantur, manare, subnectit, *in Conciliis Romanum Pontificem in condendis statutis generalibus eam non habere potestatem quam quidam adulatores eidem contribuunt: scilicet quod ipse statuere habeat aliis consulentibus: Non nego*

tamen

tamen Papam ad consultationem respondere, suadere & scribere semper potuisse: sed dico de statutis quæ vim Canonum habent, & decretis quæ ligant universaliter in Ecclesia. An etiam hodie ex longa consuetudine introducta Papa solus universaliter statuere possit pro nunc non examino: tamen dico etiam si hoc posset non est contra propositum nostrum, in quo solum ad hoc tendimus quod Canonum statuendorum auctoritas non solum dependet à Papa, SED A COMMUNI CONSENSU. ET CONTRA HANC CONCLUSIONEM, NULLA PRÆSCRIPTIO VEL CONSUETUDO VALERE POTEST, *sicut nec contra jus divinum & naturale, à quo ista conclusio dependet.* Cardinalis Alliacenus parte III.c.2. libri de Ecclesiæ auctoritate: Item Gersonius de potestate ecclesiastica consideratione x. sub finem (quos libros uterque composuit & recitari fecit in Synodo Constantiensi coram Patribus) disputant, an uni & soli Romano Pontifici facultas definiendi sub hac formula competat: *Nos sacro approbante Concilio damnamus, aut decernimus, &c.* Vel etiam sub hac alia: *Sacrosanctum Concilium damnat, &c.* Quam quæstionem minime inutilem esse, & utramque formam in decretis generalium Conciliorum reperiri Alliacenus demonstrat: *priorem quidem in multis constitutionibus synodalibus. & maxime in juribus novis: Posteriorem vero esse antiquiorem & convenientiorem, ac Theologiæ magis consonam: quia in Actibus Apostolorum auctoritas definiendi attribuitur Concilio & non specialiter*

Pe-

Petro : ubi dicitur : Placuit nobis collectis in unum, &c. *& B.Gregorius* 15. *Dist.Can. Sicut*, ubi dicit *se quatuor Concilia sicut sancti Euangelii quatuor libros venerari* : Causam subdit ; *quia universali consensu constituta sunt.* Unde *videtur sequi quod auctoritas definiendi maxime in materia fidei pertineat ad Concilium generale : & idem dicunt aliqui quando agitur de facto Papæ : quod patet in Conciliis Symmachi ubi dicunt Episcopi, Decernimus, & Synodi auctoritate roboramus ut synodalis ordinatio vigeat : & in superscriptionibus Episcoporum dicitur, his constitutis Synodalibus à nobis probatis atque firmatis, & multa alia ejusmodi.* Aliquanto post Alliacenus adsuit, *Concilium præsente Papa, à quo ipsum Concilium vocatum est, esse velut unum corpus mysticum cujus Papa est caput, & alii membra : & ideo secundum aliquos non solum falsum sed & fatuum esse dicere quod major sit auctoritas partis quam totius corporis mystici. Et ex præmissis secundum aliquos sequi falsam esse quorumdam Juristarum opinionem, dicentium quod in Concilio generali Papa duntaxat judicat, & definit : & si eo non præsente, ibi aliqua statuerentur, Concilium nihil statuere sed suadere & consulere : nec Papam teneri sequi deliberationem vel suasionem Concilii, sed standum videri sententiæ Papæ si contradiceret Ecclesiæ vel Concilio.* Atque hujus assertionis falsitatem ex eo probat Alliacenus, *quod universalis Ecclesia à Christo non à Papa hoc privilegium auctoritatis habet, quod in fide errare non possit : sed talem auctoritatem Papam non habere cum errare*

rare possit in fide. Ergo & in hoc major est auctoritas Concilii vel Ecclesiæ quam Papæ: unde oppositum dicere multis esset hæreticum & ex juribus male intellectis erronee conclusum. Hactenus Cardinalis de Alliaco. Hercle quidem, sicut formula hæc *Sancta Synodus decernit*, regimen aristocraticum & veterem disciplinam commendat & vindicat: pariter hæc alia, quæ seculo Gregorii VII. introducta est: *Nos sacro approbante aut suadente Concilio decernimus*, puram putam monarchiam adstruit: *atque Romanam singularem & particularem Ecclesiam pro tota Ecclesia universali aggerit*, contra quam sub octo primis universalibus Conciliis usitatum fuit. Porro hæc opostolicæ disciplinæ, aristocratici regiminis & juris communis conturbatio quam Gregorius VII. suis dictatibus & rebus gestis in Ecclesiam invexit, tantum indies incrementum fecit, ut tum demum Ecclesia Catholica gravitate malorum atque oppressionis expergefacta, reformandæ Ecclesiæ rationem in capite & in membris in Synodo Constantiensi & Basileensi inierit, ut sequentibus libris demonstrabitur.

FINIS.

APPENDIX

Ad primum Librum Historiæ Conciliorum generalium,

In qua examinantur quæ ab Illustriss. Cardinali Perronio scripta sunt, ad absolutam Papæ monarchiam propugnandam, & anno M. DC. XX. *post illius mortem edita.*



Ex aut circiter annis postquam Librum primum Historiæ Conciliorum generalium scripseram, Responsio Illustrissimi Cardinalis Perronii ad Epistolam Casauboni nomine Serenissimi Regis Britanniæ missam prodiit in lucem, statim atque Cardinalis Perronius diem supremum obiit. Quam lucubrationem magno cum gaudio & fructu perlegi, ea præsertim parte qua de necessitate unitatis Ecclesiæ retinendæ, & communicandi cum Ecclesia Catholica Apostolica & Romana matrice disputat: Item de Missæ sacrificio, septem Sacramentis, atque aliis sanctissimis ritibus & ceremoniis quæ nobis cum primitiva Ecclesia sunt communes. Quod vero ad eam partem attinet in qua de Ecclesiæ Conciliis, regimine pure monarchico Pontificis decertat, fateor me tantum ab illo velle dissentire, quan-

quantum ipsemet à veritate, hoc est à doctrina Christi & Apostolorum Patrumque antiquorum & praxi Ecclesiæ Catholicæ quam passim venditat, recedit; proque ministeriali spirituali potestate, & statu monarchico aristocratica moderatione temperato, regimen monarchicum plane absolutum adstruit. Quocirca in hac Appendice quædam tantum capita memoratæ Responsionis Perronii summatim percurram, ac primo caput XXV libri primi, cui hunc appinxit titulum, *De comparatione Papæ cum aliis Episcopis*: ubi innumera Patrum testimonia accumulat: sed stricte &, ut dicitur, ad rigorem literæ capta, præter S. Petri & Ecclesiæ Romanæ primatum nihil aliud probant. Primatus autem à Christo institutus est in ordine ad regimen aristocraticum, quia neque religio neque communio sanctorum, quæ finis est regiminis Ecclesiæ, absolute aut monarchice Imperator vel cogitur, sed suaviter docetur & stabilitur per actus hierarchicos. Quæ ratio quanquam omnia Perronii argumenta disturbet; nihilominus aliqua sigillatim in quibus prima fronte plus videtur inesse ponderis ad libram veritatis expendemus. Igitur initio hujus capitis celebrem B. Irenæi sententiam defigit, lib. III. cap. 3. adversus hæreses, his conceptam verbis: *Ad ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt un-*

dique fideles. Verum facilis responsio, primo enim alias observavi in explicatione Canonis VI Nicæni hoc dictum ab Irenæo quoniam Roma erat caput mundi, & princeps Metropolium, ac Sedes Imperii Romani. Secundo, cum primatus sit symbolum unitatis Ecclesiæ, & communionis sanctorum quoties veritas atque unitas doctrinæ & traditionis catholicæ certo indaganda est, semper ab Ecclesia Romana matrice tanquam à capite & principe aliarum est auspicandum: unde Petrus Matthæi 16. nomine omnium discipulorum Domino respondet, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Idque ipsum satis docet B. Irenæus: *Nam quia*, inquit, *valde longum esset in traditione Apostolorum ineunda omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ Romanæ Ecclesiæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ & constitutæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*, &c. His ergo de causis B. Athanasius & alii orthodoxi Episcopi Orientis dum ab Arrianis infestarentur, Romam perfugio habuerunt, ut alias ostendimus. Et ipse-

ipsemet Irenæus demonstrat adversus Valentinianos qui sua somnia pro Euangelio venditabant, esse videndum præsertim, quid Ecclesia Romana ab Apostolis per traditionem Catholicam acceperit; de qua traditione legendus Vincentius Lirinensis. Hinc Perronius ad S. Augustinum epistola CLXII contra Donatistas transit: ubi paulo post initium epistolæ Augustinus docet, *in Romana Ecclesia semper apostolicæ cathare viguisse principatum*: quem locum centies & amplius frequentavit, ut patebit ejus opus accurate legentibus. Insuper Prosperi Aquitanici testimonium l. II. c. 16. de vocatione Gentium aggerit, *Roma*, inquit, *per Apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis*. At quo sensu id capiendum sit clare ostendit locus integer Prosperi cujus particulam duntaxat Perronius exhibuit. Nam ubi Prosper docuit *divina providentia Romani Imperii amplitudinem præparatam, ut nationes vocandæ ad unitatem corporis Christi prius jure unius consociarentur imperii*: continenter subjungit: *Quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma, multosque jam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis quam solio potestatis*. Huc usque Prosper, cujus hæc est mens, quia universæ gentes datæ sunt Christo pro hæreditate, ubicumque locorum

habitent, & Euangelium prædicatum est per universum mundum longe lateque extra Imperii Romani terminos, quod Europa & parte tantum Africæ atque Asiæ circumscribebatur : ideo principatum sacerdotii Christi & Romanæ Ecclesiæ illuc pervenisse quo Romani armis suis pertingere non potuerunt. Quarto pergit ad censuras Victoris Papæ adversus Asiæ ecclesias quæ Ephesinæ ecclesiæ subditæ erant, quas toto suo opere sæpe inculcat, de iis autem simul & semel agemus. Contendit vero Irenæum nunquam objecisse Victori quod non præditus esset potestate excommunicandi Asiæ ecclesias, idque argumento esse illum hac munitum auctoritate. Respondeo, quando Ecclesiæ principatus est monarchicus aristocratico regimine temperatus, certum esse, Papam debere Canones aristocratico regimine Conciliorum conditos exequutioni mandare: & ideo Victorem postquam omnes Ecclesiæ Orientis atq; Occidentis, excepta Ephesina Metropoli, statuerunt Pascha die dominico esse celebrandum, quia Canones ecclesiarum particularium Canoni Catholico generalis Concilii æquipollerent, jure meritoque curam suscepisse illos Canones mittendi in rem judicatam erga ecclesias Asiæ. Verumtamen quia censuræ, sicut & leges, non obligant nisi recipiantur, & primatus institutus est in ordine ad regimen aristocraticum, propterea censuras Victoris non ob-

obligasse repugnante aristocratico regimine aliarum Ecclesiarum, quæ non passæ sunt illas mitti in rem judicatam, & merito quidem, quia si in cujusquam potestate minime situm est integram familiam excommunicare ne insontes cum nocentibus implicentur, quanto minus Victor potuit omnes Asiæ ecclesias excommunicare: quæ causa fuit Irenæo Victorem reprehendendi: quod à Perronio non videri mirum est: de hac autem controversia quam alias uberrime tractavi, plura non dicam, neque etiam leptologiis & argutiis Perronii immorabor, quibus Eusebium atque Ruffinum in invidiam rapere conatur, quasi mala fide adversus Victorem agerent: cujus suæ reprehensionis si Perronius in hoc opere memor & amans veritatis fuisset, certe in multis ejus fidem non desideraremus. Quinto vox Tertulliani de Pudicitia statim initio: *Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum*, quando per ironiam & sarcasmum usurpatur, ut ipse Perronius fatetur, non est apta dogmati constituendo: tantum indicat Tertullianum agnovisse primatum Romanæ ecclesiæ. Simili etiam voce usus est Cyprianus initio Concilii Carthaginensis de hæreticis rebaptizandis: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, ut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigat.* Quibus verbis absolutam damnat monarchiam, ostenditque, communionem san-

ctorum & consensum catholicum Ecclesiarum, cogi aut imperari non posse: & continuo antequam Synodo esset decretum de hæreticis non rebaptizandis, neminem eam ob caussam damnari aut excommunicari debuisse, quia Synodus est locus quem Dominus instituit ad controversias definiendas in Euangelio, ideoque pro sufficienti determinatione habetur. Ex quo effectum est ut nullus Quartadecimanorum damnatus fuerit nisi post Nicænam Synodum quæ illam diremit controversiam. Sexto ex eodem Cypriano epistola LII ad Antonianum hanc promit particulam: Decium Imperatorem *multo patientius, & tolerabilius audivisse levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ æmulum sacerdotem.* Cujus clausulæ hunc genuinum esse sensum perhibet, videlicet Decium Imperatorem patientius & tolerabilius audivisse alium à se creari Imperatorem corrivalem, quam sibi Romæ æmulum constitui sacerdotem: quia, inquit, Imperatores erant Pontifices, ideoque gravi & iniquo ferebant animo Pontifices Christianorum Romæ ordinari. Qua subtilitate ostendere vult jamjam illo tempore magnam fuisse Episcoporum Romanorum potentiam, ita ut ipsis Imperatoribus esset formidolosa. Sed nimium intelligendo nihil plane intelligit, & genuinum sensum Cypriani corrumpit, quem facile est cognoscere, si periodus solida Cypriani exhibeatur, ex qua ante-

tece-

tecedentia & consequentia cum regimine syntaxeos colligamus hoc modo : *Quanta in ipso Cornelio suscepto Episcopatu suo virtus, quantum robur animi, qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspicere penitus & laudare debemus : sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore cum Tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur : cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ æmulum sacerdotem. Nonne hic, frater charissime, summo virtutis & fidei testimonio prædicandus est? nonne inter gloriosos confessores & martyres deputandus?* &c. Hactenus Africanæ ecclesiæ lumen, qui in ea epistola totus est ut Antonianum à Novatiani schismate, ad partes Cornelii avocet; Cornelium enim Novatiani fictis criminibus incessebant quasi ad vitandam persequutionem Decii Imperatoris thurificasset idolis, & non legitime ordinatus fuisset : probat autem Cyprianus hos falsos rumores, & meras esse calumnias : contra autem solum Cornelium canonice electum ac semper intrepidum adversus omnes persequutiones & tormenta stetisse : idque adeo ut multo magis esset anxius animi de scelerato schismate Novatiani quam de tyrannide & crudelissimis persequutionibus Decii : hoc enim clausula ista personat, quam solam edidit Perronius : *Cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Princi-*

pem, quam constitui Romæ æmulum sacerdotem. Quandoquidem Novatianus se, sicut & Cornelius, legitimum esse Romanum Episcopum prædicabat. Consule & perpende Lector illam epistolam integram Cypriani ad Antonianum, & miraberis hæc potuisse venire in mentem Perronio quæ dicit; sane Pamelius ejusdem est nobiscum sententiæ. De hoc autem Capite 25 plura dicere supersedeo, tum quia illo nihil aliud quam ecclesiæ Romanæ primatus in ordine ad ministerialem spiritualem potestatem demonstratur: deinde vero quia eadem Patrum testimonia sæpissime alibi iterat Perronius.

Capite XXXIII. libri primi disputat adversus Ruffinum de ecclesiis suburbicariis, & quæstione facti quæstionem juris opprimere nititur, arguendo Ruffinum hæc partim pravo animi affectu erga Romanam ecclesiam, partim ignorantia & temeritate scripsisse ac propter suos errores in fide ab ecclesia Romana excommunicatum fuisse. Certe non negarim Ruffinum multa in Historia ecclesiastica præcedentium temporum suo privato arbitrio dicere ac immutare: verum quod in ecclesiis suburbicariis quidpiam finxerit non inde sequitur: quippe qui ea scriberet quæ tum usui erant in ecclesia Romana, si ecclesias suburbicarias capiamus pro iis quæ erant subjectæ Romano Episcopo tanquam Metropolitæ, non tanquam Patriarchæ, ut lib. 1 Histo-

Historiæ Conciliorum probavimus. At Ruffinum nihil in hac parte contra veritatem commentum, argumento certo est, quod hæc ejus scriptio de ecclesiis suburbicariis omnibus scriptoribus illius ævi innotuerit, & tamen à nemine reprehensus sit quasi perperam ecclesias suburbicarias caperet aut per invidiam aliquid ecclesiæ Romanæ detraheret.

Capite XXXIV. libri primi oppugnat III Canonem Concilii Constantinopolitani & 28 Synodi Chalcedonensis de primatu Sedis Constantinopolitanæ post Romanam ecclesiam: sed nihil novi præter ea quæ à Bellarmino & Baronio proposita sunt adducit, exceptis quibusdam argutis subtilitatibus propter quas non est deserendum vadimonium. Inter alia vero asserit, Episcopos Asiæ repugnasse huic Canoni cum Patres vellent ordinare Episcopum Ephesinæ ecclesiæ metropolitanæ. Tum enim Asiani Episcopi Actione undecima Chalcedonensis Synodi sub finem dixerunt prostrati, *Misereminі nostri: Nos supplicamus sancto Concilio ut misereatur filiorum, ne forte propter nos & nostri filii moriantur ut nobis Clementia condonetur. Nam si Bassiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filii nostri moriuntur, & civitas deperit. Gloriosissimi judices dixerunt: Quoniam secundum voces sancti Concilii neque Bassianus neque Stephanus reverendi Episcopi in Ephesiorum civitate sunt digni: Asiani autem Episcopi hic reperti dicunt, si hic ordinetur alter Episcopus Ephesio-*

phesiorum conturbari civitatem, dicat sancta Synodus ubi volunt Episcopum Ephesinæ sanctissimæ ecclesiæ Canones ordinari. Reverendi Episcopi clamaverunt: in provincia. Diogenes reverendus Episcopus Cyzici dixit, Consuetudo hoc habet, si factus fuisset à Constantinopolitano Episcopo, non habuerunt hæc agi, &c. Leontius reverendus Episcopus Magnesiæ dixit, à S. Timotheo usque nunc viginti septem Episcopi facti omnes in Epheso sunt ordinati; solus Basilius violenter hic factus est, & multæ cædes hinc ortæ sunt. Philippus reverendus Presbyter Constantinopolitanæ S. Ecclesiæ dixit, sanctæ memoriæ Joannes Episcopus Constantinopolitanus quindecim Episcopos deposuit profectus in Asiam & pro eis alios ordinavit, & Memnon hic ordinatus est. Ætius Archidiaconus Constantinopolis dixit, Et Castinus hic ordinatus est, Heraclides & alii cum voluntate nostræ urbis Archiepiscopi ordinati sunt; Casilium similiter beatæ memoriæ Proclus ordinavit; & beatæ memoriæ quidem Theodosius Imperator hujuscemodi ordinationi cooperatus est, & B. memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus. Reverendi Episcopi clamaverunt; Canones obtineant. Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ clamaverunt: Ea quæ sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt teneant.

En locus integer Concilii Chalcedonensis quem Perronius tantum apprehendit per laciniam: inde autem vult convincere Asianos Episcopos & Clerum Constantinopolitanum sibi invicem adversari: quoniam hi primatum ambi-

ambirent pro Ecclesia Constantinopolitana: Asiani veri nollent eidem subjici, quod est falsum. Et Perronius suo more quæsitis argutiis veritatem obscurat. Siquidem Actione undecima & duodecima agebatur tantum de ordinando alio Ephesino Episcopo à Bassiano & Stephano qui contra Canones in Ephesinum episcopatum invaserant: Cumque Asiani Episcopi in magno metu essent ne Synodus Chalcedonensis Ephesinum Episcopum nominaret, idque causam præberet tumultibus & cædibus in ecclesia Ephesina, propterea rogant Patres ne id fiat: unde sapienter cautum est à Synodo, ut Episcopos Ephesinus deligeretur ab omnibus qui pascendi erant, id est, à clero & populo, quod extra provinciam fieri non poterat. Cumque ita electus erat Episcopus dehinc à Constantinopolitano Episcopo confirmabatur : unde Bassianus Actione undecima dicit, se à Proclo Episcopo Constantinopolitano confirmatum, sicut & plurimi alii Asiani Episcopi ab aliis Episcopis confirmati perhibentur in Actis, & S. Joannes Chrysostomus dicitur multos creasse Episcopos in Asia tanquam Metropolita. His & accedit, Legatos Leonis Magni omnia comprobasse quæ Actione XI & XII Chalcedonensi peracta sunt, atque in Actione decima sexta, ubi nominatim Canon XXVIII Chalcedonensis de primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ post Romanam comprobatur

Asia-

Aſianos & Ponti Epiſcopos cum aliis Epiſcopis ſponte Actis ſubſcribere : ex quo inimus Perronium hic mala fide agere.

Capite XXXV ejuſdem libri primi diſſerit de ordine Seſſionum in Synodo Nicæna, & paulo poſt medium oſtendit, Principes & Imperatores Chriſtianos non poſſe abſque ſacrilegio ſibi locum præſidendi vindicare in Concilio : ad cujus rei confirmationem citat ſententiam Oſii Cordubenſis Epiſcopi epiſtola ad Conſtantium Imperatorem, quæ legitur apud. S. Athanaſium Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes his verbis : *Ne te miſceas Imperator Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Deinde ſub finem Epiſtolæ : *Quis enim videat eum in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere judiciis eccleſiaſticis, non merito dicat illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe quæ à Daniele cap. 9. prædicta eſt?* Unde infert præſidentiam Imperatorum non eſſe de eſſentia Concilii ſicut præſidentia Papæ; ſed duntaxat ad bene eſſe & ornamentum Concilii : ideoque Martianum tantummodo præſediſſe ad ordinem conſtituendum & tollendos tumultus qui oriri poſſent inter Patres. De his autem ut ſigillatim dicamus, ſicut verum eſſe confiteor & pluribus à me alias explicatum eſt ex genuinis & authenticis Actis, Imperatores ordini conſilii præſidere : ita contendo, Perronium

ronium longius evagari à proposito, dum Imperatorem Constantium Arrianum, in quem Osius & Athanasius invehuntur, cum Imperatoribus Catholicis, puta Constantino Magno, Martiano, &c. comparat: quoniam Constantius præsidentiam suam ad Symbolum Nicænum evertendum omnino compararat, eamque ob rem Imperium in Ecclesiam effuderat, atque exiliis & aliis persequutionibus Episcopos orthodoxos territabat, vexabat, transportabat, ut eos Symbolo Arrianorum subscribere cogeret, sicut Athanasius & Hilarius docent: idque ipsum est de quo illum Osius arguit. Cæterum in Synodis mere ecclesiastica & regularia ad judicium & decisionem Clericorum tantummodo spectant quoad juris quæstionem: quæstio autem facti potest à laicis tractari, ut sæpe demonstravimus.

Capite XXXVI narrat S. Cyrillum Alexandrinum præsedisse primo Concilio Ephesino, quia erat Vicarius Cœlestini Papæ, de qua re diximus ex veritate Actorum Concilii alibi; quæ Acta Perronius tantum delibat, & passim in hac controversia de Sessionibus Conciliorum, mentionem facit Calvini, ut eos in invidam rapiat qui eam controversam reddunt, quasi ex Calvini commentariis desiperent Ego autem Deum testem & judicem appello. me nihil unquam legisse Calvini, præter A, pologiam quam Francisco I Galliarum Regi nuncupat, & quæcumque de Historia Concilio-

ciliorum ſcripſi, ex Actis indubitatis & catholicis, ex Hiſtoria eccleſiaſtica, ſcriptiſque Patrum hauſiſſe, neque etiam tempus unquam impendiſſe lectioni Centuriatorum, qua iſtos omnes novi eſſe mendaces atque impoſtores, & ab mendacio, dolis malis & cavillationibus, ſicut à letho æque abhorreo. Porro ut hanc præſidentiam Cyrilli quaſi auctoritate Papæ factam muniat, perhibet Dioſcorum ſucceſſorem Cyrilli præſediſſe ſecundo Epheſino Concilio: & literas ſubreptitas à Theodoſio Imperatore obtinuiſſe eo prætextu quod Eutyches recuſaret Julianum legatum Leonis Papæ, qui quamprimum Julianus eſt appulſus Conſtantinopolim, manſiſſet apud Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & ibi pranſus ac muneratus fuiſſet ab eodem Flaviano, qui Eutychem damnaverat, &c. Sed mera hæc eſt cavillatio à non cauſa pro cauſa: cujus ope Perronius illud ipſum præmittit tempore quod longe poſt ſequutum: ſiquidem Julianus legatus Leonis non venit Conſtantinopolim, ut ſeſe ad ſecundam Synodum Epheſinam conferret, niſi longe poſt indictionem & convocationem Concilii factam à Theodoſio, & Dioſcorum ab eodem Theodoſio præſidem Concilii ſecundi Epheſini nominatum: ſiquidem nominatio præſidis ſtatim aut paulo poſt indictionem Concilii facta eſt, ut liquet ex Actis: contra autem Acta docent Julianum legatum Leonis non potuiſ-

potuiſſe tam cito Roma in Græciam advolare poſt indictionem. Deinde recuſatio, quam Eutyches proponit adverſus Julianum legatum Papæ legitur in medio Actorum Epheſini Concilii ſecundi, nec ejuſdem alia extat alibi mentio, unde Perronius ſuum hoc inventum expiſcari, & quod ſequi debet prævertere potuerit. Et quis eum docuit Theodoſium inde anſam captaſſe tribuendi præſidentiam Dioſcoro, quando Acta omnia nullam de illa re mentionem faciunt? quanquam narrent Eutychem poſtulaſſe à Patribus, caverent ne auctoritas vel ſententia legatorum Leonis ei fraudi aut præjudicio eſſe poſſet: *Quia*, inquit, *manſerunt apud religioſiſſimum Flavianum Epiſcopum, & pranſi ſunt apud eum, & munerati ſunt, & omne obſequium eis præbuit. Poſtulo ergo Sanctitatem veſtram ſi quid injuſte ab eis factum fuerit contra me id præjudicium mihi non generare*, &c. Hæc Actione prima Chalcedonenſis Synodi inter Acta ſecundi Concilii Epheſini. Verum ſi cum injuria Leonis Papæ munus præſidendi datum eſt Dioſcoro, ut prætexit Perronius, quare Julianus Epiſcopus & Hilarius Diaconus ejuſdem Leonis legati ea de re non ſunt conqueſti in ſecunda Synodo Epheſina. Quod autem Perronius urget in Synodo Chalcedonenſi ſtatim initio Lucentium dicere, *Neceſſe eſſe Dioſcorum dare rationem judicii ſui, quia cum perſonam judicandi non haberet, præſumpſit & Synodum auſus eſt facere*

 ſine

sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, quod nunquam factum est, &c. Oppono, Concilium ad hanc postulationem legatorum Papæ nihil respondisse, aut statuisse, quia sciret optime jus fuisse Dioscoro præsidendi tanquam tertiæ Sedis Episcopo, cum de judicio Flaviani Episcopi secundæ Sedis ageretur: adi quæ super eam rem observavimus libro priore Historiæ Conciliorum geralium, ubi Dioscori præsidentiam ex Actis confirmavimus atque omnia effugia, quæ parat Perronius, obstruximus: quandoquidem Theodosius Imperator tanquam exequutor Canonum declaravit primatum præsidendi Dioscoro competere.

Capite XXXVII agitur de ordine Sessionum secundi Concilii Ephesini in quo Dioscorus præsedit, ut jam dictum est: quod vero Perronius veritate Actorum consequi aut demonstrare non potest vi & subtilitate ingenii rem detorquendo à recta via & proposito, suadere vult. Certe omnes qui eum præcesserunt argutiis superat, quarum adminiculo rebus dubiis, incertis, aut falsis veri speciem affingere nititur. Quocirca in odium Theodosii qui suo edicto cavit, ut Dioscorus præsideret, objicit ex Cedreno, in Theodosio II, hunc adeo facilem & negligentem fuisse, ut quæcumque ei offerrentur absque examine aut cognitione obsignaret: quam ejus negligentiam Pulcheria soror ut castigaret,

illi

illi literas aliquando obſignandas obtuliſſe, quibus propriam uxorem perpetuæ ſeruituti mancipari volebat. Et hinc infert Perronius, nihil mirum eſſe quod ſuaſione Chryſaphii Eunuchi conceſſerit Dioſcoro, ut in ſecunda Synodo Epheſina præſideret, atque militibus armatis Dioſcorum & Eutychem muniret, &c. Et eam ob cauſam Chryſaphium poſtea exilio multatum à Theodoſio, ubi ejuſdem artes exploratas habuit. Secundo narrat, Liberatum in Breviario cap. 12. dicere, *Quod vices habentes Papæ Leonis aſſidere non paſſi ſunt, eo quod non fuerit data præſeſſio ſanctæ Sedi eorum.* Tertio, nomen Leonis non fuiſſe receptum in Concilio illo. Quarto, legatos Leonis in Synodo Chalcedonenſi cauſari, *quod cum perſonam judicandi non haberet Dioſcorus, præſumpſerit & auſus ſit Synodum facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ quod nunquam licuit, quod nunquam factum eſt*, &c. His autem reſpondeo primum, ad jocularem audaciam Pulcheriæ, nihil eſſe mirabile Theodoſium literas ab amantiſſima ſorore oblatas ejuſque rogatu clauſis oculis obſignaſſe: & permultos reperiri aulicos qui facilitate ingenii Principum, ut Chryſaphius, abutuntur: qui meritas ſuo ſceleri dedit pœnas, non quidem ob munus præſidendi Dioſcoro ſimpliciter impetratum, vel conceſſum, ſed quia infenſus Flaviano & corruptus ab Eutyche, ex Synodo latrocinium publicum conſtituerat: qua re cognita, Theo-

dosius Chrysaphium, ut merebatur, egregie ultus est. Qualis autem & quinam Princeps Theodosius, quamque pius fuerit docent Codex Theodosianus, & Acta ejus divalia pro prima Synodo Ephesina. Item Socrates VII Historiæ cap. 22. Ad secundum de Liberato, oppono quæ memorat congruere quidem Actis Synodi Chalcedonensis, in qua Leo Magnus ejusque legati Lucentius & alii, ubi viderunt Dioscorum suis tragicis actionibus, causam præbuisse graviter de se conquerendi, novum caput accusationis instruxerunt, quod ausus esset præsidere Synodo Ephesinæ. Cæterum Liberatus centum circiter annis post Synodum Chalcedonensem suum Breviarium scripsit. Ad tertium de nomine Leonis non admisso in secunda Synodo Ephesina, Acta docent hoc intelligi de Leonis Magni epistola testanturque lectam non fuisse, verumtamen Julianum atque Hilarium legatos Leonis ibidem sedisse & auditos fuisse, tumque effugisse ex Synodo ubi & Canonibus & Personis vim inferri observarunt. Ad quartum jamjam responsum est capite præcedenti, & de tota historia actum à me in Synodo Chalcedonensi quam Lector consulet. Itaque hic finem imponam controversiis quas Perronius de sessionibus & præsidentiis aliorum Conciliorum movet, quoniam eas suis locis evolvimus.

Capite XLII libri primi de convocatione

Con-

Conciliorum tractat, ac in primis legem Imperatorum opponit, quæ vetabat conventus haberi absque consensu Principis. Secundo narrat duplicem esse Conciliorum convocationem, alteram ecclesiasticam ut Concilia obligent in conscientia & spiritualiter: quæ convocatio dependet à Papa velut à centro unitatis ecclesiasticæ, quippe qui clavem communionis ecclesiasticæ possideat, ut ait cap. 44. ejusdem libri. Altera autem convocatio est politica, ut Scita & Canones Conciliorum exequutioni mandentur: eamque ob rem Patres initio Actorum semper narrant Concilia coacta fuisse ab Imperatoribus, sed non ut obligent in conscientia. Tertio in sexto Concilio Actione 18 in acclamatione ad Imperatorem haberi, Constantinum semper Augustum & Sylvestrum laudabilem magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregasse. Quarto ait, Eusebium Nicomediensem à Julio petiisse post damnatum Athanasium in Synodo Antiochena ut indiceretur Concilium, illudque cum Romæ haberi non potuisset, tandem Sardicæ celebratum: & istuc refert hoc testimonium Julii initio Epistolæ suæ, quæ legitur in secunda Apologia Athanasii: *Vestri legati Macarius Presbyter, & Hesiochus Diaconus nullo modo cum huc venissent pares Presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis convicti refutatique Concilium indici postularunt, literasque & ad Eusebianos, & ad Athanasium*

nasium Alexandriam quibus convocarentur mitti, ut coram omnibus justo judicio de causa cognosci posset. Unde probat Synodum Sardicam quæ Nicæno Concilio successit, convocatam à Julio I. Quarto perhibet Damasum Romam evocasse Episcopos Orientis ad Romanum Concilium ut iidem Episcopi Orientis his verbis testantur apud Theodoretum lib. v. cap. 9. Historiæ: *Jam vero quoniam vos, quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, Concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris sanctissimi literas accersivistis*, &c. Deinde paulo post: *Verum quoniam hoc modo res à plerisque fieri omnino non queat, propterea quod mandato literarum superiore anno à vestra Reverentia post Concilium Aquilejense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus.* Hinc ergo concludit Perronius, Damasum Papam suis literis quas ad Theodosium miserat concurrisse ad convocationem Synodi cum Imperatore, aut potius Imperatorem cum illo. Quinto narrat, Liberatum Archidiaconum Carthaginensem cap. 5. Breviarii asserere, *Quod Cyrillus cum suis habens vices Sedis Apostolicæ Concilio evocato ducentorum Episcoporum Nestorium vocavisset.* Quare infert, primum Concilium Ephesinum cooperante atque urgente Cyrillo indictum. Sexto pergit ad Chalcedonense Concilium, atque Epistolam præambularem.

Valen-

Valentiniani & Marciani ad Leonem PP. exhibet his conceptam verbis *Æternam divinitatem tua Sanctitas deprecetur, ut tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat ab omni scelere pura & intemerata consistens.* Deinde sequenti Epistola Marciani ad eundem Leonem: *Superest ut, si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur*, &c. *Si vero hoc onerosum est, & tua ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua Sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, ut ad quendam definitum locum* UBI NOBIS PLACUERIT *omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni, atque catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.* Quibus atque aliis similibus sententiis concludit Perronius, Leonem Papam cum Imperatoribus suam impendisse operam ad Synodi Chalcedonensis convocationem. Quid opus est oleum impendere in recensendis atque exhibendis aliis testimoniis, quæ coacervat Perronius pro aliis Conciliis, quinto, sexto, septimo &c. Quando superiores ejus rationes tam exigui sunt momenti ut uno verbo dissolvi possint, quippe quæ aliud non probent quam Concilia genera-

ralia absque sententia & consensu Episcopi Romani legitime petito, vel impetrato, haberi non posse, ut illo Canone ecclesiastico perhibetur, cujus meminit Socrates lib. 11. Historiæ cap. 5. Hoc enim & nihil amplius petebat Julius, ut idem Socrates memorat, de qua re cap. 1. lib. 1. Historiæ Conciliorum generalium disputavimus. Quæ ratio Romano Imperio florente vigebat; alia vero nunc inita est post constitutam Papæ absolutam monarchiam. Verum singulas Perronii rationes examinemus: primam autem de conventibus non habendis absque Imperatorum auctoritate & consensione objectam à Bellarmino displosimus cap. 2. libri 1 Historiæ Conciliorum: neque vero probat Imperatorem debere indicere & convocare Synodos, sed tantum Concilia absque permissu & auctoritate illorum congregari non posse: quare alia certa & ineluctabilis causa nobis quærenda est cur congregarent Synodos: nimirum quia soli tum temporis erant præditi potestate cogendi restitantes, propter legem majestatis regiæ: & quia Imperatores, ut Legis divinæ, naturalis & canonicæ exequutores, debent omnes cives ambitu reipublicæ contentos, tum ecclesiasticos cum laicos, adigere ad Legem divinam, naturalem & canonicam servandam: qua in re præsertim consistit protectio Ecclesiæ & Ecclesiasticorum, quam Deus tutandem dedit Principibus Chri-

Christianis *Can. Principes* 23. *quæst.* 5. Et continuo Reges Christiani hodie idem pariter jus habent, convocandi Synodos ut Legem divinam, naturalem & canonicam exequutioni mandent: de jure & iis quæ fieri debent loquor, minime vero de facto & artibus quibus dissensiones feruntur in republica Christiana, ne Principes mutua consensione ad optime regendam disciplinam ecclesiasticam inter sese conspirent, & Concilia singulis decenniis haberi curent, ut Synodo Constantiensi cautum erat. Et hæc de responsione ad primum, qua etiam partim secundo argumento fit satis: ea nimirum parte qua de convocatione politica Conciliorum differitur, quam fuse explicavimus libro Historiæ Conciliorum. Quocirca dicendum superest de convocatione ecclesiastica: eam vero Perronius dum à Papa velut à centro unitatis, & ab eo qui clavem habet communionis pendere memorat: ex ministro Ecclesiæ dominum, & ex primate absolutum monarcham efficere conatur, quod potestati ministeriali spirituali Ecclesiæ penitus repugnat: solus enim Christus est centrum & causa unitatis Ecclesiæ, & clavem habet absolutæ auctoritatis: Papa vero est duntaxat symbolum & figura ejusmodi unitatis, & primus ministrorum Christi & Ecclesiæ; unde tantum conditionaliter claudit & aperit, causa adsit justa canonice claudendi atque aperiendi. Enimvero stat ali-

quem Papæ contradicere & esse de Ecclesia, unde Paulus in faciem restitit Petro 2. ad Galatas, & S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus Joanni VIII Papæ, multique alii. Neque vero causa formalis, cur Concilia spiritualiter obligent in conscientia, nascitur ab indictione aut convocatione Papæ, sed à catholico consensu & communione generali sanctorum, cui Papam velut primatem suam symbolam & contesserationem ante alios conferre oportet: unde ostendimus absque ejus consensu Concilia haberi non posse: quæ quidem etiam casu & fortuito congregari possibile est, hacque ratione non minus obligarent quam si consulto indicta & convocata essent consensu Papæ interveniente. Tertio communis est sententia Philosophorum & Theologorum, ea quæ oratorie & per excessum sermonis usurpantur, fidem exiguam mereri: quare multo minus inservire possunt dogmatibus constituendis quæ hic statuuntur à Perronio. Qua igitur fide locum ex sermone acclamatorio ad Imperatorem Sessione 18 Concilii sexti edere potuit, ut probaret Sylvestrum PP. Nicænum convocasse Concilium? quando nullum genus orationis magis hyperbolicum proferri potest orationibus prosphoneticis, quæ in conclusione Synodorum certatim eduntur à Patribus, ut Acta legentibus patet. Cæterum fateor Sylvestrum consensum suum habendo Concilio Nicæno

præ-

præbuisse, & Episcopos atque Metropolitas sui patriarchatus convocasse ad Concilium, & hoc sensu veram esse illam vocem acclamatoriam : minime vero ad mentem Perronii. Qua responsione omnibus aliis ejus argumentis fit satis : de indictione Sardici Concilii in ejusdem Historia diximus ex Actorum veritate. Quod autem Perronius narrat, Eusebianos à Julio Papa petiisse ut convocaretur Concilium, hoc nihil aliud sonat, quam ut Julius curaret & procuraret apud Imperatorem Constantem & Constantium fratres, Concilium convocari ut Sardicæ tandem coactum est. Quarto, nihil opus est immorari in particula epistolæ Patrum Orientalium ad Damasum Papam explicanda : quando ejusdem integram analysim in Historia primi Concilii Constantinopolitani exhibuimus; & Perronius solummodo probat concursum Papæ cum Imperatore Theodosio : qua autem id ratione sit capiendum ample demonstravimus. Quinto, quæ à Liberato memorantur, certe Actis authenticis primæ Synodi Ephesinæ repugnant, etiam secundum editionem Conciliorum Romæ factam, quod nemo negare potest, quare nulla hic Liberato habenda fides. Sexto, fateor Leonem magnum suam impendisse operam in convocandis Episcopis sui patriarchatus, ut de Sylvestro Papa diximus : at Concilium generale ubique terrarum & gentium indixisse, aut omnes

omnes Orientis & Occidentis Episcopos convocasse pernego, idemque est judicium de aliis Conciliis respective ad alios Pontifices, ne hic sim in re clarissima profusior.

Capite XLIII manum conserit cum adversariis super Appellationibus ad Sedem Apostolicam, nec antiquius testimonium quam Valentiniani Imperatoris profert in præambulari epistola Chalcedonensis Concilii, cujus hæc est Inscriptio: *Sacræ literæ tam à Domino nostro Valentiniano, quam à divinæ memoriæ Placidia, nec non & Eudoxia Augustis, ad Theodosium divinæ memoriæ, ut juberet in partibus Italiæ Concilium celebrari*, &c. Narrat autem Valentinianus cum Romam advenisset, *se à Romano Episcopo, & ab aliis cum eo ex diversis congregatis rogatum esse scribere Theodosio de fide, quæ, cum sit conservatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos à nostris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & sacerdotibus judicare, Domine sanctissime, Pater & venerabilis Imperator. Hac enim gratia secundum solennitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit. Propter contentionem quæ orta est de fide. Huic itaque postulanti & conjuranti salutem nostram*

com-

communem annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam omni præjudicio submoto, à principio omnem causam quæ vertitur, solicita probatione cognoscens sententiam ferat, quam fides & ratio veræ divinitatis expostulat, &c. En locus integer cujus tantummodo surculum defregit Perronius. Secundo objicit, Senatores Chalcedonensis Synodi Actione 1. paulo post initium dicere, Theodoretum Cyri Episcopum restitutum fuisse in Episcopatu à Leone Magno PP. eamque ob causam debere esse participem Concilii more aliorum Episcoporum. Hinc autem ansam captat illos reprehendendi qui persuadere volunt, restitutionem quam Papa faciebat de Episcopis à Synodo exauctoratis esse solummodo declarationem, qua significaret se censere ut in integrum restituerentur. Quod si ita esset, negotia Ecclesiæ nullum unquam finem sortita essent, *Quis hoc ferat glossema*, inquit, *scilicet Julium Papam dum Athanasium atque alios Episcopos orthodoxos Orientis restituit, in ea tantum opinione fuisse ut restituerentur, ac Sedes suas recuperarent?* & ita de aliis. Tertio objicit Cyprianum Epistola 67. ad Stephanum Papam contra Martianum Arelatensem Episcopum, qui hæresim Novatiani sequebatur, ita scribere Stephano: *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Martiano alius*

alius in locum ejus substituatur, &c. Quarto objicit. *cum Eusebiani de criminibus quæ falso contra Athanasium confinxerant Julium Papam certiorem fecissent per literas: hunc Ecclesiæ Canonem sequutum, & illos jussisse venire Romam & divinum Athanasium quo pro se in judicio ipse responderet, vocavisse*, teste Theodoreto lib. II, cap. 4. & Sozomeno lib. III, cap. 6. *Cum Episcopus Romanus Eusebianorum criminationes intellexisset, & omnes fidei Concilii Nicæni consentientes reperisset, Athanasium scilicet, Paulum Constantinopolitanum, & alios, in communionem recepit. Ac cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit scripsitque ad Episcopos Orientis eosque incusavit, quod inconsulto eo de hisce viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent, cum decretis Concilii Nicæni stare nollent. Deditque mandatum ut quidam illorum omnium omnino ad diem constitutum accederent perspicue declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam justamque esse. Quinetiam minatus est, se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi novis rebus studere desisterent. Athanasius autem & Paulus ad suas Sedes revertuntur, literasque Julii Episcopis Orientis mittunt.* Hæc sunt verba Sozomeni, non autem, ut scribit Perronius, quod Sedes suas recuperarint quia Athanasius nunquam est absolute restitutus ante Sardicum Concilium. Quinto asserit Concilium magnum Sardicum sicut à B. Athanasio vocatur convertisse disciplinam appellationum in legem scriptam,

ptam, quia ſcivit, *Ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum qui ſunt in vicinia, & dicat rurſum ſibi reſponſionis negotium competere, non prius in cathedram alius ſubſtituatur quam Romanus Epiſcopus cauſa cognita ſententiam tulerit.* Sexto objicit, Urſacium & Valentem infeſtiſſimos adverſarios Athanaſii *cum poſt Synodum Sardicenſem viderentur à communione ſecreti, coram poſitos, à Julio Romanæ urbis Epiſcopo veniam popoſciſſe quod innoxium condemnaſſent, meritoque eum ſententia Concilii Sardicenſis abſolutum profeſſos eſſet.* En integer locus Severi Sulpitii lib. 11 Hiſtoriæ ſacræ. Septimo narrat, Liberium Papam reſtituiſſe Enſtathium Sebaſtæ Epiſcopum, qui in Concilio Meletino orthodoxo depoſitus fuerat, & receptum fuiſſe à Concilio Tyaneo, quam primum literas Liberii Papæ Synodo Tyaneæ propoſuit, auctore S. Baſilio epiſtola 74. Octavo Patres primæ Synodi Epheſinæ poſt excommunicatum & depoſitum Joannem Antiochenum Patriarcham, illum judicio Cœleſtini reſervaſſe, ultimo judicandum. Nono Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, quoniam Epiſcopos in Galliis abſque licentia Leonis Magni ordinaverat, male multatum fuiſſe. Decimo in Synodo Chalcedonenſi Legatos Leonis Papæ dicere, *Apoſtolicam Sedem veniam iis dare qui in Pſendo-ſynodo Epheſina Dioſcoro adhæſerant, de iis quæ non voluntarie ibidem ab illis geſta erant, quique hactenus permanſerant obedientes S. Archie-*

chiepiscopo Leoni, & universali Concilio. Hujusque rei gratia in sua communione eos sicut confideles suscepisse: propria sunt verba, quæ leguntur Actione III ante medium.

Jam super est his sigillatim respondeamus. Quod ad primum, ex clausula integra epistolæ Valentiniani quam protulimus, liquet eandem Epistolam scriptam ab Imperatore Valentiniano rogatu Leonis Papæ: & eisdem literis Valentinianum inseruisse quicquid lubitum est Leoni; sicut mos est eorum qui literas parvi sigilli Regis impetrant in Franciæ Regno, curare ut in eas concipiatur, quicquid putant ad suæ causæ præjudicium conducere. Et ita patet totas ex mente Leonis Papæ conscriptas. Unde quando hic dicitur Flavianum appellasse Leonem, perinde est, ac si ipsemet Leo hoc genus testimonii daret in sua causa: quod in hac parte examinari debet secundum disciplinam illo tempore usitatam, de qua initio Historiæ Concilii Chalcedonensis numero VIII diximus, & quo sensu Appellatio Flaviani capienda sit ostendimus. Addo insuper, Imperatorem conceptis verbis scribere, *ejusmodi appellationem factam secundum solennitatem Conciliorum per libellos*, contestatorios scilicet, ut eos appellant. Certe ne quidem Leonis nomen scriptum in illa Flaviani appellatione in actis Chalcedonensis Synodi legitur: siquidem Flavianus tantummodo hac formula adversus Dio-

Dioſcori ſententiam uſus eſt APPELLO A TE: quare præter rationem, canones, & veritatem Actorum id ad unum Leonem Magnum referri non debet, niſi Leonem conjunctim cum ampliore Concilio, ad quod Flavianus provocabat concipiamus. Verum aliud dignum notatione occurrit in hac Valentiniani Epiſtola hac conceptum clauſula: *Quatenus beatiſſimus Romanæ civitatis Epiſcopus, cui principatum ſacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat*, &c. Quæ clauſula monarchiam abſolutam quam Perronius tuetur, minime redolet, docetque *antiquitatem contuliſſe principatum ſacerdotii ſuper omnes Romanæ civitatis Epiſcopo*. At quis hodie ita loqui auderet, quin continuo igni tanquam hæreticus uſtulandus addiceretur? Quod ſpectat ad Theodoreti reſtitutionem nihil habet hic Perronius cui non abunde ſatisfactum ſit à me in Hiſtoria Synodi Chalcedonenſis, itaque ne actum agere videar illuc Lectorem remitto. Sed, inquit, niſi Papa præditus ſit abſoluta poteſtate reſtituendi Epiſcopos in integrum, Eccleſiæ negotia nullum unquam finem atque exitum nanciſcentur: verum eſt hodie, poſtquam celebratio Conciliorum intermortua jacet: falſum autem erat antiquitus dum Canones & Concilia regnarant, unde non legimus Athanaſium aut alios Epiſcopos ſolo mandato Papæ abſque Con-

ciliorum celebratione fuisse restitutos, quicquid cavilletur Perronius. Porro tantum abest ut objectio petita ex Cypriani epistola 67 ad Stephanum Papam, de Martiano Novatiano Episcopo illi gratificetur, cum potius supinam negligentiam Stephani culpet, quod monitus ab Galliæ Episcopis qui Martiano adversabantur, nihil opis conferret: unde factum est, ut Faustinus Lugdunensis Episcopus semel atque iterum coactus fuerit scribere Cypriano transmare, ut inde auxilium haberet, eumque exstimularet ad Stephanum Papam evigilandum, ut Galliæ Episcopis jamjam satis ad eam rem paratis scriberet, quatenus exauctorato Martiano alium ab illo omnium consensu in ejus locum substituerent; cum enim hæc in Provincia agerentur, quæ affinis est Italiæ, turpe erat Stephanum huic caussæ moras nectere postquam esset certior factus periculi. Merito autem Galliæ Episcopi qui Patriarchatui Papæ subditi erant ejusdem mandatum super Martiani abdicatione expectabant. Ad quartum de Eusebianis & Julio Papa respondeo, Epscopos non absoluta Julii auctoritate sed Canonibus & Synodis fuisse restitutos, ut probavimus in Historia Concilii Sardici ubi etiam de literis Julii & Eusebianorum quidnam esset tenendum, & quisnam sit genuinus sensus Canonum Sardicorum notavimus : & ita quinto satisdatur argumento. Ad sextum, quid mirum

rum est Ursacium & Valentem Arrianos vi disciplinæ ecclesiasticæ prostratos & à communione secretos veniam poposcisse à Julio Papa & Athanasio post Synodum Sardicam ut communioni admitterentur? Certe hoc non absolutam potestatem Julii, sed vim disciplinæ illorum temporum, & regimen Canonum arguit: minime vero quæ sequuntur de Eustathio Sebastæ Episcopo, mirorque Perronium hoc potuisse proferre exemplum quod magno est dedecori Liberio, & ecclesiæ Romanæ, omniaque juris & canonum repagula effracta indicat ab Occidentalibus vel Transmarinis, ut eos S. Basilius nominat. Quod ut cognoscatur, sciendum, Orientalem Ecclesiam à qua Evangelium regni cœlorum egressum est in totum orbem terrarum ejus rei odio ab hoste generis humani graviter afflictam, & divisam fuisse partim apertorum, partim occultorum Arrianorum aliorumque hæreticorum insidiis: quorum aperti non tantopere nocebant quam occulti, qui suum venenum spargebant ope suæ communionis quam aliis affricabant: cumque Episcopi Orientis orthodoxi eos cogere vellent in ordinem, & sua communione privarent, illos calumniis incessebant, obtendentes hoc ab illis fieri propter occultas simultates, & dissidia quæ cum eis intercedebant, eamque ob rem convolabant Romam, ubi sine discrimine communionis & causa non cognita, ad com-

munionis & causa non cognita, ad communionem admittebantur, prætextu quod formulam orthodoxæ fidei subscripsissent, dehinc vero cum literis communicatoriis remittebantur in Orientem & miris præstigiis vocum, atque æquivocationum, ut solenne est Arrianis, fidei à se subscriptæ formulam illudebant, & Arrianismum aliasque hæreses propagabant. Ita ut orthodoxis nihil præter gemitus, lacrymas & planctus superesset. Quocirca. S. Basilius suam & aliorum conditionem frequenter dolet, præsertim epistola 10, 51, 59, 70, 74 & 77. quæriturque de Occidentalibus quod neque veritatem status Ecclesiæ Orientalis cognoscant, neque cognoscant, neque cognoscere sustineant, tantum abest ut afflictionibus illorum compatiantur, aut mederi velint: tamen de illis palam & aperte non audebant conqueri, ne gravius nocerent: imo omni via & ratione illorum tanquam procul à periculis remotorum amicitiam sibi literis conciliare nitebantur, ut darent operam quatenus innotesceret Orientis Ecclesiæ perturbatio, confusioque Imperatori in Occidente degenti: sed nihil responsi super ea re accipiebant: tandem vero cum aliquot Presbyteros misissent Romam, contigit ut unas literas acciperent ab Occidentalibus, quibus S. Basilius epistola 74 amantissime respondet, & nefandissima gesta istius Eustathii Sebastæ Episcopi, cujus meminit

minit Perronius, ita enarrat, *Hic olim institutus ab Arrio*, inquit Basilius, *impias adversus unigenitum Dei blasphamias struxit, sectator Arrii, & inter selectissimos discipulos connumeratus fuit: & à beatissimo Hermogene Cæsareæ Episcopo propter impiam opinionem condemnatus, confessionem illi obtulit sanæ fidei, atque ita manus impositionem ab ipso obtinuit. Sed mortuo Hermogene ad Eusebium Constantinopolim sese contulit, qui impii Arrii dogma tuetur: inde post quibusdam de causis pulsus ad patriam sese recepit, ubi denuo purgationem erroris obtulit, sed celata mentis impietate, æquivocationibus & verborum rectitudine. Mox statim atque adeptus est episcopatum Sebastæ anathematismum contra* Homousion *in Synodo Ancyræ habita scripsit; & hinc Seleuciam profectus cum suis similibus symbolum Nicænum damnavit. Constantinopoli vero iterum ad ea quæ ab hæreticis proposita sunt consensit. Atque ita ejectus episcopatu; propterea, quod jam in Meletina Synodo depositus esset, viam sibi ipsi per quam restitueretur excogitavit, eam videlicet, ut Romam proficisceretur. Quæ vero sint illi à beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit nobis clam est: nisi quod Epistolam attulit per quam restitueretur: eam ubi Tyanæ Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est, & fidem in quam receptus est depopulatur, cumque illis facit qui Homousion anathemate percellunt. Quoniam igitur istius vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis, fiducia quam vos* (Occidentales scilicet) *dedistis ad*

subversionem multorum usus est, necesse est ut istinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesiis quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit : simul vero adjiciatur quo modo jam immutata sententia gratiam à Patribus qui tum erant, irritam reddat, &c.

Eat jam nunc Perronius, & sua absolutæ potestatis Papæ monimenta nobis venditet; non enim quæritur quid agatur Romæ, sed quid agi debeat, ut quidam Jurisconsultus olim dicebat: hoc est, an vivatur secundum Canones. Cæterum epistolæ communicatoriæ quas isti profugi à Romanis Episcopis impetrabant, declarabant illos esse ad communionem ecclesiæ Romanæ admissos tanquam orthodoxos, & consequenter nihil esse obstaculi quo minus consequerentur gradum unde erant dejecti, quod judicium inauditis patribus datum erat. Octavo, quod ait Joannem Antiochenum judicio Cælestini Papæ reservatum, hoc non potest colligi ex verbis æquivocis Concilii Ephesini quæ hic abscribam, *Verum quo Joannis temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam justissime legitimeque subivisset, pietatis tuæ judicio hoc reservavimus.* Neque Græca quæ citat adversarius aliter sonant. Accedit, istam reservationem fieri non potuisse absque Imperatoris imperio, ut observavimus in Historia primæ Synodi Ephesinæ. Ad nonum de Hilario Arelatensi Primate vide quæ lucubravimus in Historia quintæ Sy-

Synodi generalis : quandoquidem primatus ecclesiæ Arelatensis contra Valentiniani edictum & conatus Leonis Magni inveteravit. Decima objectio spectat ad Canonum exequutionem quæ Romano Pontifici tanquam Principi ministrorum Dei competit : unde passim Actione III Patres clamant, ut secundum regulas Dioscorus, Eutyches, & eorum asseclæ judicentur. Porro solenne erat Patribus eos qui deliquerant circumscribere finibus communionis suæ civitatis, aut provinciæ, ut de Meletio docuimus in Historia Synodi Nicænæ, ubi docetur quidnam sit contentum esse communione suæ Ecclesiæ; siquidem Patres Nicæni decernunt, ut Meletius in propria sua civitate remaneat, nec habeat potestatem quemquam ad aliquod munus ecclesiasticum deligendi, vel in aliena civitate aut regione ejus rei gratia commorandi, sed ut solum dignitatis & officii nomen retineat : quæ mulcta aliis proportionatim secundum delicti modum præscribebatur, ejusque idem Leo Papa epistola 38 ad Anatolium meminit conformiter ad ea quæ ejus legati in Synodo Chalcedonensi Actione III dixerant. Certe in quinta Synodo Carthaginensi Canone x & XIII statuitur ut Episcopi vel Clerici qui in certos casus impegerint, à cæterorum communione, excepta plebe sua, sejungantur : quos Canones Gratianus in suam conjecit Collectionem, dist. 58. *Can. Si*

quis de Alterius. Hoc genere mulctæ Patres Ecclesiæ Africanæ usi sunt erga Antonium Fussalensem Episcopum, ut liquet ex Augustino epistola 261 ad Cœlestinum Papam. Et ita, claret legatos Leonis in Synodo Chalcedonensi meros fuisse exequutores Canonum, & disciplinæ ecclesiasticæ.

Præter superiora insuper obtrudit Perronius in epistola synodica quam Patres Chalcedonenses miserunt ad S. Leonem Papam hæc nominatim legi, scilicet: *Quod Dioscorus Eutychem pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innoxium statuerit, & dignitatem quæ illi ablata fuerat à Leonis sanctitate, eidem Eutychi restituerit*: quæ synodica epistola extat sub finem III Actionis Synodi Chalcedonensis. Adnectit quoque Joannem Talain Patriarcham Alexandrinum postquam depositus est appellavisse Romam ad Simplicium Papam, ac Petrum Mongum qui patriarchatum Alexandrinum invaserat depositum à Felice successore Simplicii cum Acacio Constantinopolitano Episcopo, quem dicit hæreticum fuisse, &c. Sed quod spectat ad Eutychis damnationem, & abdicationem, primum facta est in Constantinopolitana Synodo privata sub Flaviano, ut Acta demonstrant, deinde à Leone corroborata, quare nihil mirum est ei soli tribui quod factum est synodice, sicut multa tribuuntur ducibus militaribus quæ eis cum toto exercitu communia sunt. Certe Flavianus

Eu-

Eutychem damnarat priusquam Leo Papa quicquam de ejusmodi controversia audivisset, ut constat ex ejusdem Leonis epistola septima ad Theodosium. Ex quo patet quæ habentur in relatione synodica Partum Chalcedonensis Concilii non stricte ad literam sed cum aliquo glossemate intelligi oportere, ut etiam observavimus in Historia Concilii Chalcedonensis. Transeo ad Joannis Talajæ Patriarchæ Alexandrini & Acacii Constantinopolitani Historiam, quæ ejusmodi est, ut justum librum exposcat, nunquam autem Acacius hæreticus, neque fautor hæreticorum formaliter fuit, sed pacis Ecclesiæ valde amans. [In-clinante autem Romano Imperio, & potentia Romanorum Pontificum magna capiente incrementa, cum Imperatores jussa sua efficaciter exequi non possent, Pontifices Romani illos qui institutis & mandatis suis non obtemperarent, censuris percellebant & exauctorabant, ut factum est adversus Acacium quia jura & auctoritatem suæ ecclesiæ tueretur: verumtamen semper à toto Oriente Acacius cultus & pro Episcopo Constantinopolitano habitus fuit, quicquid Romæ in eum sciscceretur. Heu sicut Seneca hoc proverbium commune explicans, *tot servi, tot hostes*, recte dicit non hostes esse, sed duricie dominorum tales effici: ita certo dicere possumus desiderium absoluti dominatus multorum Pontific. Roman. permultos nominetenus hæreticos & schismati-

cos fecisse aut censuisse, qui revera nunquam tales fuerunt. Si Deus nobis otia fecerit, hanc Historiam ex Actis authenticis & indubitatis conscribemus, ut pateat cuinam schismatis Græcorum culpa sit adscribenda: hoc enim valde interest ex veris cognoscere ad Historiæ ecclesiasticæ notitiam.

Capite XLIV disputat de oppositione quam Sanctus Irenæus Victori Papæ objecit propter censuras irrogatas adversus Ephesinam ecclesiam: de qua re dixi initio hujus Appendicis. Estque obiter monendus Lector, Perronium quia in hoc opere famam multæ lectionis & eruditionis aucupatur, multa, quæ aut sunt præter oleas, aut levissimi momenti, refercire & aggerere: quod ab illo de industria factum arbitror, ut hac via eos qui animum ad ei respondendum inducerent, à scribendo absterreret: cum tantam molem allegationum & testimoniorum sibi exscindendam, & libros elephantinos scribendos esse cernerent.

Capite XLV oppositiones, quæ ex Sancto Cypriano eliciuntur, examinat: & primo *de nomine fratris*, quo Papam Cyprianus appellat: item *de Coëpiscopi, Collegæ & Comministri appellatione*: aitque hæc ab antiquis usurpari non ad enervandam superioritatem regiminis, sed ad designandam societatem ministerii, &c. hoc autem lubenter assentior Perronio, si modo per superioritatem regiminis primatum in ordine ad regimen aristocraticum non absolutam

tam monarchiam designet. Secundo, dicit Cyprianum epistola 68 ad Cornelium, ubi de Basilide Episcopo Hispaniæ loquitur, qui ab Hispaniæ Episcopis fuerat depositus, eo quod lapsus fuisset in persequutione Decii; non reprehendere Cornelium quia Basilidem ad suam communionem admisisset: sed duntaxat Basilidem criminari quoniam obrepsisset & imposuisset fraudulenter Cornelio, &c. At rependo istam apertam fraudis & versutiæ Basilidis, esse obliquam Cornelii correptionem: quia dato ad mentem Perronii & Curiæ Romanæ, Cornelium fuisse judicem & potuisse integrum restituere Basilidem; saltem omnia jura divina & humana clamant, id absque causæ cognitione & inauditis Episcopis Hispaniæ fieri non debuisse: eademque hic est ratio querelæ Cypriani & S. Basilii supra cap. XLIII. quod Romæ sine ulla discretione, & causæ cognitione, homines admitterentur ad communionem: sic certe innatum est judicibus fiscalibus aquam ad suas moletrinas derivare, ut suam potentiam & commoda augeant: qua ratione Curia Romana ad eam quam videmus hodie speciem suum dominatum ex omnium ecclesiarum lacrymis & spoliis architectata est. Tertio, quia Cyprianus epistola 55 ad Cornelium, contendit crimina iis in locis ubi orta sunt esse decidenda: apponit Perronius hoc intelligi de caussis minoribus & non communibus, de quibus cap. 62

Con-

Concilii Africani. Idque interpretatur de causis spectantibus ad mores minorum Clericorum regendos, puta Presbyterorum, Diaconorum, &c. Nam, inquit Fortunatus, de quo queritur Cyprianus, Presbyter erat Carthaginensis, quem excommunicaverat ob sua crimina. Causas majores & communes vocat causas fidei, sacramentorum, item rituum & consuetudinum generalium Ecclesiæ, aut cum de Episcopis deponendis agebatur: idque auctoritate Augustini confirmat epistola 162. in causa Cæciliani Carthaginensis Episcopi; quem demonstrat potuisse judicari ab Episcopo Romano his verbis: *Neque enim de presbyteris aut diaconis aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possunt aliorum collegarum judicio, præsertim apostolicarum ecclesiarum, causam suam integram reservare: ubi contra eos sententiæ dictæ in absentes nullo modo aliquid valerent, quando eorum judicium non primo aditum postea deseruerunt, sed suspectum semper habitum nunquam adire voluerunt.* En locus integer Augustini quem mala fide castravit Perronius ut facilius veritati fucum faceret. Nam concedimus ei, causas communes Ecclesiæ, ut quæ ad fidem & alia ejusmodi spectant, debere communiter ab omnibus Ecclesiis in generalibus Conciliis tractari, quod alias sæpe confirmavimus. At quæ spectant ad disciplinam uniuscujusque provinciæ, & privatim regendum Clerum, cum Episcopos tum alios mino-

minores Clericos : certe extra provinciam non debere tractari Canones clamant, ut in Historia Concilii Africani probavimus. Textus vero Augustini causam adversarii jugulat, quia ostendit, Cæcilianum potuisse Romæ judicari; tum quia jam judicatus fuerat à septuaginta Episcopis provinciæ suspectis, à quorum judicio licebat provocare ad Episcopos alterius provinciæ qui suspecti essent, & præsertim ad Romanum Episcopum, quando de primate provinciæ Carthaginensis ageretur. Certe eadem est ratio causæ Cæciliani in hac parte, quæ & fuit S. Athanasii de qua in Historia Conciliorum egimus : demonstrat autem Augustinus judicium Episcoporum provinciæ suspectum fuisse, & in absentes datum, neque unquam aditum aut acceptatum, quemadmodum de Athanasio probavimus. Quocirca hæc causa non est regularis, sed extraordinaria : quia extra provinciam judicatur, sicque conatus Perronii ruit. Quarto, ad hunc Cypriani locum eadem epistola 55 ad Cornelium, *Nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt*, &c. Contendit verba hæc *minor videtur auctoritas*, non referri ad ecclesiam Romanam, sed significare non minorem esse quam par sit & sufficiat rei qua de agitur judicandæ. Fateor ita esse Perroni, quia, ut jam dictum est, negotia ecclesiastica provinciæ, & maxime quæ
ad

ad regendos mores clericorum faciunt, debent Synodo Provinciæ judicari, unde antea dixit, *oportere uniuscujusque causam ibi audiri, ubi est crimen admissum*, &c. Ratio est, quia Episcopis regimen Ecclesiarum suæ provinciæ est proportionatim & respective commissum à Christo, quando in solidum sunt participes sacerdotii Christi, & Papa, excepto primatu, id est, primo gradu sacerdotii Christi, nihil jure divino habet supra alios Episcopos. Quinto perhibet, Cyprianum in hac formula concepta libro de unitate Ecclesiæ: *Episcopatus unus est cujus à singulis in solidum pars tenetur*, &c. Insinuare quidem episcopatum separatim extra unitatem & societatem corporis episcopalis possideri non posse: sed non quod velit inficiari in unitate hujus corporis episcopalis, functiones Episcopatus exerceri modo quodam eminenti & principali in ecclesia Romana quam in aliis ecclesiis: sicut cum dicimus animam totam esse in toto: & totam in qualibet parte corporis humani, non negamus nobiliori & præstantiori modo suas exercere operationes in capite quam in aliis partibus. Alias Cyprianus non appellaret ecclesiam Romanam, cathedram Petri, ecclesiam principalem & originem unitatis sacerdotalis, epistola 55 ad Cornelium. Hæc est Perronii sententia, verbum de verbo Latine reddita. Mens autem Cypriani notissima est, si quod verissimum & certissimum est, pro principio defigamus,

gamus, illum ſcilicet tenuiſſe & docuiſſe Papam jure divino ſupra alios Epiſcopos nihil habere præter primatum in ordine ad regimen ariſtocraticum: quare ſub finem ejuſdem Epiſtolæ 55 ad Cornelium aſſerit, *Florentiſſimum clerum Romanum cum Cornelio in Eccleſia præſidere*. & alibi, *firmum non eſſe decretum Eccleſiæ quod plurimorum non habuit aſſenſum*, quæ omnia nihil ſapiunt monarchici. Quod autem ait *à Patri cathedra atque eccleſia principali exortam eſſe unitatem ſacerdotalem*: indicat, Romanam eccleſiam ob primatum Petri (qui unicus eſt, & ſymbolum unitatis ſacerdotii Chriſti & Eccleſiæ) eſſe matricem & principem aliarum, nihilque in rebus eccleſiaſticis ſeparatim ab ea canonice conſulta eſſe faciendum, cujus rei paxim nobis demonſtrat Cyprianus in ſuis libris. De ſimilitudine animæ & corporis, & functionibus quas anima exercet in corpore; hæc ſi referantur ad poteſtatem quam Papa exercet, plane diſparata & diverſa ſunt, quæque nihil proſunt cauſæ adverſarii: quia ut dixi multoties, Papa excepto primo gradu miniſterii Eccleſiæ & ſacerdotii Domini, nihil quicquam jure divino habet ſupra alios Epiſcopos. Conſule Axioma XV Apologiæ noſtræ.

Caput XLVI inſcribitur de commiſſione Conſtantini Magni pro judicio Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi: quod caput non ideo recognoſcendum ſuſcepi quia in dubium revo-

revocem Melchiadem Papam judicem fuisse legitimum in causa Cæciliani secundum ea quæ paulo ante in analysi capitis præcedenti notavi: sed ut quædam obiter expenderem quæ ibidem Perronius ostentat, cujusmodi est illud ex Epistola Julii Papæ ad Orientales in causa S. Athanasii in Apologia secunda Athanasii. *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri posset?* Item apud Sozomenum lib. III. cap. 9. *Legem ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronunciat Acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Et autem quæ Tyri & in Mareote adversus Athanasium decernebantur, iniqua esse*, &c. Quos locos dicimus primo intelligi oportere de causis communibus fidei aut rebus extraordinariis, & irregularibus, quales erant Athanasii & Cæciliani: nequaquam vero de ordinariis & regularibus quorum judicium decidi debeat in unaquaque provincia secundum Canones, ut paulo ante notatum est. Secundo respondemus hæc spectare ad Canonem ecclesiasticum qui vetat quicquam agi in communibus & magni momenti negotiis Ecclesiæ absque Episcopi Romani sententia, propter ecclesiæ Romanæ Primatum.

Capite XLVII diluere conatur objectionem ductam à Concilio Milevitano Canone 22 de non provocando ad transmarina judicia. *Placuit ut Presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores clerici*

clerici causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quicquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Aphricana Concilia, vel ad primates provinciarum suarum; ad transmarina autem qui putaverit appellandum à nullo intra Aphricam in communione suscipiatur. Quem canonem duobus modis intelligi ait: Primo ut tantum capiatur de Appellationibus in causis minoribus & personalibus, quales erant causæ morales, pecuniariæ, hoc est, civiles & criminales clericorum: nequaquam vero de causis communibus, &c. Secundo loqui duntaxet de Appellationibus Presbyterorum, Diaconorum, &c. non de Appellationibus clericorum superioris ordinis, ut Episcoporum. Hæc Perronius, quæ vera esse fateor: quoniam hoc in loco propositũ erat Patribus Milevitanis obviam ire vitilitigationibus clericorum inferioris ordinis quibus solenne erat transmarina judicia sectari, & disciplinam ecclesiasticam conturbare: ideoque hic illos in ordinem cogunt: de Episcopis vero nullus sermo, quia aut nunquam, aut raro admodum contingebat ut in canones impingerent; pauci enim sunt Episcopi & majori delectu eligebantur ad comparationem inferioris ordinis: unde cum adver-sus disciplinam nihil peccarent, nihil erat causæ in illos statuere: & si quid peccarent relinquebantur judicio

ſuorum Metropolitanorum juxta Canonem quintum Nicænum & ſecundum Conſtantinopolitanum, pro cujus interpretatione ea hic impendo quæ lucubravi pro Hiſtoria ſexti Concilii Carthaginenſis ubi omnia Bellarmini argumenta depulimus, quæ hic refricat Perronius, & pro ſuæ ſententiæ auctuario edit locum epiſtolæ Concilii Milevitani ad Innocentium Papam, quæ eſt 92 inter epiſtolas Auguſtini. *Sed arbitramur adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur. auctoritati Sanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum auctoritate deprompta, facilius eos qui tam perverſa & perniciosa ſentiunt eſſe ceſſuros, ut de correctione potius eorum congratulemur quam contriſtemur interitu.* Loquuntur autem Patres Milevitani de condemnatione Pelagianorum, & Perronius exclamat hanc clauſulam, *auctoritati Sanctitatis tuæ de ſanctarum ſcripturarum auctoritate deprompta*, intelligi oportere de cathedrali & judiciaria auctoritate Papæ, ſacris ſcripturis corroborata & confirmata, oſtendendo quod juris ſit divini; nequaquam vero de auctoritate ſanctarum ſcripturarum neceſſaria ad errorem Pelagii & Cœleſtii confutandum. Quod ridiculum eſt, & perinde ac ſi Innocentius PP. adverſus Pelagium libros ſcripſiſſet de Papæ auctoritate teſtimoniis ſacræ ſcripturæ comprobata, ut à Sandero, Bellarmino & Perronio factum eſt. Contra ſen-

sensus Patrum Milevitanorum est, generali communione sanctorum, & catholica traditione & interpretatione scripturarum, errorem Pelagii esse debellandum, ita ut quemadmodum jamjam damnati fuerant in Africa & in Oriente, etiam Romæ condemnarentur & ostenderetur catholicam consensionem totius ecclesiæ in scripturarum interpretatione illis penitus adversari: certe tandem ultimo judicio Pelagiani à Patribus primi Concilii Ephesini damnati sunt. Tertio, urget amplius Canonem 22 Milevitani Concilii debere capi de solis minoribus clericis ex Julii I. papæ testimonio in secunda Apologia Athanasii sub finem epistolæ Julii: *Episcopi enim erant & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant*: Subjungit & locum Augustini epistola 162 in causa Cæciliani quem dicit, *potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum; cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, & cæteris terris unde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum*. Et paulo post, *Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de Collegis agebatur: qui possunt aliorum Collegarum judicio præsertim Apostolicarum Ecclesiarum causam suam integram reservare*, &c. Verum enimvero facilis est ad hæc responsio: jam dixi Athanasium fuisse secundæ Sedis Episcopum & ab Episcopis

Orientis suspectis inaudita causa damnatum: ideoque per canones jus illi fuisse confugere ad vicinas provincias, & maxime ad Sedem Romanam omnium matricem. Idemque est de Cæciliano judicium qui primatum in Africa obtinebat, & ab Episcopis Africæ suspectis, id est, à Donatistis damnatus fuerat: neque amplius Episcoporum provinciæ judicio ullus supererat locus.

Capite 48, 49 & 50 longissimam instituit disputationem de Conciliis Carthaginensibus & Africæ, cui nolo immorari, ut ad caput LI veniam; in quo ut Appellationem Apiarii, tractatam in sexto Concilio Carthaginensi, ad Curiæ Romanæ gratiam definiat: primum de epistolis Conciliorum Africæ scriptis in causa ejusdem Apiarii differit: cumque vim illarum aperte & directe infringere non posset, conatur ostendere esse adulteratas ex comparatione Græcæ & Latinæ editionis: mirumque esse ait Canones Latinos Conciliorum Africæ esse emendatiores Græcis; contra autem editionem Græcam Epistolarum memoratarum esse præponendam Latinæ editioni: quod excogitavit argutias & cavillationes in quibus diluendis operam impendere nolo, quia contendo, magis fidendum esse Latinæ editioni, & si quid in ea sit ambiguitatis aut æquivocationis, hoc tribui oportere stilo Patrum Africanorum, qui ut omnes norunt, hyperbatis & æquivocatio-

nibus

nibus ſcatet, eſtque valde implicatus propter illorum fervidum & æſtuans ingenium: unum ſcio, propoſitum eſſe Perronio fidem Latinæ editioni ejuſmodi epiſtolarum detrahere, quod eum & Curiam Romanam magis urat.

Capite LII de Appellatione Apiarii in ſexto Concilio Carthaginenſi diſputat. Et primo contendit nihil poſſe inferri ex hoc Concilio quod Papæ auctoritatem imminuat in admittendis Appellationibus: in cujus rei teſtimonium ait in Concilio Chalcedonenſi Oecumenico ex Patribus Græcæ & Latinæ Eccleſiæ conflato longeque majoris auctoritatis quam eſſet ſextum Concilium Carthaginenſe quod duntaxat erat provinciale, admiſſas fuiſſe Appellationes, ut teſtatur epiſtola Valentiniani Imperatoris ad Theodoſium Imperatorem his verbis: *Debemus cum omni competenti devotione defendere & dignitatem propriæ venerationis beato Apoſtolo Petro intemeratam, & in noſtris temporibus conſervare: quatenus beatiſſimus Romanæ civitatis Epiſcopus, cui principatum ſacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & ſacerdotibus judicare*, &c. *Hac enim gratia ſecundum ſolennitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta eſt de fide.* Quam epiſtolam Valentiniani habes inter præambulares epiſtolas Chalcedonenſis Concilii. Adnectit quoque, ex Martiani & Valentiniani literis ad Palladium præfectum

Prætorio Orientis, quæ extant ſub finem Actionis III Synodi Chalcedonenſis, hæc verba: *Synodus Chalcedonenſis dum fidem diligenter inquirit, auctoritate Beatiſſimi Leonis Epiſcopi æternæ urbis Romæ & religionis fundamenta conſtituit ſanctæ civitati, & Flaviano palmam mortis tribuit glorioſæ.* Adgregat inſuper, Theodoretum appellaviſſe ad Leonem Papam & ab eodem reſtitutum, eamque ob cauſam Senatores à Martiano conſtitutos in Synodo Chalcedonenſi pronunciaſſe, ut Theodoretus eſſent Concilii particeps, quando Leo Archiepiſcopus ei Epiſcopatum reſtituiſſet. Hæc Perronii cellectio tria proponit: quoad primum de Valentiniani literis, jam dictum ſupra in analyſi cap. 43. de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, ubi non habuit antiquius aut validius teſtimonium, quo ejuſmodi appellationes muniret: quod argumentum eſt, illas nullo alio niti fundamento quam quæſtione facti, & auctoritatis politicorum Principum qui eas ſuo brachio communire voluerunt: quoniam id conducere putarent ad dignitatem urbis & Imperii Romani, unde ſuis edictis juſſerunt ſententias Epiſcoporum urbis Romæ in rem judicatam mitti. Quare nihil mirum eſt in illis literis Martiani & Valentiniani ad Palladium præfectum prætorio, ea uni Epiſcopo Romano attribui quæ à tota Synodo Chalcedonenſi geſta ſunt, nam & ante Leonis definitionem ſynodicam Ro-

Romæ factam, ipse Flavianus in Synodo privata Constantinopolitana eadem senserat & definierat, quæ postea sunt à Leone Magno synodice constituta, ut Acta Synodi Chalcedonensis perhibent: quæque similiter docent frustra Perronium Theodoreti restitutionem factam à Pontifice Romano toties obtendere cum nulli usui fuerit Theodoreto, nisi postquam Concilium Chalcedonense ejus causam retractavit & definivit præsentibus legatis Romani Pontificis.

Secundo narrat, causam Apiarii non fuisse de communibus & majoribus sed de minoribus causis Ecclesiæ: idque ait constare ex epistolà Innocentii I. PP. quæ est inter epistolas Augustini 93 ubi hæc scribit Innocentius: *Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coëpiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere.* Instat, hoc præterea comprobari gestis ipsius Milevitani & Carthaginensis Concilii sub duodecimo consulatu Honorii Cæsaris, quoniam Patres Milevitani ultimum judicium Cœlestii & Pelagii remiserunt ad Innocentium Papam cum hoc eminenti elogio, *quod Papæ auctoritas de sanctarum scripturarum auctoritate esset deprompta*, epistola 92 inter epistolas Augustini; quam ad rem confirmandam quædam alia cumulat parvi momenti in re minus necessaria. Siquidem annuo primum, causam Apiarii fuisse de minoribus causis ad

disciplinam provinciæ spectantibus, ut supra dictum est. Quod vero Innocentius arbitratur causas fidei ad Sedem Apostolicam debere referri, hunc habet sensum, ut cum fides res sit communis Ecclesiæ quæ nisi catholica traditione & contesseratione definiri non potest, necesse sit Papam ante alios, propter S. Petri primatum, suam proferre de rebus fidei sententiam, sicut in omnibus generalibus Conciliis semper consuetum est fieri: quod si quid privatim cum sua Synodo Romana, aut quopiam alio modo statuat, id ex Institutione Christi à catholico consensu, & regimine aristocratico totius Ecclesiæ vim sortitur: quia Primatus institutus est in ordine ad regimen aristocraticum. De ultimo judicio Pelagianorum & auctoritate Augustini quam iterum frequentat Perronius paulo ante dixi in analysi capitis 47.

Tertio memorat, Patres Africanos non certasse de evocationibus ad Sedem Apostolicam, sed de appellationibus duntaxat. Jus autem evocationum ex eo probat, quod Socrates scribat cap.9. lib. 11. Eusebium illum Nicomediensem qui postea Episcopus Constantinopolitanus fuit, statim atque Athanasium Alexandria dejecit, in ejusque locum Gregorium constituit, *Legatum misisse ad Julium Romanum Episcopum, oratum, ut ipse in causa Athanasii judex esse vellet; litisque dijudicationem ad se transferret.* Theodoretus l.11.c.4: *Eusebiani*

ni Julium Episcopum Romanum de criminibus quæ falso contra Athanasium confinxerant, per literas certiorem fecerant. Ille Ecclesiæ Canonem sequutus, & eos jussit Romam venire, & divinum Athanasium, quo pro se in judicio ipse responderet, vocavit. Opponit quoque Theodosii Novellam Titulo 24. *Omnibus Episcopis pro lege sit quicquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas, ita ut, quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur, per omnia servatis quæ divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.* Amplius obtendit, Patres Africani Concilii non revocasse in dubium, quin Papa Zosimus posset evocare causam Apiarii, sed duntaxat pugnasse pro appellationibus. Enim vero qui fieri posset ut Africani revocarent in dubium evocationes ad Sedem Apostolicam, cum paulo ante per Augustinum scripserint Innocentio Papæ, ut accerseret Romam Pelagium quem Eulogius Archiepiscopus Cæsareæ, & Joannes Hierosolymitanus cum Concilio totius provinciæ absolverant? vide epistolam 95 Augusti, paulo post principium. Quas evocationes munit auctoritate Hincmari apud Flodoardum lib. III Historiæ Rhemensis c. 13 ubi ad Nicolaum PP. in causa Rothadi ita scribit: *Absit enim à nobis ut privilegium primæ & summæ Sedis sanctæ R. E. Pontificis pro sic parvo pendamus, aut controversias & jurgia tam superioris quam etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & cæteri*

cæteri ſacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii atque aliorum ſanctorum Romanæ Sedis Pontificum decreta in Synodis provincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad veſtram ſummam auctoritatem fatigandam ducamus, &c. *Omnes ſenes cum junioribus ſcimus noſtras eccleſias ſubditas eſſe Romanæ eccleſiæ : & nos Epiſcopos in Primatu B. Petri ſubjectos eſſe Romano Pontifici : & ob id ſalva fide, quæ in Eccleſia ſemper viguit, & Domnio cooperante florebit, nobis eſt veſtræ apoſtolicæ auctoritati obediendum*, &c. *Dignum & juſtum eſt, ut quemcumque Epiſcopum Romanus Pontifex ad ſe Romam venire mandaverit, ſi infirmitas vel gravior quæcumque neceſſitas vel impoſſibilitas, ſicut ſacri præfigunt Canones, eum non detinuerit, ad illum venire ſtudeat*, &c. Proculdubio ſi jus appellationum erat controverſum apud Patres Africanos, multo magis evocationum, quia unum longe eminentius eſt altero, & ſupremo atque abſoluto tantum monarchæ competit : unde fit ut Rex cauſas undequaque evocet ex Parlamentis aut aliis tribunalibus Franciæ. Sed his omiſſis ſingula expendamus. Primum quod de Euſebio Arrianorum principe ſcribit, qui literis ſignificarat Julio, ut cauſam Athanaſii Romam evocaret, poſtquam Athanaſium exauctoraſſet, & ei multa affinxiſſet crimina; primum reſpondeo : hoc genus evocationis fieri conſenſu partium : deinde ipſum Athanaſium in ſuis Apologiis perhibere,

re, hæc ab Eusebio thrasonice scripta fuisse, ut, si posset, Athanasium perterreret, unde Julius ut clavum clavo truderet, vicissim literas minaces & increpatorias misit Orientalibus, ut docent Historiæ: tertio, ex vi disciplinæ & communionis sanctorum ineundæ, jus esse Pontifici evocare ad Synodum partes ut audiantur: maxime vero ubi in provincia aliqua Episcopi suspecti sunt, & judicium dederunt, ut in causa Athanasii & Cæciliani factum fuisse probavimus. Quantum ad Edictum Theodosii attinet, rem acu tetigit Perronius illud exhibens, quia hinc probavit, Papam solo jure humano, non divino, posse Episcopos ad se Romam evocare: de Synodo aliud est, ut jam dixi, modo canonice, in loco tuto & libero, celebretur; omnes enim Episcopi illuc ire tenentur nisi justam habeant causam sese excusandi. De Pelagii evocatione, vel intelligenda est ope brachii secularis, vel per indictionem Concilii. Et ita omnes conatus Perronii ruunt. Sicut autem Patres Africanos non revocasse in dubium, quin Zosimus posset Apiarium evocare Romam, confidenter asserit, ita ei pernegatur: id enim probare, non gratis tantum dicere, oportuerat. De Hincmari epistola ad Nicolaum PP. nullus Catholicus dubitat *Episcopos in primatu B. Petri esse subjectos Romano Pontifici*, ut verbis Hincmari utamur, id est, quantum jus divinum, natu-
rale

rale & canonicum patiuntur : quia singulis Episcopis regimen suæ Ecclesiæ in solidum creditum est, ut ex Cypriano docuimus. Quod vero amplius ait dignum & justum esse, ut quemcumque Episcopum Romanus Pontifex venire Romam jusserit, illuc proficisci, &c. id capi debet secundum praxim tempore Hincmari usitatam : quia Carolus Magnus in grati animi memoriam, quod Zacharias Papa Pipino parenti suo gradum fecisset ad regnum Galliæ occupandum, & inde ad Imperium Occidentis consequendum, nihil non gratiæ contulit Sedi Romanæ, etiam supra Canones; eamque ob causam juxta Edictum Theodosii voluit omnes Episcopos, quos Papa Romam accerseret, illuc ire; unde ab illo tempore fluxit consuetudo frequentandi limina Apostolorum. At pro eo quod Perronius ex Hincmaro hic profert, ei rependimus ejusdem Hincmari sententiam epistola ad Hadrianum II Papam Nicolai successorem: *De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit Sublimitas ut Hincmarum & alios Episcopos regni Domini Caroli ad Synodum Romam mitterem : vestra sciat Auctoritas quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcoporum diœceseos Remorum, minime autem aliarum provinciarum Episcopos, nisi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ultra fines sui regni absque illius scientia progredi valeo,* &c. Quæ responsio de-

demonſtrat ejuſmodi evocationes omnino pendere à politicis Principibus, qui quando fortes & ſtrenui fuerunt, ad illorum arbitrium permittebantur aut impediebantur. Unde Philippus Pulcher Bonifacio illas facere tentanti ſtrenue obſtitit, de qua re alias diſputavimus, atque Gregorii VII. ſeculo turbatis & fractis viribus Imperii Romani in magno uſu fuiſſe oſtendimus.

Quarto, monet Perronius, Patres Africanæ Eccleſiæ ad tempora ſexti Concilii Carthaginenſis ſemper tenuiſſe, Epiſcopos ad tranſmarina judicia poſſe appellare. Idque S. Auguſtinum declarare epiſtola 162 in cauſa Cæciliani : *Neque enim*, inquit, *de Presbyteris, ſed de collegis agebatur, qui poſſunt aliorum collegarum judicio, præſertim apoſtolicarum eccleſiarum cauſam ſuam integram reſervare*, &c. Quem locum centies inculcat, quaſi magni momenti ad probandas appellationes; ſed ſupra docuimus eſſe omnino extraordinarium & irregulare : in ſexto autem Concilio Carthaginenſi agebatur de regulari diſciplina appellationum, quæ intra provinciam ſecundum jus commune regi debebat, ut demonſtravimus.

Quinto perhibet, conſuetudinem fuiſſe Eccleſiæ Romanæ, citare canones Sardicos pro Nicænis, quia Concilium Sardicum erat velut appendix Nicæni Concilii : ſicut, inquit, mos eſt Græcis laudare canones Trullanos

lanos sub titulo canonum sexti Concilii Oecumenici, quia obtendunt Concilium Trullanum fuisse appendicem sexti Concilii. Addit, Gregorium Turonensem lib. IX, cap. 33 Historiæ laudare canones Gangrenses pro Nicænis canonibus. Proculdubio causæ suæ prævaricatur Perronius dum ita debiliter certat. An vero Synodus Sardica sit Nicæni Concilii Appendix alibi à me disputatum est. De Trullanis canonibus hoc dicendum habeo, quod vulgo usurpatur inter Scholasticos, adferre incommodum non est solvere argumentum. Neque præterea lapsus memoriæ Gregorii Turonensis, aut error librarii patrocinari potest causæ Perronii in hac parte.

Sexto ad commenta transit, atque omnia genuina exemplaria Concilii, & canonum Sardicorum subducta & corrupta à Donatistis, ideoque ignota fuisse Augustino & Patribus Africanis, memorat; quæ, dum lego, miror hæc Perronio in mentem venire potuisse. Sed de ejusmodi commentis disputatum est à me in Historia sexti Concilii Carthaginensis adversus immanes conceptiones Baronii.

Septimo causatur, Patres Africanos nullum fecisse decretum quo prohiberent ejusmodi appellationes, sed duntaxat usos fuisse suasionibus & precibus erga Cœlestinum Rependo, nihil opus fuisse novo decreto quando

do jam extaret Nicænum, Constantinopolitanum, & Milevitanum praxi diuturna corroboratum, quam satis erat vindicare,

Octavo, fugam pugnæ similem instruit, asserens posse aliquos in dubium revocare fidem epistolæ Patrum Africanorum, quippe quæ est sine die & consule, omnino extra opus : deinde quia plane adversatur epistolæ Augustini 162 in causa Cæciliani, quam quidem ad nauseam inculcat : conjicit etiam, Augustinum non interfuisse Concilio dum hæc scriberetur epistola ad Cœlestinum quia ejus nomen in illa non extat. Contra repono, permultas alias esse epistolas etiam Pontificum sine die & consule quæ tamen indubitatæ sunt fidei, ut patet ex permultis epistolis Leonis Magni, quas superfluum esset recensere. Hæc autem si omnino extra rem esset, non ita Perronium & Curiales pungeret; quid dico, pungeret, cum eos perforet, quoniam singulis capitibus commonitorii Zosimi Papæ respondet, & jus commune secundum Canones Nicænos corroborat. Falsum autem est eam adversari epistolæ Augustini, quia hæc epistola de jure extraordinario, illa autem de ordinario secundum jus commune statuit, ut centies diximus. Si vero gratuito dederimus adversario Augustinum non interfuisse Concilio quando hæc scriberetur epistola, argumentum

psisse Collectionem Canonum, & articulo 59 & 60 laudare quintum & sextum Canonem Sardicum. Et ita concludit; controversiam hanc Patrum Africanorum non interturbasse possessionem Ecclesiæ Romanæ. Verum oppono, hanc continuationem cognitionis appellationum quam sibi Leo Papa vendicat, referendam auctoritati Theodosii; qui Edicto, cujus supra meminimus cavit, ut id pro lege à cæteris Episcopis haberetur quod Leo Romanus Episcopus ejusque successores sanxissent : hocque ut alias observavimus Imperatores putabant spectare ad majestatem urbis & Imperii Romani : ac proinde à Præfectis Prætorio, & Provinciarum exequutioni mandabatur : qua ratione viam munierunt Romanis Pontificibus ad regimen aristocraticum & disciplinam apostolicam convellendam; atque monarchiam qua hodie fruuntur juris communis abrogatione constituendam. Quocirca eodem Theodosii edicto in proœmio nominatim dicitur, *Sedis Apostolicæ primatum, merito Sancti Petri, qui Princeps est episcopalis coronæ, & Romanæ civitatis dignite, nec non Synodi sacræ auctoritate firmari.* Ut hinc omnes intelligant potestatem hodiernam Papæ, à triplici capite manare, nimirum, *à jure divino quo primatus est institutus, à jure ecclesiastico, & Synodis; deinde à majestate urbis atque Imperii Romani quod certo certius est.* Porro argumentum Perronii ductum à Fer-

 randi

randi Collectione, nihil aliud probat, quam Ferrando cognitum fuiſſe, Concilium Sardicum centum ferme annis poſt Auguſtinum, quia Ferrandus tempore Anaſtaſii Imperatoris vixit: hoc autem poſito, quid inde conſequetur: quando alias probavi impoſſibile fuiſſe verum Concilium Sardicum & Canones Sardicos incognitos fuiſſe Auguſtino, & aliis Patribus Africanæ Eccleſiæ? ſed cum ſcirent fuiſſe duntaxat proviſorios, non abſolutos, ideo pati noluiſſe, ut pro Nicænis ſupponerentur, aut in jus ordinarium tranſirent, ſicut nunquam tranſierunt, niſi forte Imperatorum & Principum Chriſtianorum auctoritate, ut jam diximus.

Capite LIII diſuptat deConcilio Sardico & nos de illo abunde egimus in primo libro Hiſtoriæ Conciliorum generalium, omniaque effugia adverſariorum obſtruximus. Quod autem objicitCanones Sardicos receptos fuiſſe à Patribus Synodi Trullanæ, Conone ſecundo, item à Photio, Balſamone, Zonara, Simeone, Logotheta, Blaſtare omnibuſque aliis actoribus Synagogarum Canonum Græcorum: facilis quidem eſt reſponſio, quoniam Græci deſiderio æquandi ſuum Patriarcham Conſtantinopolitanum Romano Pontifici, quæcumque putaverunt conferre ad hujus magnitudinem, illa quoque ſuo Patriachæ adſcripſerunt. Unde fabulati ſunt ex Conſtantini donatione facta Epiſcopo Roma-
no

no tantumdem juris Episcopo Constantinopolitano competere, ut auctor est Balsamo Titulo octavo Nomocanonis Photii. Item cum viderent per Canones Sardicos Romano Pontifici jus esse cognoscendi de appellationibus Episcoporum, certe illos Canones in Concilium Trullanum, & in suas Synagogas ambitiose conjecerunt, ut efficerent Constantinopolitano Episcopo tantumdem auctoritatis convenire.

Capite LVI velitatur in explicatione horum verborum, *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. de qua re disserui in Defensione libelli de ecclesiastica & politica potestate, ostendique Perronium, ut de Cajetano dicit Bellarminus, multo subtiliora quam vera comminisci : à quibus subtilitatibus res morales Euangelii plane abhorrent : quippe quæ meram simplicitatem commendant & consecrant. Denique, initio libri quarti ejusdem Responsionis ad Regem Magnæ Britanniæ, ubi respondet, ad Præfationem Casauboni fol. 858. primæ editionis Antonii Stephani hæc verbum de vebo Latine reddita habet: *Controversia*, inquit, *de auctoritate spirituali Papæ, tum respectu Conciliorum Oecumenicorum, tum ratione auctoritatis temperalis erga jurisdictiones seculares, quando adversus salutem animarum pugnant, non est ejusmodi rerum quæ teneantur pro fidei articulis, & sub pœna anathematis ab alterutra parte catholicorum inter quos hæc contro-*

versia agitatur : neque etiam in confessione fidei illorum qui ad catholicam ecclesiam redeunt id inseritur, aut ab eisdem exigitur : ita ut alterutra pars alterutram partem quæ contrariam opinionem amplectitur pro hæretica habeat, & sese ab ejusdem cummunione separet. Quocirca in studio unionis faciendæ in Ecclesia hæc obstaculo esse non possunt. Qua clausula brevissima, Perronius problematicum efficit, quicquid operose & magna contentione antea de potestate Papæ supra Concilium lucubravit : ita ut liberum sit unicuique alterutram partem sine offensione fidei amplecti : quod valde dignum est notatione, magnoque cum præjudicio veritatis ab eo dicitur, Qui est in causa & sacramento obstringitur ad absolutam Papæ monarchiam propugnandam.

FINIS.



In-

Index Rerum præcipuarum quæ in hoc Libro primo occurrunt.

A.

B.

Can-

C.

Cou-

Eua-

INDEX RERUM.

I.

L.

M.

N.

P.

R.

S.

T.

V.

FINIS.


ROMA

image
not
available